Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
35 K
23
ROMA

DE TRIBVS PECVLIARIBVS
DEIPARÆ
MIRACVLIS
Matthæi Magnani
DISSERTATIO.

DISSERTATIO
THEOLOGICA, PHILOSOPHICA, LEGALIS, ET HISTORICA,
TVM DE LACRYMIS PRODIGIOSAE IMAGINIS
SANCTÆ MARIÆ
NOVISSIMÆ DE GRATIIS
PINNÆ BILLORVM FERETRANÆ PROVINCIÆ,
TVM DE LIBERATIONE PINNENSIVM A BELLO
Diuinitus per eandem bis obtenta,

Matthæi Magnani Pinnensis
CONGREGATIONIS ORATORII FOROSEMPRONIENSIS
Presbyteri.

BONONIÆ,
Typis Iacobi Montij. MDCLIII. *Superiorum permissu.*

Lectissimis, ac Prudentissimis

ADMINISTRATORIBVS,

OECONOMO

Rerum vsu Praestantissimo,

Ceterísque Sodalibus Eximia Pietate Conspicuis

VENERABILIS, ATQVE ANTIQVI SODALITII

SANCTÆ MARIÆ

NOVISSIMÆ DE GRATIIS,

ET CONFALONIS

PINNÆ BILLORVM

Rite instituti,

Matthaeus Magnanus

F. P.

INtelligetis ex his Litteris (Ornatissimi Viri) seriem vniuersam, vel causarum, vel occasionum, quibus ad hoc Volumen, & scribendum, & edendum, iam adigebar; & conditionem potissimùm pariter, qua nunc demum, vt edatur, permitto. Quæ quidem omnia sic omnino se habent.

Ipsa Virgo Dei Parens, &, *Nostri* (Nostras vt ille

Iacobus Mast. in Car. de primo Inc. ille cecinit) verè *Sedula Tutrix*, Miracula tria præsertim, & optimo iure miranda, publicum apud nos, & commune in bonum (quod probè tenetis) Maiorum nostrorum ætate, quondam patrauit. Et sanè: cùm ea singula, tum, quod ordine primum inter ea numeratur; per suam Sacrosanctam, ac Portentosam (quemadmodum etiam scitis) patrauit Imaginem. Per Imaginem, inquam, illam, quam vt omnis Patria nostra, diuino beneficio, Sedes ipsius, mirificè colit; sic vos, instituto Sodalitij vestri, pijssimè præ cunctis veneramini. Decennium porrò quasi plenum intercessit: cùm nil tale cogitanti mihi visu fortè venit, vt religione quapiam illud aggredi propemodum compellerer; quod perexiles mei vires ingenij profectò prorsus excellit. Id verò (si dicendum paucis) hoc erat: vt egomet intimè dispicerem, & examinarem penitus istiusmodi Miraculorum vnumquodque; visurus, Num fuerint vnquam reapse, Quid, Qualia, Quorsumque; propter eum autem finem, vt mihi duntaxat possem tollere nonnullas dubitationes, per dicta quorundam, circa illa recenter (vt audiebam) obortas; vsusque, similiter mihi, defensare colendi Deiparam, iam inde, cùm obtigerunt, à nostris eorum causa cœptos, & receptos; atque antiquitate ipsa (vti censebam) solidè firmatos, ac stabilitos. Et hoc sanè, quidquid esset, omne feci, quàm tunc potui diligentissimè. Non certè quidem, talia sigil-

gillatim componendo mentis meæ soli sententiæ, quæ, vel nulla, vel fallax est; sed pensatissimis, firmissimis, & vbique Catholicarum Gentium acceptissimis Theologorum, Philosophorum, ac Iuristarum placitis (quantùm in me fuit) conferendo. De quibus præterea taliter dispectis, atque examinatis (pro luce, quam à Patre luminum intelligentiæ meæ tenuitas recipere demum valuit) iudicium ferre, qualequale sit illud, non ausus item non sum. Tum verò, quæcunque sic dispicienti, examinanti, & iudicanti mihi suppetebant; idem ipse, ne quando exciderent, adnotaui. Ac tandem sicut in eam, quæ, si mihi methodus est visa, fortasse tamen à methodi regulis quamlongissimè aberat, eadem illa digessi; sic, non alijs planè, sed memoriæ meæ gratia mihi tantùm (quod iam tertio repetitum est) libuit etiam litteris ita digesta consignare. Atque his equidem, per ea tempora, satis eram plenè contentus.

Nunc iam est opus illud aperire, quod addere, modò pretium duxi; *Non alijs planè*, inquiens, *sed memoriæ meæ gratia mihi tantùm*. Sed enim verò: isthuc apertum satis erit, & clarum inspicienti, quæ mox annectere venit in mentem. Acceperam sanè, Valerium Reginaldum, nobilem illum nostri sæculi Scriptorem, qui Morales (vt aiunt) Doctrinas profitentibus est æquè probatus, ac notus; Demissione Christiani animi, admodum fuisse præstabilem.

 Quan-

Quandoquidem (vt, cum Philippo Alegambe, abs quo etiam verba desumpsi, rem dicam) *Volumen illud suum ingens de morbus, tam vile putabat; vt alienum illi nomen cogitauerit præfigere: ne qua labes* (vti aiebat) *Societatis Scriptoribus adhæresceret; si cuius ex illa nomen præferret*. Porrò autem (& istud, quæso vos, nunc bene attendatis) quod erat ille, bono virtutis habitu, qui esset acquisitus industria; quapropter, tum laude, tum præmio dignus euadebat; hoc sum ego (vt verum fatear) sola, nescio qua natura: vnde fit, vt, nisi fortè pœnas; hinc laudem certè, ac præmium nullum sim aliquando meriturus. Ergo, si ex bono virtutis habitu, si, inquam (vt clarè loquar) ex Humilitate Christiana, suum volebat ille Volumen, non alijs, nomine suo, fuisse scriptum, ne propterea splendor suæ Societatis, maculis, quas veras putabat, sed erant verè inanes, aspergeretur; quidni multò magis, ex mea sola natura, debebam ego velle, non alijs, meo nomine, cùm non deceret alieno, fuisse scriptas meas illas ineptias; ne propterea meis, & Congregationi, & Patriæ turpes, indelebilesque dedecoris notæ veriùs, atque altiùs imprimerentur? Quippe, Humilitatis hoc est ingenium: vt bonum proprium, quod est fortasse in nobis, conferat illa cum bono Dei, quod (si cum Sancto Thoma disserere placet) videt in proximo. Quare non mirum, si bonum proprium vile putat; quinetiam, vt malum, ijs, quibuscum sunt

In Biblioth. Script. Societ. Iesu litt. V.

2. 2. q. 161. a. 3. ad 2.

ſunt nobis omnia communia, fore credit ignominioſum: vti quidem fore credebat, & putabat bonus Reginaldus. At contra, naturæ ingenium non ſic. Propendet enim hæc potiùs, ad longè pluris, quàm ſit re ipſa, proprium, ſi quid eſt, æſtimandum bonum; imò ad æſtimandum bonum, ipſum proprium malum. Anne cunctis cognitum, quod eſt in prouerbio, *Suum vnicuique pulchrum*; & quod Sanctus enunciabat Ambroſius, *Filij*, dicens, *etiam deformes delectant*? Quid verò magis naturæ humanæ ſuum, quàm malum, cuius tantùm eſt (vt cum Sancto Thoma rurſum loquar) *quidquid pertinet ad defectum*? Quid etiam eiuſdem magis quoddamodo filius, niſi malum; quæ (quod ait Pſalmographus) *Concepit laborem, & peperit iniquitatem*? Malum ergo pulchrum naturæ; malum naturam delectat. Quæ ſi ſunt ita: poteritne non vile, non malum eſſe, ac proinde, cùm publicè ſcitur, non etiam probroſum, nedum perſonæ, ſed Patriæ, ſed Congregationi (ſi quis vlli fortè ſit adſcitus) quod ipſius natura, quæ per ſe, quod eſt vile re vera, magnum, & pulchrum, & quod malum ipſum, bonum putat; vile tamen, & malum, & credat, & prædicet? Sic, non poterant eſſe non vilia, non ineptiæ, non mala, quin proinde, non æternùm probroſa, nedum mihi, ſed (quod caput eſt) & Cõgregationi, & Patriæ meæ Scripta illa mea, cùm emanaſſent in vulgus; quæ mea natura, & vilia, & ineptias,

Lib. 8. Epiſt. 63.

2. 2. q. 163. a. 3. c.

Pſ. 7. iuxta verſ. Rom. & S. Aug.

b ptias,

ptias, & mala, & arbitrabatur, & proferebat.

Sed rationem (si me amatis) accipite, quæ, quod aio, & assero, digito prorsus ostendit. Quandoquidem: si Patria mihi optima fuit, & parens, & altrix; Congregatio verò, si me, licèt immeritum, licèt quaquauersum inutilem, tam benignè tamen suorum aggregauit in numerum, tam patienter item, ac liberaliter, iam duos & viginti annos totos, cum suis, ipso etiam suo tolerauit impendio; quì vnquam fieri potuisset, vt quàm multum sempiterni dedecoris, & perennis ignominiæ plurimum, tum Congregationi, tum Patriæ, haud fuisset inustum; si quis mea eiusdemmodi Scripta, iam facta Communia, quandoque legisset? Mea,
Dial. 44. inquam, eiusdemmodi Scripta: quæ (vt Petrarchæ verbis vtar) semper *Stylo obtundunt inconditо, & agresti; & sicut quibus vis desit* semper *ingenij; iactura saltem temporis, laborque aurium, tædiumque*
2. Tuscul. aliquando *non deerit*. Quæ (si fandum cum Tullio) cogitationes quædam, esto, sint litteris mandatæ, cùm tamen *eas, nec disponere, nec illustrare, nec per eas, delectatione allicere aliqua Lectorem*, ego nesciuerim; eodem teste, sunt *hominis intemperanter abutentis, & otio, & litteris*. Quæ, tanquam paradoxon, fortasse vsu comprobant, se longissima simul esse, pariterue breuissima; quippe, cùm
Lib. 5. Ep. 6. fortasse, contra præceptum Iunioris Plinij, *materiæ non immorentur, & accersant, atque attrahant alia*.

Quæ,

Quæ, si materiam ipsam, si dogmata, si doctrinas, & sententias inspicere demum libeat; non nisi scribentis inscitiam, allucinationes, imperitiam, imprudentiam, & id genus innumera; scribentem verò, quasi proinde merè *loquacem, & vulgo* (Doctus quidam vt ait, in simili) *spectaculum factum*, oculis vbique signandum, ostentent. Quæ tandem (ne plura consecter) si ego, per illa, proposueram, & facere, vt accresceret, & impedire, ne decresceret, in Parentem Gratiarum, eo loci, Pietas, & Cultus, vbi quotidie coruscant, ac fulgent illius illustres, atque inclytæ Gratiæ; sanè id assequi neutiquam possit. Quis enim sic affici queat, vt ipse volueram, ea percurrens; quæ, vbi primùm legere cœperit, esse stomachatum quàmplurimùm, omnino se sentiat? Hæc igitur cùm ita sint: percipitis, existimo, luce clariùs, quàm ingenti fuisset infamiæ Congregationi, & Patriæ meæ, si alijs, quàm ipsi mihi scripsissem illa, quæ scripsi. Quocirca, iam in aperto manet illud etiam, quod aperiendum susceperam (si memores estis) illud nimirum, quod addidi meum; *Non alijs planè, sed, memoriæ meæ gratia, mihi tantùm*. Franc. Pet. Dial. 44.

At nunc, obsecro, pergamus ad reliqua. Commodùm elapsi erant aliquot anni: cùm de tabula (quod aiunt) manu sublata, scriptisque reconditis, quodam in scrinio, perpetuis vt ibi delitescerent in tenebris; factum est: vt, occasionem nactus opportunam,

munani, Viro quopiam, & Religione apprime præstanti, & doctrina clarissimo, &, in iudicando, peracri (nimirum, Patri Mario Bettino Bononiensi Societatis Iesu) familiariter, nonnullos dies, fuerim vsus. Contigit autem: vt ea cogitatio tunc subierit, qua putarem, satius fore; si eruta Scripta de tenebris, euocarem ad lucem: quò, in tanti Viri serenissimæ radio mentis, næui erratorum, quibus illa scatere, credebam, detegerentur; quos oculus cæcutiens intelligentiæ meæ, neque discernebat in Sole. Viro itaque dedi Scripta in manu. Is verò, admiranda patientia, percurrit illa; ne pagina quidem omissa. Sed expectanti mihi, vt eius voce, vel nutu, Scriptorum, quæ tradideram, grauiora saltem errata clarescerent; ecce vobis, quid obtigerit. Iniecit ipse mihi scrupulum, & eam dixit sententiam: Detrahere me de honore Virginis Matris, ni quàm primùm, quæ in meam Patriam insignia, Miraculis editis, contulit illa quondam beneficia; cunctis vt innotescerent, huiusmodi per mea Scripta, non curarem. Qua quidem in sententia, locutus est, non semel, & apud me manens, & discedens; quin, & post discessum, per crebras, atque iteratas litteras. Quarum vnis, quasi admouendo noua calcaria, stimulosq; magis acutos adhibendo, verbis Italicis, ita demum scripsit. *M'assiderò, di ripregarla, che per honore della Madre di Dio, e per il ben publico, mentre ella è viua, e sopportabilmente sana,*

non

non differisca, à publicare, con la stampa, frà le altre sue dotte fatiche, quella di quel solenne Miracolo, di quella Sagra Imagine; la quale, con quelle sue Lagrime, parmi vedere, che ne la priega. Non sia V. P. inessorabile alle Lagrime di quella; che (come cantò colui)

——— Fà forza al Cielo,

Asciugandosi gli occhi, col bel velo.

Sic ille, Vos autem, his fortè auditis (qua occasione non estis ignari) ac tandem etiam perlectis verbis; meministis, quæ per vos, ac Sodalitatem vestram, sunt decreta. Mirabili Munificentia, de communi Sodalitatis Ærario, sponte vestra, vestróque motu, pecuniam vniuersam conferre sanxistis; quæ sit, ad hæc Scripta typis imprimenda, necessaria. Vestro dehinc suasu, cogor ipse, sumere Scripta rursum in manus. Illa sumo: corrigo per memetipsum, quæ video corrigenda, demo demenda, & addo non pauca. His peractis, auctoritate Maiorum, duobus ex mea Congregatione Sapientissimis Patribus eadem trado lectitanda; vt, vel approbent, vel reprobent, vel castigent. Putabam, reprobaturos: atque huius rei, summo eram in desiderio. Lectitant ipsi, tum attentè, tum accuratè, & molestam lectionem tolerant, aliquot menses. Non reprobant autem, neque castigant, vti ego volebam; sed contrà, suo Scripto, & approbant, & dilaudant, vti nolebam. Atque huc ad extremum tota res euasit; & ipse, tanquam nescius, quid ele-

ĉto,

cto, quid facto esset opus, tunc versebar in angustijs. Nam profectò: si persisterem in sententia; me contra, Monostichon Trochaicum illud sese proferebat in medium;

Ianus Grut. in Floril. v. Pertinaciæ.

Pervicacis est animi, vnum pluribus resistere.

Si mea decederem, sententiæ ceterorum adhærens; meis auribus insusurrantem excipiebam Symachum,

Lib. 2. Epist. vltima.

Minus est alienam sententiam spernere, quàm à propria discrepare. Si Beneficentiam vestram recusarem; in

De benef. lib. 8. cap. 17.

me Seneca pœnam decernebat, vt in ingratum, *quòd non auderem ab vllo beneficium accipere.* Si non

Rom. 13

recusarem, debebam vobis: & Gentium Doctor monet; *Nemini quidquam debeatis.* Quid igitur tandem? Audite, quid suppetiuerit ex improuiso. Iam permittam (ipse mecum inquiebam) vt, in alienas manus, mea Scripta perueniant: sic tamen: vt, si Virgini Regiæ, quæ, *Vas honorabile*, canitur, honori cessura non sint; si Patriæ, si Congregationi meæ sint futura pudori; non illa permittam: sed retractem, sed detester omnino. Atque ita, non discrepans à mea sententia; Symachi dicto morem geram. Sin minùs; permittam: atque ita Trochaici Monostichi monitum sequar, aliorum suasibus obsecundans. Rursum, si ex euentu, me permittere, perspicuum fiet; à me sumere pœnam, tanquam ab ingrato, Seneca ipse cessabit: quem, non ausum accipere beneficium, pronunciare non poterit; quod viderit accepisse, re ipsa. Imò cessabit

etiam,

etiam, si declarabit euentus, me non permittere: quia tunc etiam nequibit essari, me accipere non ausum, quod non accepero, non valens; quin, quod accepero tamen. Si enim, tanquam indignus effectu beneficij, tunc illud re vera non accepero; certè affectum vestrum, in quo beneficij summa, Sapientum iudicio, est sita; refellere, vllo tempore, nunquam possum. Denique: vtcunque res ipsa ceciderit, siue, nimirum, euenerit, vt affectum duntaxat, siue vtrunque, & affectum, & effectum accipiam beneficij; semper *hilaris, & gaudium profitens, gratè*, suauiterq; *effusus, non vobis tantùm audientibus*, verùm *vbique indicabo, ac testabor* (quod me idem Seneca docet) *ad me beneficium peruenisse*. Atque hoc præstans (quando ab eodem erudior, *Qui gratè beneficium accipit, primam eius pensionem soluere*) en quod restabat; vt Apostoli verbo sum audiens. Si enim sic soluo; non ampliùs debeo, vti ipse volebat. At debeo tamen adhuc (subsumebam) & debeo plurimum. Debeo, nimirum, quod ipse diuinissimus Paulus iterum vrget; cùm, vbi dixit, *Nemini quidquam debeatis*, adiungit, *nisi, vt inuicem diligatis*. Debeo itaque vobis (aiebam) dilectionem. Et quando (vt Magistrorum tradit Magister) *Debitum* grati animi *ex debito* dilectionis *deriuatur*; debeo vobis etiam gratum animum, si, sine suo effectu, causa stare non solet. Atque ita vos diligam, & gratus ero vobis, quoad erit vita superstes,

Sen. De benefic. lib. 1. c. 6.

S. Tho. 2. 2. q. 106. a. 3. ad 1.

De Benef. lib. 2. cap. 22.

Ibidem.

Rom. 13.

S. Tho. 2. 2. qu. 107. a. 1. ad 3.

&

& vltra. Hæc igitur tunc mecum animo meditabar: atque eadem nunc his exposita litteris communicare vobiscum, ac prorsus cõfirmare; placitum est: ita vt, omnis mea permissio (hæc enim est summa) pendeat, hac in re, tantùm ab euentu. Sed, vt aliquãdo longo sermoni clasulam addam: (quoniam in dilectione, atque in grato erga vos animo meo, mea finijt vniuersa commentatio) hoc in præsenti signum vtriusque tandem erit manifestum in eosdem, dum aliud, vel maius, vel melius non habeo præbendum; quòd huiusmodi mea Scripta qualia libet (si tamen, vt sint alijs, quemadmodum iam dixi, permittẽda, quandoque declarauerit euentus) Vestro Nomini do, dico, dedicoque. Valete.

Ad Eruditum, & Candidum Lectorem.

Vid fuerit causæ: cur ego tam insulsus, tam nihili, tibiq; tam nouus homo; iam, quasi Litterariam in Rempublicam intrusus, quem tu præ manibus nunc habes, Librum conscribere non dubitarim; intellexisti, puto (Studiose Lector) si Nuncupatorias meas Litteras legisti: rursúmq; intelliges, Prooemialia percurrendo. Nunc porrò: te monitum hoc, in primis velim: vt noueris, etiam esse tuum, id ferre iudicium, quo cognoscere queam ipse; an re vera permiserim, Librum fieri publicum, nécne. Cùm certè, si permisi, non nisi conditione sub ea, quam locis explicaui memoratis; permiserim. Proinde verò: quando subiecta materia, circa quam tuum versari tale iudicium debebit, erunt errores mei, fortasse quamplurimi; tu (quæ tua Integritas est) de illis *rectum iudicium iudica*: (quæ Io. 7. tua Charitas est) illos, vel emenda, vel, si totus Liber est malus, totum tolle, tecum quoque tollente me; ne vlli sit ille vnquam damno, probróue: meam imprudentiam tamen, vel temeritatem potiùs interim, nescio, num dicam, incusans, num excusans; qui (vt in re diuersa, phrasi loquar Ambrosiana) *spem reposuerim in incerto*. Hæc De Virg. lib. 2. autem vtcunque sint: nonnihil tandum de ijs restat erratis; quæ, inter imprimendum, fuerunt illapsa. Sed ea, vel minuscula, vel maiuscula sunt. Minusculis (vt arbitror) non multùm offenderis. Maiusculis ne pariter offendaris multùm, néue hæsites, lectitando, improuisus incidens in illa; priùs quàm lectionem ingrediaris, tibi correctorum illorum præ oculis pono seriem, in ipso vestibulo. Vide igitur, quæ proximè sequuntur; & bene valeas.

Pag.	Lin.	Errata.	Corr.
92	16	eundum	eundem
110	11	Ecclesiastici	Ecclesiastæ
111	5	Ecclesiastici	Ecclesiastæ
133	6	esse	est
138	24	Empireo	Empyreo
145	11	Societates	Societatis
211	1	poscimus	possimus
236	24	Apparientis	Apparentis
422	28	Opionionis	Opinionis
460	28	Lius	Liuius
519	26	præmissa.	præmissa, a nu. 110.
521	24	inimicitia	inimici
543	23	dicamus	dicamur
550	31	hæc est	& hæc est
557	29	præpti	præcepti
634	10	tacit	tacita
658	15	debuit eãdem visitare	debuit visitare
693	23	oportet	oporteat
716	21	booa	bona

EGo infrascriptus fidem facio, de mandato Illustrifs. & Reuerendiss. D.D.Io. Baptistæ Zeccadori Episc. Forosempronienss, perlectum à me Librum, qui inscribitur: *Dissertatio Theologica, Philosophica, Legalis, & Historica, tum de Lacrymis Prodigiosæ Imaginis Sanctæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs Pinnæ Billorum Feretranæ Prouinciæ, tum de Liberatione Pinnensium à bello diuinitus per eandem bis obtenta, Matthæi Magnani Pinnensis Congregationis Oratorij Forosemproniensis Presbyteri.* In quo nihil Fidei Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ contrarium, ac bonis moribus infensum animaduersum: quin opus ipsum multa, & omnigena eruditione refertum, & probè elaboratum mihi visum est. Forosempronij, XIV. Kalend. Octob. MDCLIII.

Ioseph Montaluus, &c.

Federicus Flaminius Iulianius I. V. D. Protonot. Apost. ac Illustrifs. & Reuerendifs. D. D. Episcopi Forosempronien. Vicarius Generalis.

CVm Retroscriptum Opus Reu. P. Matthæi Magnani Congregationis Oratorij huius Ciuitatis Presbyteri de ordine, & mandato Illustrissimi, & Reuerendissimi D. D. Ioannis Baptistæ Zeccadori huius S. Eccles. Episcopi fuerit reuisum, & recognitum à Reu. P. Iosepho Montaluo eiusdem Congregationis Presbytero, idémq; in lucem edi posse probauerit; facultatem concedimus, vt Typis mandetur. Dat. Fori Sempronij, in Palatio Episcopali, hac die 17. Septembris 1652.

Fed. Flam. Iulianius Vic. Gen. &c.

EGo Michael Angelus Actius, ad præsens Præpositus Congreg. Oratorij Forosemproniẽn. Librorum Censor, Apostolica auctoritate, ac S. Officij Consultor, legi,

c 2 qua

qua potui accurata diligentia, Librum ab Adm. Reu. P. Matthæo Magnano, nostræ Congreg. Presbytero compilatum, cui Titulus est: *Dissertatio Theologica, Philosophica, Legalis, & Historica, tum de Lacrymis Prodigiosæ Imaginis Sanctæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs Pinnæ Billorum Feretranæ Prouinciæ, tum de Liberatione Pinnensium à bello diuinitus per eandem bis obtenta, Matthæi Magnani Pinnensis Congregationis Oratorij Forosemproniensis Presbyteri.* Et nihil in eo reperi, quod Orthodoxæ Fidei, & bonis moribus sit contrarium: imò doctis, ac pulcherrimis Quæstionibus refertum, & solerti studio ab Auctore elaboratum. Quapropter, quatenus ad meum spectat Officium, & etiam vigore nostrarum Constitutionum; Opus imprimi, & permitto, & cupio: si ijs, ad quos pertinet, Superioribus, videbitur. Dat. Forosempronij, in Ædibus nostræ Congregat. XIV. Kal. Octob. MDCLII.

Mich. Ang. Actius Oratorij præfati Præpositus.

Vid. D. Iuuentius Tortus C. R. S. Pauli Pœnit. in Metropolit. Bonon. pro Illustriss. & Reuerendiss. D. Archiepisc. Bonon. & Principe.

Vid. Fr. Hieronymus Allè pro Reuerendiss. P. Inquisitore Bononiæ.

Imprimatur.

Fr. Casimirus de Cremona Lector Theol. & Vic. Gener. S. Officij Bonon.

Iacobus Conticellius I. V. D. à Pinna Billorum, De hoc Libro, in Lacrymas B. Virginis de GRATIIS Pinn.

Ad Lectorem.

EN iterat Lacrymas iterum lacrymabilis Humor,
Quasq; olim Ara tulit, plurima Charta fouet.
Charta fouet Lacrymas, lacrymis ne parce, legendo,
Quisquis amas Lacrymas; lacryma sola legit.

Idem,
Ex Lacrymis ijsdem Serenum auspicatur.

LAcrymat Alma Parens, deflet Genitricis Imago;
In pluuias Nubes abeunt; meditare Serenum.



Idem.

Idem.

Ad eandem Virginem.

GRatia vera nitet: nitet ore Gratia toto:
Virginis ex oculis gratia vera nitet.
Gratia vera nitet roseis difusa labellis,
Purpureisq; genis Gratia vera nitet.
Gratia vera nitet niueo condeflua collo:
In gremio ludens Gratia vera nitet.
Gratia vera nitet modulis exacta supernis,
Ampliter effusa Gratia vera nitet.
Ite genis Lacrymæ, Lacrymarum flumen inundet;
Gratia vera nitet, Gratia vera natet.

Idem.

Pinnam, sub eiusdem Virginis Protectione loquentem, introducit.

DVm pluuias alij tuto sub tegmine vitant,
Hic ego Virgineo condo sub Imbre caput.
Protectam LACRYMIS tutam facit Imber ab imbre
Suspecta hac Pluuia nec Iouis ira mihi est.

Idem.

Idem.

Ad Egregios Viros Confratres Vener. Societatis eiusdem Virginis huius Operis editionem curantes.

HAud vno Matrem, haud vnoq; professa Patronã
Se Nostri est olim Virgo Beata modo.
In Nos affectum, in Nos vt pia viscera Matris
Monstret, maternas soluitur in Lacrymas.
Ingruit hostis, adest tenebrosæ noctis imago,
E gemino placuit reddere Sole diem.
Hostiles acies redeunt, & cominus armis
Circunstant muros, excidiumq; ferunt.
En redit, & Virgo, Populoq; Patrona clienti
E cælis iterum suppetiata venit.
Magna quidem hæc, magnoq; iugi complexa labore
Hìc pia Magnani stringere cura fuit.
Sed, ne qua æternùm violare obliuio facta
Possit; Vestra, φράτρες, æs, pietasq; facit.
Per Vos hìc Matris, per Vos monumenta Patronæ
Per Vos hic viuent laus, Patriæq; decus.
Ergo in Vtranq; Pij alternantes munera, Vosue
Plura, boni Ciues, Auctor an ipse feret?
Certè æterna simul capitisq; datisq; vicissim,
Munere diuersi, sed Pietate pares.

Idem.

Idem.
P. Matthæo Magnano De Lacrymis ijsdem scribenti.

DEuicto, Cæsar, Pompeio, felle flagrantem
Exortam Lacrymis diluit Inuidiam.
Diluit Inuidiam Cæsar, Magnane, sed astu
Quam LACRYMIS Heros diluit, ipse facis.
Ipse facis, LACRYMATAS dum scis promere Gazas
Artis, & Eloquij, Cordis, & Ingenij.
Cordis, & Ingenij hoc sparsis nam Codice stillis,
Pauperiore fluunt Albis, & Hebrus aqua.

Ad Lectorem De Lacrymis ijsdem.

COnspicis en Lacrymas, lacrymis nec parcere debes,
Vt lacrymæ tollant crimina magna tua.

Ioannis Cypriani Pinn.

Ad eundem.

FLens aperit, mulcet, placat Sanctissima Virgo
(O mirum!) Cælos, corda superba, Deum.

Eiusdem.

In

In Lacrymas Imaginis Deiparæ Pinn.

HÆc vitam genuit, qua prima ab origine Mundus
Obtinuit, mundus viuere poße Deo.
Edito at ex oculis Pinnenses inde lauacro,
His iterum Cordis viuificauit Aquis.

Blasij Palmerini Pinn. I.V.D.

In easdem Lacrymas.

PEruigil in cunctos Dextro dum Lumine Pinnam
Prospexit semper Virgo, Deiq; Parens:
Illius ærumnas Oculo si fleuit eodem,
Quid mirum? Mariæ præbet Imago Notas.

Eiusdem.

Ad Pinnenses.

PRofuit obsessis Virgo Pinnensibus olim,
Insonti Tuscus dum fera bella tulit.
Supremiq; simul quo Regis flecteret iras
En Dextro Lacrymas edidit ex Oculo.
Sperne igitur sæuos, hostiles, Pinna, furores;
Pro te si talis Dextera belligeret.

Hortensij Oliuerij.

Ad Societatem de qua ſuprà, ob Sacellum exornatum.

FLectite nunc veſtros Heliconis Numina cantus,
Flectite, permiſſis iam licet ire Choris.
Vrbis, & Orbis honos, cunctis generoſa Propago
Clara Fide, Patria, Religione, Sacris.
Nunc celebranda venit, ter io! cælanda decore;
Tu Decus es Patriæ, lecta Corona Patrum.
Tu nam Pinnenſi decoraſti Templa MARIÆ,
Templa vel extremum vix habitura diem.
Illa tibi ſtabilem ſpondent ſine tempore Sedem,
Dum Deus iſta colit, ſunt monimenta tui.
Munere ſicq; tuo ſurgunt Altaria MATRI,
Munere ſicq; tuo LAVS ſuper Aſtra volat.
Si quam Tu DOMINÆ Molem pietate ſacraſti;
Nunc Mauſolei eſt gloria facta tui.

Chriſtophori Narbonij Pinn.



Ad

Ad Lectorem, de hoc Libro.

QVi sicco LACRYMAS, animi sine vulnere, Diuæ
Pinnensis MARIÆ Virginis ore legis,
Quas tibi Matthæi Magnani Penna per oras,
Oraq; Christicolum, & celsa per Astra tulit;
Gætulæ matris puer es, patrisq; iubati
Filius, & ferri in pectore frigus habes.
Eia, animo procul omne moue ferrumq; ferumq;
Et bibat ex oculis pagina prima tuis.
Deijciant liquidas tibi vitrea lumina gemmas;
Sic, sic, non aliter vult Liber iste legi.
Quod si rore tuo vel linea prima notetur,
Cetera nil opus est euoluisse tibi.
Si nescis; Flere hìc legere est: ille omnia legit,
Quem Libri primo in limine pœnituit.

Eiusdem.



Sapphicus ad Lectorem.

QVi legis LVCTVS, Lacrymas dolentes
Funde: sic fusis Pia Mater Vndis
Suadet: & molli cape sis supernas
Pectore flammas.
Sic Dei flammat Genitrix Amore:
Flammæ enim manant medijs ab vndis:
Nata Pinnensis medio è Liquore.
Mater Amoris.

Eiusdem.



Ad

Ad Pinnenſes.

Aſpice belligeras inter, rediuiua, ruinas,
Qualem, Pinna, tulit iam tibi Mater Opem.
Aſpice Virgineum, qui venit ab Icone Fletum,
Vnde tibi riſus roſcida Bacca tulit.
Et ſtupeas gemitu, ſtupeas dare terga phalangem,
Cum ſit Virginea iam procul acta manu.
Facta magis, ſtupeas, Diuæ Miracula, mira
Magnani Calamo; cernere ſi valeas.

Petri Georgetti Pinn.

Ad eoſdem.

Diua Parens Natum, Lacrymas peperitq; cadentes:
Ille Salus cunctis, Hac tibi, Pinna, Salus.

Eiuſdem.

Ad

Ad Sodalitium, de quo suprà, pro exornato Sacello.

MActe animis, ò Pinneidum generosa Propago,
Dignaq; Christi Aquilas, & sua Castra sequi.
Vos vocito Proceres: palmam retulistis Honoris
Moribus, & factis, Vos neq; meta manet.
Seruitis Mariæ, cui vt seruiretur abundè,
Auxistis Mariæ Templa dicata pij.
Auxistis: meritos Vos Virgo augebit Olympo, &
Cælica pro, Templis, Templa videnda dabit.

Valentinus Steberus Germanus.



IN-

INDEX

Titulorum omnium, ad Partes, Quæstiones, & cetera singula, in quæ totum diuiditur Opus, præfixorum.

PROOEMIALIA.

tra

ali-

QVAESTIO III.

SECVNDA PARS DISSETATIONIS.
De illorum, Probatione, quę dicimus Facta Lacrymarum, & Liberationis vtriusque.

QVAESTIO PRIMA.
Quid probet Factum Lacrymarum.

§.5.

QVAESTIO SECVNDA.

Se-

§. 2.

tur

Sect. 2.

LAVS DEO.

Digitized by Google

DISSERTATIO THEOLOGICA, PHILOSOPHICA, LEGALIS, ET HISTORICA:

TVM DE LACRYMIS PRODIGIOSAE IMAGINIS SANCTÆ MARIÆ NOVISSIMÆ DE GRATIIS PINNÆ BILLORVM FERETRANÆ PROVINCIAE;

TVM DE LIBERATIONE PINNENSIVM A BELLO Diuinitus per eandem bis obtenta.

PROOEMIALIA.

§. I.

Explicatur occasio Dissertationis, & scopus.

1
Innæ Billorum, quæ per duos Romanos Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. Feretrani Episcopi Sedes, authentico Diplomate, decreta est; Parœciale Sancti Christophori Templum, ab antiquis temporibus, existit; in quo Patres Eremitæ Augustinenses, Horariæ Psalmodiæ, Reique Diuinæ peragendæ mancipati; Sacra Mysteria populo ministrant. Ibi autem, in Sacello celebri Sanctæ Mariæ, quam Nouissimam de Gratijs appellatam voluere maiores; ipsius Matris Dei Sacrosancta Imago, tum

Diploma refertur nouissimè ab Vghello Ital. sac. tom. 2. tit. Leopolitani, seu Feretrani Episc.

A apud

adinuenta, minuatur; prædicta cœperunt reuocare in dubium: quasi non certum sit, vel, an verè fuerint facta; vel, si facta, an verè sint Miracula; vel, si Miracula, an satis de illis constet; ita vt liberè, pro suggesto, enarrari, collaudari, & exaggerari possint; & in eorum memoriam Festa celebrari.

6 Quapropter: ad veritatem hisce de rebus vtcunque latentem, in propatulo collocandam; ad ea, quæ super ijsdem dubia videri possent, enucleanda; ad scrupulos ex illis animis, quibus, per easdem res, iniecti essent, euellendos; ac tandem, ad obstandum imminutioni, & ad promouendum augumentum Pietatis, & cultus in Parentem Gratiarum, ibi maximè, vbi Gratiæ ipsius frequentes, & summæ quotidie fulgent, & coruscant; visum est operæ pretium: Lacrymas, ac Liberationes eiusdemmodi, ad Regulas Theologorum, Philosophorum, ac Iuristarum reducendo, examinare; & quid de ijs sentiendum sit, quasi dissertando, inquirere, & aperire.

§. II.
Proponitur Ordo dicendorum.

7 AD prætactos autem fines, quid, tum super Lacrymis, tum super Liberationibus, tanquam dubium, inquirendum, examinandum, & aperiendum magis distinctè, magísque indiuiduè fit, bene satis apparere profectò non potest; nisi priùs, & Lacrymarum, & Liberationum ipsarum, quasi Factorum quorundam, magis distincta, magísque indiuidua narratio similem de ijs cognitionem tribuens, etiam appareat. Tum quia, ***Ex Facto***, vt aiunt, ***oritur Ius;*** tum etiam quia, cùm illud sit dubium, circa quod habet homo rationes æqualiter, aut quasi æqualiter mouentes; nemo circa aliquid rationem aliquam

Sect. 2.

QVÆSTIO SECVNDA.

An consuetudo retineri possit, occasione Miraculosorum Factorum, de quibus agimus, Festa celebrandi. 689.

LAVS DEO.

DISSERTATIO THEOLOGICA, PHILOSOPHICA, LEGALIS, ET HISTORICA:

TVM DE LACRYMIS PRODIGIOSAE IMAGINIS

SANCTÆ MARIÆ

NOVISSIMÆ DE GRATIIS

PINNÆ BILLORVM FERETRANÆ PROVINCIAE;

TVM DE LIBERATIONE PINNENSIVM A BELLO

Diuinitus per eandem bis obtenta.

PROOEMIALIA.

§. I.

Explicatur occasio Dissertationis, & scopus.

1 Innæ Billorum, quæ per duos Romanos Pontifices Pium V. & Gregorium XIII. Feretrani Episcopi Sedes, authentico Diplomate, decreta est; Parœciale Sancti Christophori Templum, ab antiquis temporibus, existit; in quo Patres Eremitæ Augustinenses, Horariæ Psalmodiæ, Reique Diuinæ peragendæ mancipati; Sacra Mysteria populo ministrant. Ibi autem, in Sacello celebri Sanctæ Mariæ, quam Nouissimam de Gratijs appellatam voluere maiores; ipsius Matris Dei Sacrosancta Imago, tum

Diploma refertur nouissimè ab Vghello Ital. sac. tom. 2. tit. Leopolitani, seu Feretrani Episc.

A apud

adinuenta, minuatur; prædicta cœperunt reuocare in dubium: quasi non certum sit, vel, an verè fuerint facta; vel, si facta, an verè sint Miracula; vel, si Miracula, an satis de illis constet; ita vt liberè, pro suggesto, enarrari, collaudari, & exaggerari possint; & in eorum memoriam Festa celebrari.

6 Quapropter: ad veritatem hisce de rebus vtcunque latentem, in propatulo collocandam; ad ea, quæ super ijsdem dubia videri possent, enucleanda; ad scrupulos ex illis animis, quibus, per easdem res, iniecti essent, euellendos; ac tandem, ad obstandum imminutioni, & ad promouendum augumentum Pietatis, & cultus in Parentem Gratiarum, ibi maximè, vbi Gratiæ ipsius frequentes, & summæ quotidie fulgent, & coruscant; visum est operæ pretium: Lacrymas, ac Liberationes eiusdemmodi, ad Regulas Theologorum, Philosophorum, ac Iuristarum reducendo, examinare; & quid de ijs sentiendum sit, quasi dissertando, inquirere, & aperire.

§. II.
Proponitur Ordo dicendorum.

7 AD prætactos autem fines, quid, tum super Lacrymis, tum super Liberationibus, tanquam dubium, inquirendum, examinandum, & aperiendum magis distinctè, magísque indiuiduè fit, bene satis apparere profectò non potest; nisi priùs, & Lacrymarum, & Liberationum ipsarum, quasi Factorum quorundam, magis distincta, magísque indiuidua narratio similem de ijs cognitionem tribuens, etiam appareat. Tum quia, *Ex Facto*, vt aiunt, *oritur Ius*; tum etiam quia, cùm illud sit dubium, circa quod habet homo rationes æqualiter, aut quasi æqualiter mouentes; nemo circa aliquid rationem aliquam

adinuenire, atque efformare valet; nisi cognitionem illius antea fuerit adeptus. Quandoquidem (vt primo Posteriorum, capite primo docuit Aristoteles) Discursus, & ratiocinatio quælibet ex præexistenti fit cognitione.

8 Erit igitur valde opportunum: narrationes Factorum, tum Lacrymarum, tum Liberationum distinctè, clarè, & indiuiduè, primo loco, ponere; vt postmodum distinctè etiam, clarè, & indiuiduè, in reliquis, procedatur.

9 Huiusmodi autem narrationes distinctiùs, clariùs, magísque indiuiduè, imò & fideliùs poni posse non videntur; quàm, si antiqua monumenta, quæ de his, Pinnæ Billorum, & in Lapidibus, & in pictis Tabulis, & in Libris extant litteris prodita; totidem verbis hîc exscribantur.

§. III.
Narratur Factum Lacrymarum ex quodam Lapide, & Libro.

10 CRusta lapidibus incisis, pictóque tectorio satis affabrè intertexta; retroactis temporibus, antescriptum Sacellum forinsecus ornabat. Cui crustæ religiosa Recentiorum industria nuper alteram, ad maiorem ornatum, superinduxit; opere quidem intestino, sed pulchris, & cælaturis, & sculpturis, & multo auro, sumptuosè admodum elaboratam. In quodam ergo Lapide ipsius veteris crustæ, quæ, propterea quòd vetus est, ac proinde contecta, nunc ab ijs tantùm inspici potest, qui subter nouam, quà patet aditus, non grauantur intrare; leguntur, Aquilonem versus, isthæc.

PO-

POSTERITATI

DEIPARÆ. IMAGO. HÆC. FVTVRÆ. CALAMITATIS. PRÆSCIA. MISERATA. PLEBEM. TER ATQVE. ITERVM. SICCATAS. QVOT. OCVLATIS. TESTIBVS. ANNALES. DOCENT. LACRYMAS. EFFVDIT. ANNO. A. CHRISTI. NATIVITATE. MILLESIMO. QVADRINGENTESIMO. VNDENONAGESIMO. VIGESIMA. MARTII

11 In quodam autem Libro valde antiquo, quem, ex calamo conſcriptum, Adminiſtratores prædicti Sacelli, apud ſe, cum Scripturis ceteris ad illud pertinentibus, diligenti, atque accurata cuſtodia conſeruant; linguâ Italicâ, priſcâ, rudi, & incultâ, ſcriptum apparet, ipſiſſimis verbis, & ad amuſſim, hoc modo.

A perpetua memoria: come nel 1489 *adi* 20. *de Marzo: la figura de la noſtra Donna Glorioſa Vergene Maria: Quale e in la Capella de la Chieſa de Sancto Criſtophano in la Penna: lacrimo euidentemente da locchio dextro: le qual lacrime piu volte forno aſciutte e ritornauano: intanto che vi remaſe la macchia de la lacrima per el viſo: come chiaramente ſe vede: El qual miraculo ſo viduto per piu & diuerſe perſone ſi foreſtieri come terrieri: quali forno queſti che aparirãnno ſcripti qui de ſotto: & per cagione de dicto miraculo e de le indulgentie che ſono ne laltare de la dicta Capella date perlo Beatiſſimo, & Sanctiſſimo Papa Noſtro Honorio tertio nel M.CC.XXII: come apare per vna Bolla del Reuerendiſſimo in Xpo Patre Meſer Giouanne darimino Veſchouo de Monte feltro: ſo facta vna Compagnia & vna Confraternita: &c.* Et quibuſdam interpoſitis, poſtea ſequitur

Linfraſcripti ſon quelli che ſono ſtati che hanno viduto

con gliocchi soi el miraculo scripto dallato de qua: & fenno tre o quattro volte experientia dhauere asciutto: & sempre ritornaua la lacrima

Maestro Christophano da la Penna maestro in Theologia Priore in questo tempo a la Penna:

Fra Giouanne Perosino Predicatore in questo tempo nel Conuento Primo inuentore & exaltatore predicandola ogni giorno in pergolo:

Fra Giouanmichele da Milano
Fra Georgio albanese } *Conuentuali:*

Fra Herculano da Cesena: Compagno del Predicatore:

Don Francesco da Petra robbia maestro de scola in la Penna:

Piero Antonio Pagornuccio ciptadino fiorentino Vicario de la Penna:

Ser Bernardino da Carmignano suo offitiale:

Ser Angelo dandrea del Zullo:

Ser Benedicto de Franchini:

El Magnifico Giouan Nicolo de i Conti da Carpegno:

El Riccio da Parma Capo de Squadra: al presente da la Penna:

Giouanantonio da Sextino: al presente da la Penna:

Maestro Iuliano spetiale da Piagnano: al presente da la Penna:

Simon del Bailo:

Baptista de Giuliano:

Et altri assai che si trouorono a vedere dicto miraculo:

Atque hæc in eo Libro.

12 Hîc autem, nosse illud oportet omnino: Martij diē vigesimū, de quo in memoratis, & Libro, & Lapide mētio fit; Anno Millesimo Quadringentesimo Vndenonagesimo, quando Lacrymæ, de quibus agimus, effusæ sunt; in tertium diem Veneris eiusdem mensis incidisse; vt etiam su-

suprà tactum est. (Quæ sanè, Pinnæ Billorum, indubia traditio maiorum existimatur, ad posteros propagata.) Idcirco cœpit ibidem agi solemniter idem tertius dies Veneris, anno proximè insequente, etiamsi vigesimus Martij non esset; & sic deinceps factum est semper.

§. IV.

Narrantur Facta Liberationum ex Historia quadam illigata versibus, & Inscriptione Pictæ Tabulæ: Et obscuriora in versibus, appositis Notulis, illustrantur.

13 IAcobus Mastinus popularis meus, & Vir equidem, inter æui sui doctos, atque eruditos, non postremo loco numerandus; Libellum quendam versibus, & prosa composuit, quem, inter ceteras, Oliueriana Bibliotheca, Pinnæ Billorum, retinet, adhuc tamen typis non impressum; atque ita inscriptum, in fronte. *Iacobi Mastini Pinnigena, De primo, & secundo Incursu Etruscorum in Feltrios, & Patriam, cum quibusdam alijs.*

14 In hoc autem Libello, narrans ipse primum ex ijsdem Incursibus, tali præmisso Titulo, *Ad Deiparam, De Conflictu inter Etruscos, & Feretranos, in Campo Acerbo Agri Feretrani*; sic incipit

Tertio [a] *Martis decimo Kalendas,*
Mille [b] *Quingẽtis Domini, atque septẽ,*
Ac decem annis, anxia sæuit hos in
Turba Penates. [c]
Rupit in nostras rabiosus ædes
Tuscus, & rerum cupidus, necisue,
Iuris oblitus; facinus luat quod
Ense nefandum.

NOTVLÆ.

[a] *Tertio Martis, &c.* Die 17. Februarij.

[b] *Mille quingentis, &c.* Anno 1517.

[c] *Hos in Penates.* Patriam intelligit Auctor, hoc est, Pinnam.

con gliocchi soi el miraculo scripto dallato de qua: & fenno tre o quattro volte experientia dhauere asciutto: & sempre ritornaua la lacrima

Maestro Christophano da la Penna maestro in Theologia Priore in questo tempo a la Penna:

Fra Giouanne Perosino Predicatore in questo tempo nel Conuento Primo inuentore & exaltatore predicandola ogni giorno in pergolo:

Fra Giouanmichele da Milano } Conuentuali:
Fra Georgio albanese

Fra Herculano da Cesena: Compagno del Predicatore:

Don Francesco da Petra robbia maestro de scola in la Penna:

Piero Antonio Pagornuccio ciptadino fiorentino Vicario de la Penna:

Ser Bernardino da Carmignano suo offitiale:

Ser Angelo dandrea del Zullo:

Ser Benedicto de Franchini:

El Magnifico Giouan Nicolo de i Conti da Carpegno:

El Riccio da Parma Capo de Squadra: al presente da la Penna:

Giouanantonio da Sextino: al presente da la Penna:

Maestro Iuliano spetiale da Piagnano: al presente da la Penna:

Simon del Bailo:

Baptista de Giuliano:

Et altri assai che si trouorono a vedere dicto miraculo:

Atque hæc in eo Libro.

12 Hîc autem, nosse illud oportet omnino: Martij diē vigesimū, de quo in memoratis, & Libro, & Lapide mētio fit; Anno Millesimo Quadringentesimo Vndenonagesimo, quando Lacrymæ, de quibus agimus, effusæ sunt; in tertium diem Veneris eiusdem mensis incidisse; vt etiam su-

ſuprà tactum eſt. (Quæ ſanè, Pinnæ Billorum, indubia traditio maiorum exiſtimatur, ad poſteros propagata.) Idcirco cœpit ibidem agi ſolemniter idem tertius dies Veneris, anno proximè inſequente, etiamſi vigeſimus Martij non eſſet; & ſic deinceps factum eſt ſemper.

§. IV.

Narrantur Facta Liberationum ex Hiſtoria quadam illigata verſibus, & Inſcriptione Pictæ Tabulæ: Et obſcuriora in verſibus, appoſitis Notulis, illuſtrantur.

13 IAcobus Maſtinus popularis meus, & Vir equidem, inter æui ſui doctos, atque eruditos, non poſtremo loco numerandus; Libellum quendam verſibus, & proſa compoſuit, quem, inter ceteras, Oliueriana Bibliotheca, Pinnæ Billorum, retinet, adhuc tamen typis non impreſſum; atque ita inſcriptum, in fronte. *Iacobi Maſtini Pinnigenæ, De primo, & ſecundo Incurſu Etruſcorum in Feltrios, & Patriam, cum quibuſdam alijs.*

14 In hoc autem Libello, narrans ipſe primum ex ijſdem Incurſibus, tali præmiſſo Titulo, *Ad Deiparam, De Conflictu inter Etruſcos, & Feretranos, in Campo Acerbo Agri Feretrani*; ſic incipit

Tertio [a] Martis decimo Kalendas,
Mille [b] Quingētis Domini, atque ſeptē,
Ac decem annis, anxia ſanis hos in
Turba Penates. [c]
Rupit in noſtras rabioſus ædes
Tuſcus, & rerum cupidus, neciſue,
Iuris oblitus; facinus luat quod
Enſe nefandum.

NOTVLÆ.

[a] *Tertio Martis, &c.* Die 17. Februarij.

[b] *Mille quingentis, &c.* Anno 1517.

[c] *Hos in Penates.* Patriam intelligit Auctor, hoc eſt, Pinnam.

Sole vix orto, peditatus ecce, ac
Splendor armorum radians in altis
Collibus, fulgent rubicunda torno
Signa Leone.

Ecce declinat sitiens crueris,
Nostra rapturus bona cuncta miles,
Agmine & denso furit in minaci
Mœnia vultu.

Palle [d] *conclamat, repetitque Palle,*
Vocibus crebris resonantis echo
Intonat Saxum, strepuere pulsu
Timpana rauco. &c.

[d] *Palle cõclamat, &c.* Grida, Palle, Palle: alludendo ad Insignia Mediceæ Familiæ.

15 Post hæc, descripto Pinnensium timore; confugio eorundem in Templum, ad Dei Genitricis, ante Lacrymis maculatam ipsius Imaginem, præsentem opem implorandam; hostium numero, qui pedites omnes, in tres diuisi classes, erant supra quater mille; & locis demum quibusdam sigillatim Etruriæ, vnde hi pedites fuerant conuocati; narrare pergit, vt sequitur.

Prima [e] *tunc densis acies Billorum*
Lanceis Molem aggreditur, securi
Irruit portas, sonuere postes,
Cardine verso.

Ictibus crebris foribus recisis,
Impete & magno sudibus reiecti,
Iam gemunt vectes, labat icta ab imis
Ianua valuis.

Nititur Saxo, positis cothurnis,
Interim pars repere; quam [f] *Virorum*
Virtus astantum repulit, proculque
Saxea grando.

Inde

[e] *Prima, &c.* Primus hostium impetus, in Arcem Billorum, à primæ classis militibus.

[f] *Quã Virorũ, &c.* Pulsa prima classe, per defensores Arcis Billorũ, quod explicatur ibi, *Quam Virorum, &c.* secunda classis aggreditur Pinnã, quod Auctor intelligit, cùm subdit; *Inde nos contra, &c.*

Hæc

Inde nos contra properat citatis
Passibus classis creperus[g] *secunda*
Miles, an pugnam meliore sit mox
Marte initurus;

Parma quem, testudine curua facta,
Texit: hunc longis sequitur sub armis
Prauia[h] *tectus pedes in phalange:*
Ponè subibant

Scorpius:[i] *sclopo*[k] *necat & timendo:*
Quiue Parmensi, Marathone[l] *telo*
Circuit: gestat rubicunda quique
Signa doloris.[m]

Hæc autem legenti nullum sit mirũ, si appareat hinc, Billorũ Arcem idẽ nõ esse, quod Pinna, seu Arx Pinnæ. Duo enim loca, & nomine, & situ, & muris, & arcibus, quin etiã & regimine, omnino distincta, fuerũt hæc antiquitus; tametsi ambo essẽt inter se fere contigua. Et horum alterum Bilium, alterum verò Pinnam dixere. In vnum verò postmodum ijs cohærentibus; ex duobus nominibus vnicum etiam nomen factum est, Pinnabilium: pro quo, processu temporis, inualuit tandem corruptum illud, quod vsurpamus in præsentia; Pinna Billorum. Apud indigenas tamen, conseruatum est semper, inter ista duo loca, distinctionis nonnihil: ac proinde Bilium, etiam tempore Iacobi Mastini, horum versuum Auctoris, nedum nunc, apud ipsos dictum est Billi, seu Billorum Arx; & Pinna semper antiquum suum retinuit nomen, Pinnam. Et idcirco de ijs, tanquam de distinctis locis; nimirum, vt indigena vsum indigenarum seruãs; in his versibus loquitur Mastinus.

g *Creperus*. Dubius.

h *Prauia tectus, &c.* Pedes habens, ad sui tutamentum, præuiam phalangem.

i *Scorpius*. Scorpium, genus armorum gestans.

k *Sclopo, &c.* Qui sclopo timendo necat.

l *Parmensi, Marathone, &c.* A. Gellius, Noctium Atticarum lib. 10. cap. 25. multa telorum ponit vocabula: quæ etiam refert, & explicat Thomas Dempsterus correctus, Antiquitatum Romanarum lib. 10. cap. 10. Inter illa verò, etsi reperiam Scorpium; nullum tamen reperio telum, quod, vel Parmense, vel Marathum vocitetur. Fortè Auctor adhibuit hæc duo vocabula, duobus bellis, apud Historicos, insignibus alludendo: quorum alterum gestum est, antiquissimis temporibus, apud Marathonem, Atticæ Vrbem, in quo Atheniensium Dux *Miltiades Darij Persæ copias internicione deleuit*, vt (præter Valerium Maximum, lib. 5. cap. 3. atque alios) litteris prodidit Strabo, suæ Geographiæ libro nono; alterum autem gestum est, circa annum Christi 1248. cùm Fridericus II. Imperator, vbi bienio Parmam, Æmiliæ Ciuitatem obsessam tenuisset, à Parmensibus tandem erumpentibus, nil tale metuens fusus, & fugatus est; vt est videre apud Platinam, in Innocentio IV. & apud ceteros. Ac proin-

proinde, à primo bello quædam tela nominare voluit Maratha, quasi Marathonia; sed à secundo quædam alia tela dixit Parmensia; perinde, ac si duobus in hisce bellis, horum vtrorunque telorum, Marathorum, nempe, in Marathonio, Parmensium autem in Parmensi; viguerit vsus. Verùm, an sit hæc mea coniectura verisimilis, & qualia fuerint huiusmodi tela, sic appellata; videant, ac iudicent eruditi.

Hac Lares, [n] *Virgo, serie cohortem*
In tuos soluunt rabidam Duces, qua
Intus ad muros sonat intus, intus,
Clamor ad astra it.
„ *TV, PIA,* [o] *Ignitis oculos furentum*
„ *Percutis dulci Radijs domo pro*
„ *Quò minùs mortem cupidos obire,*
„ *Cernere possent.*
„ *Castra quod Mirum patuit per ipsa,*
„ *Ignibus visis: inimica testis*
„ *Est fides: flammas rutilare Pinnis*
„ *Vidit ab altis.*
Inscius tanti populus fauoris,
Tunc minùs cessat, iaculis, cadenti ac
Imbre telorum, assiduis & hostem
Pellere bombis.
Is cadit læsus lapide, hic sagitta,
Ille transfixo iecore, alter extis
Oppetit fusis, alius iacentem
Irruit armis.

Vi-

m *Dolonis*. Quid sit dolon, videndum est apud Seruium, in illud Virgilij, Æneid. 7.
Pila manu, sæuosq; gerunt in bella dolones.

n *Hac Lares, &c.* Lares in tuos, hoc est, in tuum Sacellum: siue in sacras Ædes, vbi tuum est Sacellum: siue, accipiendo partem pro toto, Pinnam in ipsam, cuius tu, Virgo, te verè tunc Tutricé demonstrasti: (quod manifestè patet in sequentibus:) idcirco, *Lares in tuos soluunt, &c.* Quemadmodum enim Lares vocabantur ab Ethnicis Dij locorũ tutelares; sic cùm pro locis vsurpabant nomen, Lares, loca sub Larium custodia posita intelligebant.

o *Tu, Pia, &c.* Strophes huius, inter ceteras, maximè ponderandæ, „ sensus huiusmodi est. Tu, Pia (subaudi, Virgo) percutis oculos fu„ rentum Ignitis Radijs, quò minùs cernere possent cupidos obire mor„ tem, pro dulci domo.

Atque hoc est cæleste auxilium præcipuum, quo, mirum in modum, atque supra vim naturæ, atque artis ordinem, in hoc hostium primo Incursu, a nostratibus semper creditum est, per Beatam Virginem, fuisse liberatam Pinnam.

p *Vidit*

Vidit[p] *hoc Ductor simulac, recedi*
Iussit à pugna, et reliquos repentè
Tertiæ classis Biliana rursus
Scandere Saxa.

Sensit vt rursum hic laterem lauare,
Pluribus cæsis; iterum Leonem[q]
Febre correptum iubet ad tuas trux
Vertere Pinnas.

Deditos[r] *contra tibi, te fauente*
Iugiter, frustra quoque nos laborans,
Martis aduersi est violenta passus
Funera rursum. &c.

p *Vidit hoc, &c.* Hic recedit secunda classis ab expugnatione Pinnæ: & accedit tertia classis, ad iterum expugnãdam Arcem Billorum, sed frustra.

q *Iterũ Leonem, &c.* Leo erat Insigne, quod in Vexillo præferebant hostes: quod etiam supra notandum erat, ibi; *Signa Leone.* Hostes autem, Pinnæ secundãm expugnationem aggredientes, laborant in cassum omnino, Virgine Beatissima fauente; & perimuntur, vt in sequentibus.

r *Deditos contra, &c.* sensus est. Frustra quoque laborans (intellige, ex præmissis, trux Ductor, siue hostis) contra nos deditos tibi (supple, ò Virgo) te fauente iugiter, passus est rursus violenta funera Martis aduersi.

16 Deinde recensens, quæ, post prædicta, tentarunt hostes, in Agro Pinnensi; quomodo, in ipso discessu, Castrum Maceani depopulati sunt; & præterea maximam cladem, in Campo Acerbo, de quo infrà, in Notis, à Pinnensibus,& Feretranis illatam illis fugientibus;atq; hoc illis carminibus, quorum plerosque, se dabit infrà occasio, referendi: tandem persequens alia Dei Matris admiranda beneficia in nostrates; quòd, scilicet, in tanto tumultu, & prælij, quod in Campo Acerbo commissum est, & præterea totius Incursus, nullus è nostris est mortuus,nullus de suis rebus amisit aliquam, nullus est captus, vno tantùm, ob suam stultitiam,excepto;quòd tubicen ex hostibus, in recedendo, ter sub equo decidit suo; demum,quòd ventis ipsis pulsi sunt, & ignes, & hostes; agendo Reginæ Cæli summas gratias, ita concludit.

Quas

Quas tibi ò laudes meritis popellus,
Diua, pro tantis referet tuus, qui
Hoste seruatus gladio irruente
Sospes, & igne;

Virginum raptus, iuuenumque cædes,
Stupra, tormentum, dedecus, rapinam
Qui tuis euasit ope, ac benigno,
O Dea, nutu?

„*CVIVS in tanto cecidit tumultu*
„ *Nullus, & bello minuit rem, opesue,*
„ *Captus & nemo, voluit nisi vnum ob*
„ *Stultus asellum.*

„ *Quod suo stratus sonipes hero ter,*
„ *Gallicus quando tubicen recessit,*
„ *Qui metum incussit penitus medullis,*
„ *Nonne silebo.*

„ *Quid quòd, heu, sæuos ferus hostis enses,*
„ *Cũque Vulcanum, & Liparim* [a] *parasset,*
„ *Tu Ducem ventis, inimica, Virgo, &*
„ *Castra repellis?*

Mille si voces, totidemque linguæ,
Ora si centum, calamus maderet
Iugiter si Castalio liquore;
Non potis esset.

[a] *Vulcanum, & Liparim, &c.* Quid per Vulcanum, & Liparim intelligat; vide infrà, Parte 1. q. 3. Sect. 4. num. 21.

Atque hæc, ad rem præsentem spectantia, scribit Iacobus Mastinus, narrando primum Incursum.

17 Narrans autem secundum, tali prius Inscriptione præfixa, *Ad eandem Diuam, De secundo Incursu Etruscorum in Felerios, & Patriam*; hoc vtitur principio.

Post

Post Ianum [a] memoranda dies vigesima surgit
Ecce secunda iterũ mensis, sub mille [b] duobus
Quingẽtis viginti annis, venerandaq; Ciues,
Semper & albenti lux annumeranda lapillo,
(Heu miseros!) semi & qua diruta mœnia Tuscus
Perfidus inuasit, furiata mẽte, ruinam
His inferre parãs Laribus, Patriamq; Virosq;
Natali delere solo, nec parcere Templis,
Hos iterũ aggressus frustra trãscẽdere muros;
Qua furibũda cohors latè diffusa per omnem
Obsedit campum, sub propugnacula rursum
Castra trahens, vel Pelide incussura pauorem.
Dic Biliũ, dic Pinna, tibi quid mẽtis erat tũc,
(Tormenti curare nihil genus omne, bicorni
Edita stans Saxo, iactasti sæpius audax)
Millia [c] lustrarẽt te cùm ter quinq; subipsis
Mœnibus hostilis turma? &c.

NOTVLÆ.

[a] *Post Ianum, &c.* Die 22. Februarij.

[b] *Sub mille, &c.* Anno 1522. Tunc enim iterum obsidetur Pinna.

[c] *Milia, &c.* Hostes iterum obsidentes Pinnam, numero, erant quindecies mille.

18 Hinc, recensitis nonnullis; locis, nimirum, quibusdam, vnde hostes conuenerunt; timore Pinnensium ex hostium improuiso accessu, ac numero longè maiore, quàm in primo Incursu; animo eorundem Pinnensium tandem reuocato; ijs, quæ ad Patriæ defensionem, præpararunt; ordine, ac dispositione hostilium copiarum, Bilium, ac Pinnam circumuallantium; ijs, quæ hostiles copiæ, primo impetu, in Billorum Arcem tentauerunt; quo modò repulsæ sunt; & nouo denique Pinnensium, adueniente nocte, ad defensionem apparatu, prosequitur Historiam; sic fatus.

Ast

Ast Vigil, ad quartam castris qui præfuit horam,
Vectus equo, totum, socio comitante, sagaci
Nare, velut [d] *tacito vulpes solet improba gressu*
Vestigare, cauum valeat si fortè, vel arctum
Cortis, aues sternat quò, cuncta altilia, pullos;
Perlustrat Castrum, & toto passim vtitur argo;
In nos castra furens si vertere crastina posset,
Igne Lares, animas cunctorum absumere ferro.
" *CVI* [e] *TV, DIVA, tuũ semper miserata popellũ,*
" *Visendam temet sæpe offers, inter eundum,*
" *Incedens niueo per propugnacula amictu,*
" *Virgineum sugente tuo de pectore nectar*
" *Filiolo. Heroidum, vt par est, chorus ante meabat,*
" *Noctis Apollineo tenebras fulgore ruente;*
" *Te licèt, indignus veluti, custodia quanquam*
" *Peruigil obsessa seruaret mœnia, quisquam (fas.*
" *Viderit haud alius. Diuos homini inspicere haud*
Principio [f] *sed prona Ducis mẽs, cura, animusque*
Excidium in nostrum præceps, in funera, mortes,
Sanguineo saxum voluens, animantia posset
Ense domos, & crudeli quo perdere flamma;
Reginæ aduentum, maiestatemq; supernam
Pro nihilo pendit. Verùm, libuit tibi quando,
Virgo benigna, oculos simulac reserare furentis,
Casuris afferre manus, vel crastina cùm lux
Fulserit, est visum, gladio seruare nefando;
Principis est illata tua ex ò quanta medullis
Formido intuitu, quantus tunc membra pererrat
Horror! Et à visu totus titubatque, tremitque,
Intuitusque, Iouis Matrem te, ait, esse nouelli.
Territus ad Podiũ graditur properè inde Cato-
Collegasque vocat stertentes tutiùs, altè (nem, [g]
Insonat, & nimiæ quidnam incubuere quieti?
Omnem

[d] *Velut, &c.* Verborum Cõparationis huius satis quidem implicatorũ rectus ordo hic videtur esse. Velut vulpes improba solet tacito gressu (subaudi, perlustrare) si fortè valeat vestigare cauum, vel arctum (substantiue) cortis, quò sternat aues, pullos, cũcta altilia.

[e] *Cui tu, Diua, &c.* Hic notãda "est, & maximè "ponderanda B. "Virginis Appa-"ritio.

[f] *Principio, &c.* Implicatus ordo sic explicandus videtur. Sed principio mens, cura Ducis prona, animusque præceps in nostrum excidium, in funera (supple, in) mortes, voluens saxum (prouerbialis locutio: &, voluẽs hæret, Te, animus) quo posset, ense sanguineo, perdere animãtia, et crudeli flamma, domos; pro nihilo pendit aduentũ, maiestatemq; supernã Reginæ, Verùm quando, simul-

Omnē ambisse, refert, Pinnam, valido vndiq; septā
Robore, nec nisi multorum nece, sanguine, casu
Posse capi. Dein Spectamen mirabile visu.
Aggressis [h] malè, quàm desistere consilio non
Incepisse suo, satius fore. Quinque Decembres
Inde recensebat, pedes hìc quòd Feltrius, ausu
Cæsareo nostrum in dedecus (iactura silenda est
Quanta) fugam in turpem nostrorū millia quinq;
Egerit. At nostis, tetro quot carcere trusi,
Actus Arimineis quotus & se iecerit vndis.
Quot tenet, hic taceo tractus: cecidere sub isto [i]
(Omen habēt quæ cūcta malū) met mense, diemet.
Adde, quod ipsorum, qui tunc distabat, adest nunc
Collibus his Princeps: quem, ni vetuere Dei, cras,
Quo furere aggressu, celeri descendere cursu,
Impete quàm forti nos contra stare videbo?
Qui, si fortè suas vires, Aquilamue rapacem
Verterit in nostras acies: si montibus ira
Percitus, amissa descendet pro segete, pro
Villicus agnipero grege, pro vitulaue, sue pro;
De nobis actum esse, reor: (quod Numina vertant:)
Iam vereor, Campo rursum accumulemur Acerbo: [k]
Iam pagana cohors nostrorum læsa nefandis
Ignibus, & fusis pro mœnibus excandescens,
Ardet inire iecur, [l] dextram & fœdare cruentam.
Te dictante, Dea, est hæc, persuadente, locutus
Iam pauidus socijs Heros: quem talibus alter
Ipsorum è contrà iussus cōpellat. ETRVSCÆ [m]
„Gentis, & ò Patria specimen, spes vna, salusque,
„O procerum permagne; meo commissa Senatu
„Summa tuis rerū est humeris: tibi Martis habenas
„Credidit: Auriga es belli: tua iussa sequemur.
Dixerat. Extēplò Tubicen caua timpana pulsat:
Acci-

simulac tibi, Virgo benigna, libuit reserare oculos furentis, afferre manus ca furis, vel visum est, cùm crastina lux fulserit, seruare gladio nefando; ò quanta formido est illata ex tuo intuitu medullis Principis, &c.

g *Podium Catonem*. Pagus est Pinnensis Agri.

h *Aggressis, &c.* Ordo verborum hic est. Satius fore, consilio suo, malè aggressis, incepisse, quàm non desistere.

i *Sub istomet mense, &c.* Hinc patet, per Pinnenses, & Feretranos hostibus fuisse illatam cladem, in primo Incursu, die 23. Februarij.

k *Campo Acerbo.* Cāpus Acerbus locus est, in Feretrana Prouincia, iacens inter flumen Ariminum, & riuum, quem Riuū cauum appellant, & ab indigenis vulgo dictus, *Piana di Carbaiá*.

l *Iecur.* Accusatiuus partis, per Hel-

Acciti veniunt coram : [l] *quis talia mandat.*
Ite citi, cunctis edicite, Signa sequatur
Diluculo sub quisq; sua, atq; hæc castra relinquat.
Inscius at tanti populus metulenta fauoris
Corda timor quatiat pallens licèt, Hectoreos vt
Prouidus ostentent [n] *animos, in vertice Saxi,*
Arce sub antiqua, accensis ad sidera flammis,
Ad muros, & castra vocant, ad mœnia pugnam;
Irritantque hostẽ, veniat, quem cedere mallent.
Tempus [o] *erat, quo iam Phœbe cessura, relicto*
Climate, præcipiti properabat adire meatu
Antipodas: quo iam terræ illustrator Eous,
Aethon &, ignitis sese parere lupatis,
Sponte parant; licèt Auroram complexibus arcens
Se minùs ambisset rutilo Tithonus amictu.
Cornicines in castra cient, iubet aggere ab alto,
Quenque suos frænis equitem impedire recuruis
Cantherios, super & stratis conscendere mannis;
Horrifico turgens proles Missenia cantu:
Timque panista etiam radio fessum citat, hadis
Sæpe repercussis, peditem ad sua surgere signa:
Additur & modulis paribus suspensa labello
Fistula; quæ suadet. sua quenque capessere tela.
Ecce videbãtur, Missam [p] *secus, vndique fusæ,*
In globum sese densa spissare phalange,
Turmæ equitũ, pugnãque, tuba stimulãte, minatur
Hinnitu sonipes crebro, fulgentibus inque
Conspicuus phaleris, scalpens pede saxa superbit.
Et simul Heluetio ascendens monte Sueuus
In gyrum sese glomerat, de more coactum
Agmen agens: sed qui ternis tunc passibus ibat
Omnis, & inde suo miles subit ordine pilo.
Incutiunt acies nitido fulgore pauorem,

Arma-

Hellanismum:

[m] *Etrusca, &c.* Hic notãdus est „ subitus, & mi„rus persuasio„nis effectus, nul„lo contradicen„te.

[n] *Ostentent.* Consẽtit cum nomine collectiuo, populus.

[o] *Tempus, &c.* Verborũ ordo. Tẽpus erat, quo Phœbe iam cessura, relicto climate, properabat adire, celeri meatu, Antipodas: & quo Eous, & Aethon (Solis equi) iam sponte parãt sese parere ignitis lupatis (hoc est, frænis) licèt Tithonus arcens complexibus Auroram, se minùs ambisset rutilo amictu.

[p] *Missam.* Nomẽ fluminis est, vel riu.

[q] *Quem cẽses, &c.* Ordinata verborum constructio sic se habet. Quem animum, mẽtemue fuisse miseris, censes, ò candide Lector, cùm aderat mortis imago volitãs ante oculos tũc, tunc (sub audi, in-

Armaque foliuomis terrent radiantia cristis,
Telorum fragor, erumpens è collibus echo
Percita tergoribus pulsis, & læsa boatu
Multisono bombi lethalis, classica cantu,
Toruaque mugitu astripeto nos cornua cōtra,
Impedimētorū strepitus, resonū nemus omne,
Saxamet, interitū tādem terra ipsa minatur.
Quē q cēses miseris animū, mētemue fuisse,
Ante oculos aderat volitans cū mortis imago,
Candide, virgineum fœdari posse cruenta
Labe, timebamus tūc, tūc, cùm, Lector, honorē
Exhalare animas (rerum iam obliuio cunctos
Magna tenet) pridē cùm sperabamus auitos
(O Crimen perturpe!) senes, nuptāque nurūq;
Cumque sua grato suspensos ab vbere dulces
Filiolos genitrice (nefas ò grande!) parentes
Casuros ferro coram: Patriamque, Laresque
Arsuros: vel fortè superuixisset, iturum,
Si quisq̄. Tusca (sors ò miserāda!) sub hasta?
Hadriacis Titā iā iā emergebat ab vndis,
En, (tibi sic libuit quoniā, Mitissima Virgo)
Prospicimus[1] Montē lætātes Felicianū, (das.
Castraq; Arimineas mox, post cōtēdere ad vn-
Diripiūt amnem supra, triduoque relinquunt
Turriculā exacto Oppidulū. Tibi, Diua, referre
Quas potis est grates seruatus morte popellus,
Quas raptu poterit virgo, tortore iuuenta,
Vulcano Patria hac dignas? DE millibus ictis,
„*Nemo quòd, in tanto rerum, bellique tumultu,*
„*Lethifero cecidit sclopo Res mira! Cadebat*
„*Bacca, sed illæso percussit plumbea panno, &c.*

inquā) cū timebamus, virgin. honorē posse fœdari cruēta labe, cūq; dulces filiolos suspensos ab vbere grato (deest, quos) pridem sperabamus (rerum obliuio magna cunctos tenet) exhalare animas, senes auitos, parētes, nuptamque, nurumque (subintellige, effectos) casuros (supple, timebamus) ferro (ò crimē perturpe, ò grāde nefas!) corā sua genitrice: Patriāq; Laresq; arsuros: vel, si quisquam fortè superuixisset, iturū (o sors miserāda!) sub hasta Tusca: id est, captiuū, & seruū, Etruscorum sub hasta vendēdū? [1] *Prospicimus, &c.* Construenda sunt verba, & explicanda hoc modo. Prospicimusque lætātes castra, hoc est, hostes, qui erant in castris, mox cōtendere ad vndas Arimineas, hoc est, ad flumen, quod latinè dicitur Ariminū, barbarè Maricola, & vulgò *Marecchia*; post ad Mōtem Felicianū, hoc est, ad Mōtem illum, & naturali situ, & arte longè munitissi-

titissimũ, qui, Diocletiani, & Maximiani tẽporibus, à Sancto Leone Dalmata Presbytero pro eremo delectus, ipsius tandem pretiosa morte, ac Ciuitate Feretranæ Prouinciæ prima, quam, de nomine Sancti Leonis eiusdem, dixere Sanctum Leonem; insignitus est. Videndus Petrus de Natal. in Catal. lib. 8. cap. 37. & Cæsar Clem. Arim. Hist. p. 1. lib. 2. Sed hic non est audiendus, dum dicit, S. Leonem fuisse Episcopum.

Scio, non deesse; qui Feretrũ quoq; dicant hunc Montẽ. Lege Bar. tom. 9. an. 963. n. 6. Bened. Gonon. Vit. Pat. Occ. lib. 3. tit. Vit. SS. Mar. & Leon. & alios. At non desunt etiam indigenæ, qui pro Feretro Monte, Prouinciam denominante, non hunc, sed alium assignent.

s *De millibus, &c.* Hic valde notandum est Miraculum aliud à ceteris.

19 Quibus dictis, Mastinus hortatus Patriam, ad beneficij tam magni memoriam retinendã, ad vota soluenda, ad Dei Genitrici gratias agendas, &c. Carmini finẽ imponit.

20 Ex vtroque igitur Carmine manifestè patet vtraque Liberatio Pinnæ Billorum ab armis hostilibus. Ex primo, nimirum, De primo Incursu, prima: quæ quidem accidit, per Ignitos Radios, quibus Pia Dei Genitrix percussit oculos hostium, ne videre possent Pinnenses Patriæ suæ defensores; & per Mira quædam alia, ibi in Notulis obseruata. Ex secundo autem, De secundo Incursu, secunda: quæ ab eiusdem Dei Genitricis per propugnacula incedentis Apparitione, & ab alijs quibusdam Miris, itidem ibi obseruatis in Notulis, clarissimè dignoscitur effecta.

21 Atque hæc omnia strictim inscribuntur in Tabula quadam, vbi Pinnẽsis obsidio pictis coloribus effictа conspicitur; quæque appensa manet in Parœcia Sancti Christophori, de qua suprà: & Inscriptionis tenor hic est.

ANNO. DOMINI. M. D. XVII. ET. ANNO M. D. XXII. DIE. FESTO. DIVI. SIRENI. POPVLVM. HVNC. HOSTIBVS. COANGVSTATVM BIS. OBSESSVM. CLEMENTISSIMA. VIRGO. DEI GENITRIX. IN. NVBIBVS. VISA. MIRO. SPLENDORE. FVLGENS. DIVINO. NVTV. EXTERRITIS. HOSTIBVS. PROTEXIT. AC. LIBERAVIT

Et de Factis Liberationũ hactenus narratum, & dictũ sit.

§. V.

§. V.

Proponuntur inquirenda, cum Ordine suo, cuius ordinis redditur etiam ratio.

22 SVper quibus Factis, Lacrymarum nempe, ac Liberationis vtriusque; tota Inquisitio principalis, atque adeò tota Dissertatio nunc erit quadripartita: iuxta quatuor illa nimirum, quæ, §. 1. iam dictum est, his temporibus à quibusdam reuocari de ijs in dubium. Sed ordinem tamen ibi seruatum, aliquantulùm immutabimus. Ac proinde Dissertationis Prima Pars de illo inquiret, quod Miraculi rationem habet, in huiusmodi Factis. Secunda de Probatione Factorum eorundem. Tertia de Approbatione illius, quod Miraculi rationem, in ijs habet. Quarta demum de Miraculosorum Factorum talium Prædicatione, ac de Celebratione Festorum, per ipsorummet occasionem.

Huius autem ordinis ratio colligetur apertissimè ex discursu insequente.

23 Quandoquidem: Quæstiones illas notissimas, & quidem quatuor, quæ de vnaquaque re moueri possunt, ac solent à Scientiarum Professoribus; diuersimodè diuersi ordinant.

Aristoteles nanq; libro 2. Posteriorum, cap. 1. sic illas proponit; vt primum locum det Quæstioni, Qualis sit: secundum Quæstioni, Propter quid sit: tertium Quæstioni, An sit; & quartum Quæstioni, Quid sit. Et optimè profectò, ad suum intentum.

Intendit enim ibi declarare, quænam sint illa, quæ per Demonstrationem, sciri quæruntur aliquo medio. Et cùm Demonstratio duplex sit, & inter has primum locum teneat Demonstratio, Propter quid, & secundum Demon-

nitiſſimũ, qui, Diocletiani, & Maximiani tẽporibus, à Sancto Leone Dalmata Presbytero pro eremo delectus, ipſius tandem pretioſa morte, ac Ciuitate Feretranæ Prouinciæ prima, quam, de nomine Sancti Leonis eiuſdem, dixere Sanctum Leonem; inſignitus eſt. Videndus Petrus de Natal. in Catal. lib. 8. cap. 37. & Cæſar Clem. Arim. Hiſt. p. 1. lib. 2. Sed hic non eſt audiendus, dum dicit, S. Leonem fuiſſe Epiſcopum.

Scio, non deeſſe; qui Feretrũ quoq; dicant hunc Montẽ. Lege Bar. tom. 9. an. 963. n. 6. Bened. Gonon. Vit. Pat. Occ. lib. 3. tit. Vit. SS. Mar. & Leon. & alios. At non deſunt etiam indigenæ, qui pro Feretro Monte, Prouinciam denominante, non hunc, ſed alium aſſignent.

s *De millibus, &c.* Hic valde notandum eſt Miraculum aliud à ceteris.

19 Quibus dictis, Maſtinus hortatus Patriam, ad beneficij tam magni memoriam retinendã, ad vota ſoluenda, ad Dei Genitrici gratias agendas, &c. Carmini finẽ imponit.

20 Ex vtroque igitur Carmine manifeſtè patet vtraque Liberatio Pinnæ Billorum ab armis hoſtilibus. Ex primo, nimirum, De primo Incurſu, prima: quæ quidem accidit, per Ignitos Radios, quibus Pia Dei Genitrix percuſſit oculos hoſtium, ne videre poſſent Pinnenſes Patriæ ſuæ defenſores; & per Mira quædam alia, ibi in Notulis obſeruata. Ex ſecundo autem, De ſecundo Incurſu, ſecunda: quæ ab eiuſdem Dei Genitricis per propugnacula incedentis Apparitione, & ab alijs quibuſdam Miris, itidem ibi obſeruatis in Notulis, clariſſimè dignoſcitur effecta.

21 Atque hæc omnia ſtrictim inſcribuntur in Tabula quadam, vbi Pinnẽſis obſidio pictis coloribus effícta conſpicitur; quæque appenſa manet in Parœcia Sancti Chriſtophori, de qua ſuprà: & Inſcriptionis tenor hic eſt.

ANNO. DOMINI. M. D. XVII. ET. ANNO M. D. XXII. DIE. FESTO. DIVI. SIRENI. POPVLVM. HVNC. HOSTIBVS. COANGVSTATVM BIS. OBSESSVM. CLEMENTISSIMA. VIRGO. DEI GENITRIX. IN. NVBIBVS. VISA. MIRO. SPLENDORE. FVLGENS. DIVINO. NVTV. EXTERRITIS. HOSTIBVS. PROTEXIT. AC. LIBERAVIT

Et de Factis Liberationũ hactenus narratum, & dictũ ſit.

§. V.

§. V.

Proponuntur inquirenda, cum Ordine suo, cuius ordinis redditur etiam ratio.

22 SVper quibus Factis, Lacrymarum nempe, ac Liberationis vtriusque; tota Inquisitio principalis, atque adeò tota Dissertatio nunc erit quadripartita: iuxta quatuor illa nimirum, quæ, §. 1. iam dictum est, his temporibus à quibusdam reuocari de ijs in dubium. Sed ordinem tamen ibi seruatum, aliquantulùm immutabimus. Ac proinde Dissertationis Prima Pars de illo inquiret, quod Miraculi rationem habet, in huiusmodi Factis. Secunda de Probatione Factorum eorundem. Tertia de Approbatione illius, quod Miraculi rationem, in ijs habet. Quarta demum de Miraculosorum Factorum talium Prædicatione, ac de Celebratione Festorum, per ipsorummet occasionem.

Huius autem ordinis ratio colligetur apertissimè ex discursu insequente.

23 Quandoquidem: Quæstiones illas notissimas, & quidem quatuor, quæ de vnaquaque re moueri possunt, ac solent à Scientiarum Professoribus; diuersimodè diuersi ordinant.

Aristoteles nanq; libro 2. Posteriorum, cap. 1. sic illas proponit; vt primum locum det Quæstioni, Qualis sit: secundum Quæstioni, Propter quid sit: tertium Quæstioni, An sit; & quartum Quæstioni, Quid sit. Et optimè profectò, ad suum intentum.

Intendit enim ibi declarare, quænam sint illa, quæ per Demonstrationem, sciri quæruntur aliquo medio. Et cùm Demonstratio duplex sit, & inter has primum locum teneat Demonstratio, Propter quid, & secundum Demon-

stratio, Quia; proinde primo loco ponit Quæstiones respondentes Demonstrationi, Propter quid; secundo loco Quæstiones respondentes Demonstrationi, Quia. Et cùm inter Demonstrationes, Propter quid, potissima sit illa, in qua quæritur sciri prima passio de subiecto, per medium, quod sit ipsius causa, de qua passione quæritur per, Quale; post quam potissimam Demonstrationem, sequi videtur illa, in qua sciri quæritur, propter quam causam talis passio tali subiecto insit, qua de re quæritur per, Propter quid; ideo primam Quæstionem ponit Qualis sit, & secundam, Propter quid sit. Eodem modo, cùm inter Demonstrationes, Quia, in quibus per effectus quæritur cognosci esse, & quod quid est ipsius subiecti, prima sit illa, in qua quæritur cognosci esse, quàm altera; eo quòd esse, quò ad nos, est notius, quàm quod quid est; ideo tertiam Quæstionem ponit, An est, & quartam, Quid est. Quare Aristoteles secutus est ordinem dignitatis Demonstrationum, in his assignandis, & collocandis Quæstionibus.

Quoniam verò hic ordo ad rem nostram nihil facit; ideo nihil etiam est opus, vt illi adhæreamus in præsentia.

24 Boëtius porrò in principio Prædicamentorum (quod refertur etiam à Dominico Soto, super capite primo libri secundi Posteriorum) docet, de re aliqua quærendum esse primò, An sit: secundò, Quid sit: tertiò, Qualis sit: & quartò, Propter quid sit.

Qua in re, secutus est ordinem naturalem cognitionis nostræ, qui est huiusmodi. Intellectus noster, cognoscendo, exit de potentia in actum. Omne autem, quod exit de potentia in actum; priùs peruenit ad actum imperfectum, & incompletum, quàm ad perfectum. Actus autem perfectus, ad quem peruenit intellectus, est scientia completa: per quam distinctè, & determinatè aliqua cognoscuntur. Actus verò imperfectus, & incompletus est scientia, siue

potiùs

potiùs cognitio imperfecta;per quam sciuntur res indistinctè, & sub quadam confusione. Vnde talis ordo requirit: vt priùs cognoscantur, & sciantur quodammodo res incompletè, & indistinctè, & sub confusione quadam; quàm perfectè, completè, & distinctè. Ceterùm incompletissimè, seù confusissimè, & imperfectissimè cognoscuntur res; quando cognoscuntur sub ratione habentis esse, seu sub ratione entis: quia ens est prædicatum vniuersalissimum, & imperfectissimum. Et ideo prima Quæstio sequens hunc ordinem respicit esse: & dicitur, An sit. Post hanc, incipit intellectus distinguere, & penetrare ipsam rem: primò, vt totum definibile: secundò, vt alicuius principiati principium: tertiò, vt ad aliquid ordinatum. Et ideo: secunda Quæstio respiciens rem, vt totum definibile; est Quæstio, Quid sit: tertia respiciens illam, vt propriæ passionis principium; est, Qualis sit: & quarta respiciens illam, vt quid ad aliquid ordinatum; est, Propter quid sit.

Atque his de rebus videri possunt S. Tho. in 2. Post. lect. 1. & in Tract. De Syllogismo Demonstratiuo, cap. 2. & 1. p. q. 83. a. 3. c. & Caiet. De Ente, & Essentia, q. 1. & Tolet. in 1. cap. secundi Post. & Sotus ibidem, & alij.

25 Hunc autem ordinem, si sequi nunc vellemus (cùm & ipse quoque sit optimus) de Probatione supradictorum Factorum oporteret inquirere in prima Dissertationis Parte; quod Secundæ iam assignatum est. Et ea ratio videtur hoc indubiè concludere: quòd intendens aliquid probare, nihil aliud facit; quàm quærere, An factum tale sit, siue dicamus; existat. Qui enim quærit, An aliquid sit; nihil aliud quærit, nisi, An sit aliquod medium probans, & ostendens, tale aliquid esse. S. Tho. 2. Post. lect. 1. & Arist. ibidem. Et hoc est probare, vt de se patet, tale aliquid esse. Probatio siquidem (quod nullus negabit, & videri potest Siluester v. *Probatio*, in principio) est rei du-

biæ, per argumenta, ostensio. Vnde idem est probare, aliquid esse; & quærere, An aliquid sit. Et idcirco ipse S. Tho. quærendo, An Deus sit, multis in locis, & præcipuè 1. p. q. 2. a. 3. nihil aliud facit; quàm, aliquibus medijs, & argumentis ostendere, Deum esse. Et sic in eadem re alij Theologi. Cùm igitur, ordo naturalis cognitionis nostræ incipiat ab, An sit; & probare aliquam rem esse, sit quærere, An res illa sit; sequitur manifestè: quòd (si sequi vellemus hunc ordinem) Pars illa Dissertationis, in qua probatur, Facta Lacrymarum, & Liberationum supraścriptarum esse; deberet esse omnium prima: & præcedere illam, quam respondentem Quæstioni, Quid, & Quale, primam fecimus; ceteris in ordine suo permanentibus. Atque ita immotus omnino stetisset etiam ordo ille, quem in §. primo tenuimus.

26 Attamen alia ratio mouit, ad non seruandum hunc ordinem, non vndequaque necessarium: ratio, nempe, dignitatis materiæ, quæ in Parte Prima, & in Secunda veniet assumenda potissimum; ad ostendendum intentum. In Parte siquidem Prima, plerumque assumentur, ad hoc, Naturalia quædam, ac Theologica: verùm ad idem assumentur in Secunda, vt plurimùm, Legalia, atque adeò Moralia.

27 Certum est autem: quòd Naturalia, & Theologica præcedunt Legalia, & Moralia: nedum ordine naturæ, quia intellectus simpliciter præcedit voluntatem, & Naturalia, & Theologica, vt huiusmodi per prius spectant ad intellectum; quàm ad voluntatem, quia vt huiusmodi per prius sunt entia, & vera, quàm bona, prioritate saltem naturæ, Moralia verò per prius ad voluntatem spectant, cùm, vt huiusmodi, sint bona; sed etiam ordine doctrinæ. Vnde S. Tho. (vt patet, non solùm ex processu totius suæ Summæ, sed breuiter, & plenè, ex Prologo Primæ Secundæ)

sicut

ficut,differendo de Deo, primò differuit de ipso vno, & trino, atq; adeò de ipsius natura, deinde de his,quæ processerunt ex diuina potestate, secundùm voluntatem, atque adeò de ipsius,quasi moribus,& hoc Prima Parte; sic disserendo de homine, qui ad Dei factus est imaginem, primò differuit de ipso homine secundùm se, & de ipsius natura, & hoc, eadem Prima Parte; deinde de his, quæ per voluntatem, & liberum arbitrium fiunt ab ipso homine, atque adeò de hominis moribus; & hoc Secunda Parte. Et sic semper præposuit Moralibus, ad voluntatémq; spectantibus Naturalia, siue hominis, siue ipsius Dei; quæ sunt, & Naturalia, & Theologica. Ex quibus clarè patet, longè digniora esse Theologica, & Naturalia, quàm ipsa Moralia. Et videri potest circa huiusmodi omnia idem S. Tho. Ethic. lib. 1. lect. 7. post medium; Opusc. 62. per totum; 1. p. q. 16. a. 4. c. 1. & q. 82. a. 3. per totum; 1. 2. q. 13. a. 1. c. & q. 17. a. 1. c. & 2. 2. q. 10. a. 11. c. in principio; Tolet. in Prolegomenis in Octo libros Physicorum, cap. 3. Conimbric. in Proœmio, in eosdem libros, q. 5. a. 1. & alij.

28 Propter hanc igitur causam (supposito tamen pro vero, & existente, quod de Factis iam narratum est, & animo funditus inquirendi de illius veritate, & existentia, quomodo, scilicet, Facta huiusmodi probari possint, in Secunda Parte) visum est optimum factu: præmittere Partibus ceteris, vbi per Moralia procedetur; Partem illam, vbi assumentur Naturalia, & Theologica. Atque ita, Prima Pars respondebit Quæstionibus, Quid, & Quale sit, in esse entis, & naturæ; Secunda Quæstioni, An sit; Tertia Quæstioni, Quale sit, in esse moris; & Quarta Quæstioni, Propter quid sit.

Et huc vsque de Proœmialibus.

PRIMA PARS DISSERTATIONIS.

De illo, quod in iam narratis Factis, & Lacrymarum, & Liberationis vtriusque rationem habet Miraculi.

PRÆFATIO.

Quædam indicantur de Miraculis in genere, quid nempe sit Miraculum, & quotuplex: & nonnulla Difficultate, circa loca quædam Sancti Thomæ, aliquantulùm fusè tractata; proponuntur inquirenda, in hac Prima Parte.

1 AFferenda est in primis Miraculi definitio. Illud ergo (quemadmodum tradit Sanctus Thomas, De Potentia, q. 6. a. 2. c. & 1. p. q. 105. a. 7. argumento 2. & in responsione ad idem, & a. 8. c. & 1. 2. q. 113. a. 10. c.) sic definitur. *Miraculum est aliquid arduum, & insolitum supra facultatem naturæ, & spem admirantis proueniens.* In qua quidem definitione conueniunt communiter ceteri Doctores, etiam ipse Scotus: qui videri potest, q. 2. Prologi Sententiarum n. 11. si placet. Et omnes fundantur in ijs, quæ docet S. Augustinus, in libro De vtilitate credendi, capite 16. tomo 6. consulendus.

2 Declarat autem S. Thomas allatam definitionem a. 7. ad 2. citatæ quæstionis Primæ Partis, hoc modo. *Arduum dicitur Miraculum, non propter dignitatem rei, in* qua

qua fit: sed quia excedit facultatem naturæ. Similiter etiam insolitum dicitur, non quia frequenter non eueniat: sed quia est præter naturalem consuetudinem. Supra facultatem autem naturæ dicitur aliquid, non solùm propter substantiam facti; sed etiam, quantùm ad id, in quo fit, *& propter modum, & ordinem faciendi*. Et semper, vno ex his modis, Miraculum est supra facultatem naturæ. *Supra spem etiam naturæ admirantis dicitur esse Miraculum, non autem supra spem gratiæ; quia gratia est ex Fide, per quam credimus Miraculum resurrectionis futuræ*. Sic ille. Cuius esse constabunt, etiam, quæ intericrim, rotundo charactere, si legatur sequens Articulus, in corpore.

3 Ex hac verò declaratione, cùm triplex excessus appareat, quo aliquid excedit naturæ facultatem, hoc est, excessus quantùm ad substantiam facti, excessus quantùm ad id, in quo fit, & excessus quantùm ad ordinem, & modum faciendi; proinde triplex etiam gradus Miraculorum ex eadem elicitur. De quo triplici gradu, idem S. Thomas, in corpore prædicti Articuli sequentis, hæc habet. *Secundùm quòd aliquid magis excedit facultatem naturæ, secundùm hoc maius Miraculum dicitur. Excedit autem aliquid facultatem naturæ tripliciter. Vno modo, quantùm ad substantiam facti: vt quòd duo corpora sint simul, vel quòd Sol retrocedat. Et ista tenent summum gradum in Miraculis. Secundò, aliquid excedit facultatem naturæ, non quantùm ad id, quod fit; sed quantùm ad id, in quo fit: sicut resuscitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, & similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo; & potest præstare visum, sed non cæco. Et hæc tenent secundum gradum in Miraculis. Tertio modo, excedit aliquid facultatem naturæ, quantùm ad modum, & ordinem faciendi: sicut cùm aliquis per virtutem diuinam subitò à febre curatur, vel sicut, cùm statim aer diuina virtute in pluuias densatur, absque*

consue-

consueto processu naturæ in talibus, quemadmodum factum est ad preces Samuelis, & Eliæ, 1. Reg. 7. & 3. Reg. 18. *Et huiusmodi tenent infimum gradum in Miraculis.* Et hucusque Sanctus Thomas.

4 Cuiuscunque verò gradus, ex dictis, Miraculum sit: Diuiditur illud primò in Miraculum simpliciter, & in Miraculum, quò ad nos.

Miraculum simpliciter dicitur, cùm aliquid excedit facultatem totius naturæ creatæ: hoc est, non solùm naturæ corporalis, seu Angelis inferioris; sed etiam ipsius naturæ Angelicæ: vt cùm duo corpora sunt simul, cùm resuscitatur mortuus, & cùm subitò aliquis à febre sanatur.

Sed Miraculum, quò ad nos, dicitur, cùm aliquid excedit facultatem naturæ creatæ nobis notam; & fit per facultatem naturæ creatæ nobis ignotam: quemadmodum à plerisque Miracula reputantur, non solùm, quæ fiunt à Magis, & Necromanticis; sed multi etiam effectus verè naturales, quorum causas ignorant. Omnia ex S. Tho. 1. p. q. 110. a. 4. ad 2.

5 Diuiditur secundò, in Miraculum respectu naturæ corporalis, seu Angelis inferioris; & in Miraculum respectu totius naturæ creatæ, hoc est, naturæ corporalis, seu Angelis inferioris, & ipsius naturæ Angelicæ.

Miraculum respectu naturæ corporalis, seu Angelis inferioris est; quod non tantùm quò ad nos, sed etiam secundùm se, excedit facultatem talis naturæ: & propter hoc diuersum est à Miraculo, quò ad nos tantùm. Tale esset, v.g. si corpus verè mortuum moueretur, loqueretur, &c.

Miraculum verò respectù totius naturæ creatæ; hoc est, corporalis, seu Angelis inferioris, & ipsius naturæ Angelicæ; est, quod, &, quò ad nos, & secundùm se excedit facultatem totius naturæ creatæ: atque adeò coincidit cum Miraculo simpliciter. Eliciuntur hæc ex eodem S. Thoma, loco citato.

6 Di-

6 Diuiditur tertiò, in Miraculum verum, & in Miraculum falsum.

Miraculum verum eſt, quod habet veram rationem Miraculi: hoc eſt, cui cōpetit definitio Miraculi ſuprapoſita.

Miraculum falſum eſt, quod rationem veram non habet Miraculi; hoc eſt, cui dicta definitio Miraculi non competit. Et hoc duobus obtingit modis. Primò, quandò reuera non eſt, quod apparet; cuiuſmodi ſunt omnia Præſtigia, de quibus pleniùs infra. Secundò, quando, licèt ipſæ res reuera veræ ſint, ſicut, v.g. veræ ranæ, & veri ſerpentes à Magis Pharaonis fuerunt facti; non tamen habent veram rationem Miraculi: quia fiunt, virtute naturalium causarum. Ex S. Tho. 1. p. q. 114. a. 4. c. & 2. 2. q. 178. a. 2. ad 2.

7 Diuiditur quartò Miraculum, in illud, quod fit, ad confirmandam veritatem doctrinæ, quod Deus concedit, vt fiat interdum, non ſolùm à bonis, ſed etiam à malis; & in illud, quod fit, ad teſtificandam facientis Sanctitatem, quod tantùm bonis conceditur. Verùm hîc eſt vnum valde aduertendum (erit enim nobis loco ſuo magno vſui) quòd, tam confirmatio veritatis doctrinæ, quàm teſtificatio Sanctitatis; tendunt principaliter ad hominum vtilitatem. Omnia S. Tho. 3. p. q. 43. a. 1. c. & 2. 2. q. 178. a. 2. c. & ad 3.

8 Diuiditur quintò Miraculum in illud, quod dicitur Virtus, in illud, quod dicitur Signum; & in illud quod dicitur Prodigium, ſeu Portentum.

Virtus dicitur Miraculum, ſecundùm quòd excedit facultatem naturæ: &, per hunc modum, omne verum Miraculum poteſt appellari Virtus.

Signum eſt omne Miraculum, quod fit, ad manifeſtandum aliquid ſupernaturale.

Prodigium tandem, ſeu Portentum eſt Miraculum,

quod

quod sit, ad manifestandum aliquid, quod sit procul; vt sunt, quæ manifestant futura, vel alibi existentia. S. Tho. 2. 2. q. 178. a. 1. ad 3.

9 Posset addi alia diuisio Miraculi, ex his, quæ habet idem S. Tho. in 2. Sententiarum, dist. 18. q. 1. a. 3. c. dum dicit. *Hæc autem*, nempe Miracula, *quandoque sunt supra naturam, quandoque præter naturam, quandoque contra naturam. Supra naturam dicitur esse Miraculum, quando natura non potest in ipsam substantiam facti, sicut diuisio Maris Rubri, suscitatio mortui, & huiusmodi. Illa verò dicuntur præter naturam fieri, in quibus quidem natura potest, quantùm ad substantiam facti; sed tamen præter operationem naturæ fiunt, iussu diuino. Et quòd hæc dicantur Miracula, contingit ex tribus. Primò, propter excessum, & singularem quendam modum: sicut ranæ productæ in Aegypto in tanta multitudine, sicut antea visum non fuerat. Secundò propter hoc, quòd hora determinata contingunt, ad inuocationem diuini nominis: sicut quòd manus Ieroboam extensa contra Prophetam arefacta fuit, & ara eius diuisa, 3. Reg. 13. Tertiò, quando aliquid vniuersaliter contingit: sicut in veteri Lege de aqua Zelotypia, Num. 5. quòd post potum illius, venter adulteræ, diuino Miraculo, putrescebat. Contra naturam autem dicitur fieri, quando in re est aliquid contrarium ei, quod fit: sicut si graue sursum moueretur, & quòd Virgo peperit, vel aliquid huiusmodi; ita quòd Miraculosè sequatur actus, manente contraria natura, quæ scilicet est principium contrarij actus.* Hæc ille.

Attamen ego arbitror, Sanctum Thomam retractasse, ac mutasse isthæc omnia, per supradicta, & per alia; quæ de Miraculis postremò scripsit in Summa. Quod, vt credam, esse verum, duabus rationibus adducor: quæ etsi aliquantùm diffusæ; non tamen erunt ab re, si explicentur. Patebit enim hinc ratio; cur, in processu Dissertationis, loquendo

do de Miraculis, nunquam contra, sed semper, vel supra, vel præter naturam appellem illa. Et

10 Prima est. Quia (vt hinc exordiar) statuit ipse, 1. p. q. 105. citata, a. 6. ad 2. si quid, præter ordinem rebus inditum, Deus faciat; id non esse contra naturam. Atque hoc auctoritate Sancti Augustini confirmat, lib. 26. Contra Faustum, cap. 3. tomo 6. sic dicentis: *Id est cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ*. Miracula vero, quæ omnia sunt præter ordinem rebus inditum nobis notum (vt idem ait a. 7. sequente, in fine corporis) non fiunt principaliter (ex eodem, q. 110. a. 4. c.) nisi à Deo. Per Sanctum Thomam igitur, qui statuit, Deum non facere cótra naturam, si quid præter ordinem rebus inditum faciat; Miracula, quæ principaliter solus Deus, per eundem, facit; nequaquam sunt contra naturam. Sed hæc, vt videmus, tradit Sanctus Thomas in Summa: & per eadem expresse retractat, & mutat vnum ex illis; quæ (vt iam attulimus) in secundo Sententiarum tradiderat: quatenus hîc absolutè negat, esse Miracula contra naturam; quod, de quibusdam saltem, ibi concesserat. Ergo per ea, quæ de Miraculis tradit in Summa postremò; retractat, & mutat, quæ de iisdem iam tradiderat, in memorato Sententiarum secundo.

Et quanuis negari ex alia parte non possit, quin aliqua Miracula sint, in quibus ita Miraculosè contingit effectus, vt remaneat in subiecto, in quo contingit, natura contraria, principium nempe, quod contrarium effectum producere potest, vt accidit, quando peperit Virgo, & accideret etiam, quoties aliquod graue tenderet sursum per Miraculum, quæ in dicto Secundo asserebantur; attamen nullo modo sunt hæc contra naturam. Imò, si verùm est illud principium, quod est allatum ex Summa; Id nimirum cuilibet rei naturale esse, quod ille fecerit, à quo est omnis

mo-

modus, numerus, & ordo naturæ; quasi secundùm naturam, sunt illa potiùs dicenda.

11 Vt autem intelligamus, quo modo, & quare cuilibet rei naturale sit, quod Deus in illa facit (Deus enim est, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ) aduertendum est (ex eodem Sancto Thoma, & citata responsione ad secundum articuli sexti quæstionis centesimæ quintæ Primæ Partis, & De Potentia, quæst. 1. a. 3. ad 1.) quòd, quemadmodum in rebus naturalibus, quando aliquid præter consuetum fit, interdum accidit, vt illud per actionem illius agentis fiat, à quo dependet actio consueta; vt patet in refluxu maris, qui, tametsi ascensio quædam sit, cùm in eo intumescat aqua, & ad littus accedat, atque adeò sit aliquid in aqua præter consuetum, causatur tamen (vt communiter existimant) ab eodem agente naturali, qui naturalem inclinationem fluendi deorsum dedit aquæ, quod illi consuetum est; id quod est asserendum etiam de ascensu grauium, quibus est consuetum descendere, quando præter consuetum ascendunt, ad replendum vacuum, & è conuerso de descensu leuium, quibus est ascendere consuetum, quando ad eundem effectum præter consuetum descendunt: ita in Miraculis (quæ semper præter consuetum agendi modum illius rei fiunt, in qua contingunt) hoc, quod est, fieri præter consuetum, ab actione illiusmet agentis, nempe Dei, deriuat, quæ dat eidem rei naturalem inclinationem agendi, iuxta suum consuetum. Vnde, sicut in rebus naturalibus, tam est naturale agere præter consuetum, quàm agere iuxta consuetum; hoc est, tam est naturale aquæ maris (vt in adducto stemus exemplo) refluere, quod aquæ præter consuetum est, quàm fluere, quod est eidem consuetum, & sic de ceteris; quia horum vtrunque ex naturalis agẽtis impressione ducit originem, quod & inclinationem agendi, iuxta consuetum, imprimit, & in-

& inclinationem etiam agendi præter consuetum, cùm est opus: ita, & in Miraculis, tam quodammodo naturale rei est, in qua contingunt, illud, fieri Miraculosè, præter cõsuetum; quàm eidem naturale esset, fieri aliquid in ea, iuxta consuetum illius agendi modum. Etenim etiam hîc vtrunque oritur ab aliquo, quod illi rei est inditum à Deo, tanquam naturale: fieri videlicet, iuxta consuetum, à potentia naturali, quam res cunctæ, ad proprias, & consuetas operationes, ac motus habent; fieri verò Miraculosè, ac præter consuetum, à potentia, quam obedientialem vocant; qua sibi à Deo tributa, atque adeò quasi naturali, creaturæ omnes ipsi obediunt, in quibuscunque vult.

Atque ita iam bene intellectum est, quo modo, & quare cuilibet rei naturale sit illud; quod Deus, in ea, quomodocunque facit. Vnde intelligitur præterea, benè pariter dictum esse, etiam illa Miracula, in quibus ita contingit Miraculosus effectus, vt in re, in qua fiunt, remaneat contraria natura, siue principium effectus contrarij; non esse vllatenus dicenda contra naturam; sed potiùs, quasi secundùm naturam: quia nimirum, eadem in re, in qua fiunt, propter potentiam ipsam obedientialem, sunt quodammodo naturalia.

12 Ea tamen idem Sanctus Thomas aliquando in eadem Summa, vt præsertim citato articulo sexto quæstionis centesimæ quintæ Primæ Partis, in corpore, & 2. 2. q. 104. a. 4. ad 2. vocat, ***Contra solitum cursum naturæ:*** quemadmodum Sanctus Augustinus, vbi supra, vocauerat illa, ***Contra id, quod nouimus, in natura***, nec sanè immeritò. Cùm huiusmodi Miracula, siue huiusmodi Miraculosi effectus omnino sint effectibus illis contrarij; qui secundùm solitum cursum, & ordinem naturæ contingunt: nisi ipsi naturæ contrarij sint, neque contra naturam sint dicendi.

13 Quia nihilominus contra rerum ordinem simpliciter,

ter, hoc eſt, vt ab ipſo Deo dependet (quod habet item Sanctus Thomas, dicto articulo ſexto, in corpore) nequaquam ſunt, ſed contra rerum ordinem, ſolummodo ſecundùm quid, hoc eſt, vt notum nobis (quod eumdem articulo 7. ſequenti docere, ſupra vidimus) & quod eſt contra aliquid, non ſimpliciter quidem, ſed ſecundùm quid duntaxat (vt bene Caietanus notat, 1. 2. q. 88. a. 2. verſ. ***Ad tertium***) *vocatur vno vocabulo, Præter*, non Contra illud, nec etiam ſecundùm quid; idcirco ipſe Sanctus Thomas in eadem Summa, & maximè in ipſa explicatione definitionis Miraculi, vt vidimus, quæcunque Miracula vocat, vt plurimùm, vel præter naturæ conſuetudinem, vel præter ſolitum curſum naturæ, vel ſimiliter; etiamſi re ipſa ſint contra ipſum rerum ordinem, vt explicatum eſt.

14 Sed antequam procedamus vlteriùs, hîc vnum aduerto: me nimirum haud arbitrari (propterea quòd aſſirmauerim cum Sancto Thoma, eſſe Miracula quodammodo naturalia, & quaſi ſecundùm naturam illarum rerum, in quibus fiunt, cùm à potentia obedientiali, quæ creaturæ quaſi naturalis eſt, aliquo modo naſcantur) huiuſmodi concluſionem quempiam illaturum: Ergo Miracula non excedunt naturam. Certum enim eſt: quod fit in creatura, iuxta potentiam obedientialem, & quaſi naturalem ipſi, qua non illa quidem operatur, ſed operanti Deo poteſt in cunctis obedire; illud ex naturali potentia, qua ipſa ſibi conſueta, & connaturalia operatur, nullo pacto fieri. Excedunt ergo prorſus Miracula, quæ omnia ſic fiunt; potentiam naturalem, & operatiuam creaturæ: tametſi potentiam eiuſdem obedientialem, nec operatiuam, quam non naturalem ſimpliciter, ſed quaſi naturalem appellauimus; non excedant.

15 Secunda ratio eſt. Quia Sanctus Thomas in ſuæ Summæ duobus ex ijs locis, quos in principio Præfationis huius

huius allegauimus, hoc eſt, 1. p. q. 105. a. 7. ad 2. & ibidem, a. 8. c. quodcunque Miraculum facultatem excedere naturæ, atque adeò ſupra naturam eſſe, verbis expreſſis declarat. Quatenus tradit, non ſolùm illud Miraculum, quod eſt huiuſmodi, quantùm ad ſubſtantiam facti; ſed illa etiam, quæ talia ſunt, & quantùm ad ſubiectum, in quo fiunt, & quantùm ad modum, & ordinem, quo fiunt, qui ſunt tres illi modi, quibus omnia Miracula patrantur, & ideo tres illos Miraculorum gradus conſtituentes, ad quorum aliquem vnumquodque Miraculum reducitur; facultatem naturæ tranſcendere. Retractat ergo per hæc, & mutat, abſque dubio, illud aliud, quod in eodem Sententiarum ſecundo affirmauerat, dum dixit: Miraculum ſupra naturam eſſe, quando natura non poteſt in ſubſtantiam facti: ſi verò natura poſſit in ſubſtantiam facti; Miraculum eſſe non ſupra, ſed præter naturam.

16 Et bene quidem ita retractat, & mutat. Quia, tametſi eſſe ſuprà naturam, non ſit idem, atque eſſe præter naturam; cùm eſſe ſupra naturam dicatur Miraculum per comparationem ad facultatem naturæ, quam ſemper excedit, quocunque modo ex tribus illis iam dictis fiat; eſſe verò præter naturam idem dicatur, per comparationem ad ſolitum curſum, & ordinem naturalium rerum, præter quem itidem ſemper contingit; vnde eſſe ſupra naturam, & eſſe præter naturam ſunt duo reſpectus tantùm, quibus Miraculum diuerſimodè reſpicit naturam: ex eo tamen, quòd inter Leges bonæ diuiſionis Logici ponunt illam, vt membra diuidentia ſint ad inuicem oppoſita, & vnum ab altero non contineatur, apertè ſequitur (etiam poſtpoſitis rationibus alijs) vt illa diuiſio Miraculi, qua diuidebatur in aliud, quod eſt ſupra naturam, & in aliud, quod eſt præter naturam; idcirco maximè, tanquam fortè non bona, retractanda, ac mutanda eſſet; quia, cùm quodcunque Mira-

culum excedat facultatem naturæ, aliquo ex prædictis tribus modis; & pariter, sic excedendo, accidat etiam præter solitum ordinem, & cursum naturalium rerum; hæc duo membra, Esse nimirum supra naturam,& Esse præter naturam, hac in re, non sunt ad inuicem opposita; sed ex illis vnum continet alterum.

17 Propter quam mutuam continentiam, ego puto factum etiam esse: vt Sanctus Thomas, loquendo in eadem Summa de Miraculosis factis quibuscunque; indifferenter aliquando dicat, esse illa supra naturam, vt in proximè allato articulo octauo; aliquando verò præter solitum, & consuetum ordinem naturæ, vt eadem 1. p. q. 110. a. 4. quasi per totum, 1. 2. q. 113. a. 10. in c. & in responsionibus ad argumenta, & alibi. Dicens enim ex his vnum expresè; tacitè, propter mutuam continentiam, dicit etiam & alterum.

18 Atque hæ, quas adhuc exposui, sunt rationes, quibus me adduci, ad credendum, asserui; Sanctum Thomam, in Summa, retractasse, ac mutasse Miraculi diuisionem commemoratam; quam eundem posuisse, vidimus in secundi Sententiarum iam adducto loco.

20 Neque obstant exempla Miraculorum ibidem allata, tanquam propter illa sint constituẽdæ, seu concedendæ tres illæ Miraculorum species, quæ ex ea diuisione resultant. Facillimum nanque esset, tum ad prædictos gradus Miraculorum, tum ad eas, quas eorundem enumerauimus iam suprà species, ipsa reducere, Propter quam facilitatem, nihil arbitror, hac in re nunc esse ampliùs immorandum,

Cùm itaque diuisio Miraculi, quam ex his omnibus præsumimus retractatam, ac mutatam, admittenda non videatur, cetera duntaxat, vtpote solidiora, nobis erunt in sequentibus vsui; quæ præter illam, de Miraculis generatim

tim (de quibus ad præsens institutum iam est dictum satis) hucusque disseruimus.

21 Si quis tamen plura de illis vellet; is adeat, & Sanctum Augustinum, tum libro Quæstionum Octuagintatrium, quæstione 79. tomo 4. tum lib. 10. cap. 16. & lib. 22. cap. 9. & 10. De Ciuitate Dei, tomo 5. tum lib. De Vtilitate credendi, cap. 16. & lib. 26. contra Faustum Manichæum, tomo 6. suprà cit. tum alibi, & Sanctum Thomam locis omnibus iam adductis; & Alexandrum de Ales, 2. p. q. 42. & 43. per totas; & Gregorium de Valentia, Commentariorum Theologicorum tomo 1. disputat. 8. quæst. 4. puncto 2. & Benedictum Pererium, De Magia, lib. 1. cap. 8. & Ioannem Franciscum de Pauinis, in Relatione, circa Canonizationem Sancti Bonauenturæ, secũda parte, art. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. quæ habetur tomo 2. Opusculorum eiusdem Sancti Bonauent. in principio; & Hieronymum Menghium, in suo Cælesti Thesauro Italicè conscripto, lib. 3. per totum; & alios.

22 His igitur prælibatis: De illo, quod Miraculi rationem habet, in prænarratis Factis, Quæruntur tria.

Primò. *An emissio Lacrymarum ex Oculo dextero Sacrosanctæ Imaginis Beatæ Mariæ Nouissima de Gratijs nuncupatæ, Pinnæ Billorum, existentis; fuerit Miraculum.*

Secundò. *An Liberatio Pinnæ Billorum ab armis hostilibus, per Ignitos Radios, per quos hostium ipsorum oculi percussi sunt à Dei Genitrice, ne possent videre Pinnenses propriæ Patriæ defensores, fuerit Miraculum.*

Tertiò. *An Liberatio Pinnæ Billoram ab armis hostilibus, per Apparitionem eiusdem Dei Genitricis per propugnacula incedentis; fuerit Miraculum.*

QVÆSTIO PRIMA.

An emissio Lacrymarum ex Oculo dextero Sacrosanctæ Imaginis Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs nuncupatæ, Pinnæ Billorum, existentis; fuerit Miraculum.

1 RESpondetur, dicendum: Quòd natura creata (vt ex præmissis patet) duplex est. Vna corporalis, seu Angelis inferior: altera spiritualis, seu Angelica. Cùm ergo Miraculum naturæ facultatem excedat, vt est visum; examinanda est talis emissio Lacrymarum dupliciter. Primò in ordine ad naturam corporalem, seu Angelis inferiorem: & secundò in ordine ad naturam spiritualem, seu Angelicam. Vnde Quęstio in Sectiones duas diuidenda est: in quarum prima primum, & in secũda secundum examinabitur. His tamen finitis, addẽtur Appendices duę, Sectionis vtriusq; communes.

SECTIO PRIMA.

Examinatur emissio Lacrymarum prædicta, in ordine ad naturam corporalem, seu Angelis inferiorem.

NE prolixitas fastidio sit; hæc distribuetur Sectio tres in Paragraphos: quorum tertius erit rursum distinguendus: imò vni ex illius Distinctionibus iungetur quædam Digressio, quæ præterea secabitur in duas alias Particulas.

§. I.

§. I.

Resoluitur, emissionem hanc Lacrymarum, consideratam, vt hic in titulo Sectionis est positum, esse Miraculum: &, probatione inchoata, indeque indicato, cuiusnam gradus hoc sit Miraculum; monstratur, in quo sit insistendum, ad eam prosequendam.

1 DIco itaque ante omnia. Prædicta Lacrymarum emissio, in ordine ad prædictam naturam corporalem, seu Angelis inferiorem, verè fuit Miraculum.

Probatur. Quia, vt præmisimus, Miraculum est aliquid arduum, & insolitum, supra facultatem naturæ, & spem admirantis proueniens. Talis emissio Lacrymarum in ordine ad prædictam naturam fuit huiusmodi; ergo talis emissio Lacrymarum, in ordine ad prædictam naturam, fuit Miraculum.

Minor patet. Quia talis Lacrymarum emissio excessit facultatem naturæ corporalis, seu Angelis inferioris; quantùm ad id, in quo facta est. (Vnde, & fuit Miraculum secundi gradus.) Potest enim natura corporalis, seu Angelis inferior causare Lacrymas; sed nec potest, nec potuit vnquam causare illas, in Oculo dextero, prædictæ Imaginis.

Atque hoc est illud, in quo tota consistit præsens Difficultas.

2 Quare toto conatu adnitendum est, in ostendendo efficaciter, & distinctè: quòd natura corporalis, seu Angelis inferior, nec potest, nec potuit vnquam causare Lacrymas, in Oculo dextero admodum Venerabilis Imaginis Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs nuncupatæ, Pinnæ Billorum, existentis, vllo modo. Hoc autem, sequentibus Pa-

ragraphis, fiet manifestum. Qui, cùm Lacrymæ, super quibus discurrere debemus ad propositum, sint vel Propriæ, vel Metaphoricæ (non enim dantur aliæ, quod est clarum) duo tantùm erunt: alter, in quo, ad idem, de Lacrymis Proprijs erit sermo; alter, in quo de Metaphoricis.

§. II.

Definito primùm, Lacrymæ Propriæ quid sint; ostenditur, naturam Angelis inferiorem Lacrymas, de quibus loquimur indiuiduè, vt Proprias, emittere non potuisse.

3 SI sermo igitur fiat de Lacrymis Proprijs, quæ nihil aliud videntur esse, quàm humor quidam, vel quidam humidus vapor promanãs ex oculis veris, & aliquam animi, vel corporis passionem fere latentem significans; qua de re nonnihil videri potest, apud Aristotelem, Problematum sect. 5. problemate 35. & De partibus animalium, lib. 3. cap. quinto; Lacrymæ istiusmodi, aut habent originem à corde, aut à cerebro, aut ab vtroque. Et hæc omnia, per ordinem, explicanda sunt.

4 Quòd quidem habeant originem à corde; ita vt, per compressionem spirituum circa cor, exhalationes ascendant ad cauitates cerebri; quæ postea destillatæ, per meatus oculorum emittantur; esse videtur sententia Sancti Basilij Magni, in Concione De gratiarum actione, per hæc verba. *Lacryma*, inquit, *ex improuiso incursu, velut plaga quadam animam verberante, ac contrahente, dum spiritus circa cor comprimitur; generari solent &c.* Et paulò post: *Contingit aliquem lacrymari, quando cerebri cauitates exhalationibus ex tristitia repleta; per oculorum meatus, velut canales quosdam, humoris onus eijciunt, &c.* Vbi ponderan-

randum, quod dicit, *Ex tristitia*. Tristitia siquidem, vt paulò infra demonstrabitur, passio corcomprimens est.

5 Quòd autem habeant originem à cerebro, videtur deduci ex Anatomia. Vnde Anatomistæ (vt videre est apud Realdum Columbum, De re Anatomica, lib. 10. cap. vnico, circa medium, & apud Andream Laurentium, Hist. Anatomicæ lib. 11. cap. 8.) quasdam carunculas, seu glandulas in angulis interioribus oculorum assignant; quæ humorem à cerebro defluentem excipiunt; & per compressionem, seu dilatationem, seu aliquid aliud, in Lacrymas emittunt.

6 Quòd tandem habeant originem ab vtroque, videtur verius: tum, si loquamur de Lacrymis ex aliqua passione animi procedentibus; tum etiam si de alijs.

A cerebro quidem: quia semper cerebrum materiam Lacrymarum subministrat: propterea quòd necesse est, vt & per se, & ex sua natura (quia scilicet frigidum, & humidum est) & per accidens (ratione scilicet situs editissimi, & quia quasi caminus est corporis vniuersi, & eiusdem corporis trunco, cucurbitulæ instar, insidet) ab inferioribus vapores omnis generis sorbens, excrementitijs humoribus abundet: vt asserit idem Andreas Laurentius, eiusdem Historiæ lib. 10. q. 12.

7 A corde autem: quia etiam cor eandem subministrat materiam. Facit enim euaporare viscera omnia, quæ euaporant per asperam arteriam ad cerebrum. Facit quidem euaporare viscera: quia cor est quasi lar, & focus corporis vniuersi, Fons caloris; & sol hominis: Arist. De partibus animalium, lib. 3. cap. 7. Reald. Columb. De re Anat. lib. 7. cap. vnico. And. Laurent. Hist. Anat. lib. 1. cap. 2. & lib. 9. cap. 10. Et omnis euaporatio excitatur à calore: idem Arist. 1. Meteororum, summa 2. cap. 1. Auctor Epitomes omnium Operum Galeni, sect. 4. lib. 1. cap. 8. Vicomercatus

catus; tract. 1. Meteor. commento 24. & alij. Facit autem euaporare viscera per asperam arteriam ad cerebrum; quia (vt supra dictum est) caput, & cerebrum sunt quasi caminus vniuersi corporis animalis, & cucurbitulæ instar: & ideo sunt quasi quoddam, vt aiunt, Recipiens dictorum, vi caloris cordis, eleuatorum, & per asperam arteriam ascendentium vaporum.

8 Rursum à cerebro: quia nulla passio appetitus sensitiui, qualis est tristitia, gaudium, timor, ira, &c. mouetur, nisi antecesserit sensitiua apprehensio. Motus enim appetitus sensitiui apprehensionem sensitiuam consequitur. Quandoquidem appetimus ea; quæ per corporis sensus apprehendimus; & corporis sensus ad sensualitatem, quasi præambuli, pertinent: S. Tho. 1. p. q. 81. a. 1. c. quod, & Peripatetici, & Medici etiam communiter docent; vt est videre, prætermissis alijs, in tractatu De tuenda Valetudine Viuiani Viuianij, pagina in codice, qui fuit ad manus, 149. Apprehensionem autem sensitiuam fieri in cerebro, vel ex cerebro; tradunt itidem, & Medici, & Peripatetici communiter: vt legi potest apud Andream Laurentium supra citatum, lib. 10. q. 4.

9 Rursum etiam à corde: quia passiones omnes sunt motus appetitus sensitiui. S. Tho. 1. 2. q. 22. a. 3. c. Appetitus autem sensitiuus habet suam sedem, & subiectatur in corde: Toletus, 3. De Anima, q. 26. conclusione 2. & Viuianus Viuianius, De tuenda Valet. pag. 148. Et, cùm sit potentia organica; pro organo habet spiritus, & sanguinem cordis; S. Tho. q. citata, a. 2. & a. 3. c. & Viuian. loco citato.

Iam verò tristitia, seu dolor infrigidat. Dolor enim refrigeratio pectoris est; Arist. Problematum sect. 11. problem. 13. Frigoris autem est condensare, & constringere; idem Arist. Problem. sect. 2. problemate 35.

Gau-

Gaudium autem, seu delectatio, vel lætitia dilatant: S. Tho. 1. 2. q. 33. a. 1. quod est proprium caloris; Albertus Magnus, 2. Meteor. tract. 1. cap. 31. Vicomercat. 1. Meteor. comm. 24. & 61. & alibi.

Timor etiam infrigidat: Arist. Problem. sect. 14. probl. 8. & alibi. Sicut ira calefacit; *Est* enim *accensio sanguinis circa cor*; Arist. Problem. sect. 2. probl. 26. S. Tho. 1. 2. q. 22. a. 3. ad 3. & alibi.

Spiritus autem vitalis cordis, & ipsius spirituosus sanguis, per arterias, distribuitur, transmittitur, ac diffunditur in vniuersum corpus. Andr. Laurent. Hist. Anat. lib. 4. cap. 9. & 10. Et idem est motus cordis, & arteriarum; vt ex Galeno, libro De vsu pulsuum 1. De præsagit. ex pulsibus 3. cap. 3. & alibi; docet idem Laurent. lib. 9. q. 10.

10 Vnde restricto, seu dilatato corde, & consequenter restrictis, seu dilatatis arterijs cum spiritibus, & sanguine spirituoso cordis, per dictas passiones; restringantur etiam, seu dilatentur correspondentes partes, inter quas, vna est cerebrum; necesse est. Et ex hac constrictione, seu dilatatione fluunt ex oculis Lacrymæ, ex aliqua passione procedentes. Et hinc dolentes, & timentes, per constrictionem; & gaudentes, & irati, per dilatationem, lacrymantur. Constrictio enim per dolorem, seu timorem effecta comprimit meatus caruncularum, seu glandularum, de quibus fecimus mentionem supra; & dilatatio, per gaudium, & iram, eosdem meatus aperit: & sic meatibus compressis, vel apertis; decidunt ex oculis Lacrymæ. Dominicus Leonius; Artis medendi sect. 1. lib. 3. cap. 11.

11 Si verò Lacrymæ non procedant ex passione animi quadam, sed sint morbosæ; & habeant, aut causam intrinsecam, qualis est diminutio lacrymalis carnis, seu dictarum glandularum, atque etiam debilitatio virtutis retentiuæ, siue alteratiuæ, siue expulsiuæ oculorum, seu cerebri, & par-

partium eorum, qualis est etiam materia redundans, vel sua mordacitate stimulans expulsiuam virtutem; aut habeant causam extrinsecam, qualis est fumus, frigus, puluis, acrium contrectatio, &c. quæ omnia constringunt, & comprimunt exteriores partes oculorum; in tali generatione Lacrymarum concurrunt etiam cor, & cerebrum. Cor quidem valde remotè; cerebrum autem proximè materiam subministrans: ex eodem Leonio, ibidem.

12 Quocunque autem modo ex dictis habeant originem Lacrymæ; certum est: semper emitti per sua instrumenta, & organa naturalia; tum intrinseca, tum extrinseca. Quicunque autem actus est corporalis, vel organicus, sine corpore fieri non posse, aut organo corporali, vt v.g. ambulare sine pedibus; indubitatum est. Arist. De generat. animalium, lib. 2. cap. 3.

Non ergo fieri possunt Propriæ Lacrymæ, sine suis organis, & instrumentis, quales sunt oculi, cum suis partibus, carunculæ, seu glandulæ, cerebrum, cor, &c. Hæc in supradicta Imagine Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs nunquam inuenta sunt, quod superuacaneum esset ostendere; cùm in muro coloribus depicta sit, vt suo loco iam scripsimus; igitur in eadem Imagine Lacrymæ propriè dictæ nunquam, vllo modo, potuerunt, aut possunt inueniri, vi naturæ corporalis, vel Angelis inferioris. Atque hæc de proprijs lacrymis.

§. III.

Discurritur, ad intentum, de Lacrymis Metaphoricis, vel Similitudinarijs.

QVia discursus erit satis diffusus, Paragraphus distinguendus est.

DI-

DISTINCTIO PRIMA.

Lacrimae Metaphoricae, vel Similitudinariae, quae sine dubio, possunt emitti ex oculis alicuius Imaginis; Quid sint: Quare dicantur, & Lacrymae, & Metaphoricae, vel Similitudinariae. Et Quot, & Quibus modis possint naturalem originem habere.

13 LAcrimae autem Metaphoricae, vel Similitudinariae (vt de his etiam sermo instituatur) emitti quidem profectò possunt ex oculis alicuis Imaginis. Nihil enim aliud sunt, quàm quidam humor ex oculis non veris, sed fictis; aut pictis, aliquo modo, promanans.

Qui sanè humor nomine Lacrymarum venit; quia est humor manans ex oculis: & humorem omnem ex oculis manantem venire nomine Lacrymarum; tradere videntur scribentes de vi, ac potestate dictionum Latinarum, cuiusmodi sunt Ambrosius Calepinus, Robertus Stephanus, & ceteri, in suis Dictionarijs, ac Thesauris.

14 Vt autem clarè, distinctéque intelligatur, huiusmodi humorem de genere Propriarum Lacrymarum haud quaquam esse, licèt nomine Lacrymarum veniat;

Notandum est: Quòd, in hoc humore, duo sunt consideranda.

Primum: Quòd manat ex oculis, sed fictis, aut pictis, & non veris. Vnde caret proprijs, & solitis principijs Lacrymarum, instrumentis, & organis. Imago enim non habet cor, non cerebrum, non glandulas, &c.

Secundum: Quòd significare solet, vel portendere aliquid, quod sub sensum non cadit. Interdum enim significat.

cat solummodo, latere quidpiam intrinsecùs humoris, in corpore, vnde promanat; qui, vel ex abundantia, vel ex alia tali causa, per fictos, aut pictos oculos, contingit, vt erumpat. Interdum verò portendit, & præmonstrat etiam futura: Atque hoc modo, Sanctus Augustinus, lib. 3. De Ciuit. Dei cap. 11. tomo 5. refert; simulacri Apollinis Cumani Lacrymas, Græcorum indicare cladem, fuisse quondam creditas. Cùm enim, bellantibus Romanis aduersùs Achæos, & Aristonicum, Romæ nunciatum esset, simulacrum istiusmodi fleuisse quatriduo, à varijsque propterea varia dicerentur; *Tunc verò*, inquit ipse, *peritiores acciti Haruspices responderunt: Simulacri Apollinis fletum, ideo prosperum esse Romanis; quoniam Cumæ colonia Græca esset: suisque terris, vnde accitus esset, idest, ipsi Græciæ luctum, & cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox Regem Aristonicum victum, & captum esse, nunciatum est; quem vinci vtique Apollo nolebat, & dolebat; & hoc sui lapidis etiam Lacrymis indicabat*. Hæc Sanctus Augustinus. In quem locum videndus est etiam Ludouicus Viues, qui addit insuper Iulij Obsequentis, in fragmento libri De Prodigijs, ipsa verba, Lacrymationem hanc Apollinis Cumani, cum quibusdam alijs huic rei congruentibus, narrantia.

15 Quò ad primùm. Licèt hic humor habeat primam partem rationis formalis Lacrymarum, quia manat ex oculis; eam tamen non habet propriam, quæ (vt ex Lacrymarum Propriarum definitione suprapo sita patet) in eo sita est, quod est manare ex oculis veris: sed metaphoricam solùm, & similitudinariam. Quia, sicut Lacrymæ Propriæ manant ex oculis veris; ita hæ manant ex oculis fictis, vel pictis.

16 Sic dicendum est, quò ad secundum. Quia, licèt habeat idem humor alteram partem rationis formalis Lacry-

crymarum; eam tamen, vt dictum est de prima, non habet propriam: (quæ, vt ex eadem definitione constat, in eo consistit, quod est, passionem aliqnam, vel animi, vel corporis fere latentem indicare;) sed per Metaphoram, ac Similitudinem duntaxat. Quia, sicut Lacrymæ Propriæ significant, quod modò dixi; ita dictus humor significare solet latens aliquid, vel portendere futurum, quod sensui tunc obuium non apparet; vt explicatum est.

Atquæ hinc satis bene percipitur, dictum humorem de genere Propriarum Lacrymarum nullo modo esse; sed dici debere Metaphoricam, vel Similitudinariam Lacrymam; vel, vt dicamus fortè propriùs, Analogicam: Analogia, nimirum, illa, quam proportionalitatis appellant.

De qua Analogia consulatur maximè Caietanus, tomo 3. Opusculorum, tract. 5. qui est, De nominum Analogia, cap. 3. quem secutus sum; quíque apertè tale Analogum proportionalitatis, vocat etiam (quemadmodum, & vocaui ego) Metaphoricum.

17 Lacrymæ igitur Metaphoricæ, vel Similitudinariæ, vel Analogicæ, ex oculis alicuius Imaginis emanantes, & sic declaratæ; possunt naturalem originem aliquam habere, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco.

Ab intrinseco quidem: si superficies, in qua Imago picta, vel sculpta est; sit superficies alicuius corporis, de intrinseca sui natura, laxi, humidi maximéque soluti (ex Arist. Problematum sect. 2. problemate 10.) quod vi alicuius caloris euaporet: ex eodem, De Partibus animalium, lib. 3. cap. 5.

Ab extrinseco autem dupliciter.

18 Primò, si superficies eadem sit superficies, vel parietis alicuius recèns ædificati, atque adeò retinentis adhuc extrinsecam, atque accidentariam humiditatem, quæ, ad temperandam calcem, fuit inducta; vel alicuius corporis, quod

quod à posteriore, aut alia quauis, nõ anteriore parte, quæ detecta supponitur, contiguum habeat aliud corpus humidum, humiditatem communicare valens; vel alterius corporis, quod sit expositum stillicidijs, aut pluuijs, & similibus. Videri potest Arist. De partibus animal. lib. 2. cap. 2. & 3.

19 Secundò, si superficies eadem valde frigida sit, vel per se, vel per aliud; & accidat, vt ambiatur ab aëre calido, & vaporoso. Tunc enim, per quandam antiperistasim, aër, ob superficiei dictæ frigus, condensatur in modum vaporis; & sic aër, & vapores, quibus repletur, condensati, in guttas quasdam resoluuntur; quæ videntur in ipsa superficie, tanquam lacrymæ defluere. Paulus Venet. in Summa Meteor. cap. 4. & 9. Iauellus, in Epitome lib. 3. Meteor. cap. 3. &c.

DISTINCTIO SECVNDA.

Considerata intrinseca, & specifica natura muri, in superficie cuius est picta B. Mariæ Imago, quæ Pinnæ Billorum lacrymata est; concluditur: huiusmodi Lacrymas, quæ Metaphoricæ quidem, vel Analogicæ tantùm sunt; vi naturæ inferioris, ab intrinseco, emitti non potuisse.

20 IAm verò: superficies illa, in qua picta est Benedicta Imago Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs, Pinnæ Billorum existens; quæ, cùm lacrymata sit, non alias Lacrymas emisisse affirmari potest, ex dictis, nisi Metaphoricas, vel Analogicas; est superficies cuiusdam parietis, vel muri; quod suprà diximus. Vnde intrinseca, & specifica natura

natura parietis, vel muri considerandа est: vt videamus; Num ab intrinseco respectu illius, vi naturæ corporalis, & inferioris, Metaphoricæ, vel Analogicæ huiusmodi saltem Lacrymę potuerint, ex Oculo aliquo dictę Imaginis emitti.

21 Paries autem, vel murus, ex intrinseca sui natura, non potest emittere guttas humoris, quasi lacrymas: quia compactus est ex lapidibus, calce, & arena.

Lapides quidem (si loquamur maximè de aptis, ad ædificandum) ponuntur ab Aristotele, 4. Meteor. summ. 1. cap. 4. inter illa; in quibus humoris est nihil: hoc est (vt exponit ibi Vicomercatus, commento suo 30.) inter illa; quæ humorem non habent, sub sensum cadentem, & ab eis distinctum; quíque, illis manentibus, possit educi, aut emitti. Licèt ergo lapides habeant humorem (mista enim omnia ex humido, & sicco inter se admistis, vicissìmque se terminantibus, tanquam ex materia, fieri, idem tradit Arist. 4. Meteor. sùm. 1. cap. 1. & 2.) tamen iste humor ab ipso lapide educi, aut emitti non potest; nisi lapis ipse corrumpatur, aduratur, & calx euadat, Arist. 4. Meteor. sum. 3. cap. 2. Vnde palam est, lapides humorem, ad modum Lacrymarũ, de sui natura, emittere non posse; lapidibus manentibus.

22 Præterea: sicca exhalatio igniens, siue ardore incensa, vel terra adusta lapidum ponitur materia ab Aristotele, 3. Meteor. sum. 3. cap. vnico, & 4. Meteor. sum. 2. cap. 3. Igitur non possunt lapides humorem emittere. Et, licèt alij opinentur aliter de materia lapidum, vt Auicenna, Agricola, Teophrastus, & Albertus, qui omnes de fossilibus; lapidibus. mineralibus, &c. scripserunt; nullus tamen eorum negat, aut negare potest sub sensum cadẽtem lapidum siccitatem: si præsertim de ijs differatur lapidibus, qui ædificijs adhibentur, de quibúsq; habetur sermo in præsentia. Videri potest, inter eos, qui modò citati sunt; potissimùm

mùm Albertus, De Mineralibus, tract. 2. cap. 8. & tract. 2. cap. 1. & cum eo Galenus, lib. 9. De simplicium medicamentorum Facult. qui dicit, *Lapidibus*, ob eorum siccitatem, *commune esse, vt desiccent*.

23 Et propter hanc causam, videlicet, propter lapidum siccitatem, Miraculosa poni ur eductio aquarum de lapide virga percusso à Moyse, & in Raphidim, Exodi 17. & in Cades, Numeri 20. In quem secundum locum consulendus est Abulensis, ibi, q. 4.

24 Calx autem est aliquid adustum. Quod, & sensus ipse sentit; & docet Arist. De Partibus animalium, lib. 2. cap. 2. & suadet ratio. Quia calx est cinis corporum lapidosorum: Bellouacensis in Speculo naturali, lib. 8. cap. 10. Vnde, & desiccat: Galenus, loco sup. cit. Idque facit non solùm viua, sed etiam extincta, & post temporis interuallum; quippe quæ est calida, & sicca in quarto gradu: idem Bellouacensis, ibidem, Non ergo ex natura sua lacrymari potest, emittendo humorem.

25 Arena tandem nil est aliud, nisi saxum in parua, minimáque, fluctuum ictu in mari, & fractu aquarum in flumine, perfractum. Arist. Problematum sect. 23. probl. 33. Quocirca saxi naturam retinere, necesse est. Si autem arena sit fossilis; est species quædam terræ, quæ redigitur ad illam speciem fossilium, quæ ab Aristotele, 3. Meteororum, summa 3. cap. vnico, dicitur puluis: & habet pro materia eandem exhalationem siccam ardore incensam, quam omnibus fossilibus, ibidem, tribuit idem Arist. Et videri potest Vicomercatus ibi, commento suo 42. Vnde non est, nisi aliquid siccum. Tale quidem est sabulum, & quæcunque arena, quæ ex arenarijs foditur; vt Romæ puluis Puteolanus, &c. Et propter hanc siccitatem, pulueres huiusmodi, siue sint fossiles, siue fluuiatici, siue marini (in has enim species distinguuntur ab aliquibus, vt videre est apud

apud Bellouacensem, Speculi naturalis lib. 8. cap. 7.) ab ariditate vocantur arena: & (vt habet Galenus, loco supra citato) communem omnium lapidum vim possident, & vt lapides exsiccant. Quare, nec etiam arena Lacrymis, ex sui natura, manare vllo modo potest.

26 Ex quibus omnibus patet: parietem, vel murum omnem ex lapidibus, calce, & arena compositum, cùm ex siccis constet, quæ in tali compositione præterea non miscentur, sed iuxtaponuntur, & ideo non alterantur, nec ex ipsis fit aliquid medium, & commune, sed retinent singula propriam naturam, vt fit, cùm hordeum, v.g. tritico miscetur, quemadmodum habet Arist. 1. De generat. sum. 4. cap. septimo, & octauo; proinde siccum ex sua natura esse, & nullo modo, ex eadem sua natura (quod est ab intrinseco) Lacrymalem humorem emittere posse.

Quid igitur, ad rem nostram, sit concludendum; hinc iam videmus apertissimè: quòd nimirum, considerata intrinseca, & specifica natura corporis illius, muri videlicet, in superficie cuius B. Mariæ Nouissimæ de Gratijs Veneranda Imago, Pinnæ Billorum, depicta conspicitur; nec etiam illæ Metaphoricæ, vel Analogicæ Lacrymæ, quæ quondam ex eius Oculo dextero profluxerunt; vi naturæ corporalis, & inferioris, ab intrinseco, potuerunt vnquam emitti.

DISTINCTIO TERTIA.

Discurrendo per quasdam extrinsecas conditiones parietis, vel muri eiusdem indiuidui, monstratur, easdem Lacrymas, in eadem Imagine, neque ab extrinseco, vi naturæ inferioris, emitti potuisse.

27 Conditiones autem, per quas est discurrendum, sunt illæ quidem, quas hic, §. 3. num. 18. primo loco innuimus: videlicet, huiusmodi parietem, vel murum indiuiduum nullum corpus humidum habuisse contiguum, communicare valens humiditatem: stillicidijs, vel pluuijs expositum non fuisse: nec fuisse recèns ædificatum.

Vnum tamen antea notandum est: quòd scilicet hic ipse paries, vel murus antiquitus erat à tergo expositus aperto aëri, neque tectus alio muro, sicuti cernitur in præsentia. Quod vt bene intelligatur, scire oportet: Parœcialem Ecclesiam Sancti Christophori, de qua supra, vbi ille est; fuisse olim angustiorem, neque tam amplam, vt nunc: quando verò contigit, vt ea dilataretur; tunc murum illum, cuius erat pars murus, vel paries, de quo loquimur, tanquam vnum ex parietibus quatuor principalibus eiusdem Ecclesiæ; fuisse dirutum: remanente tamen integra (propterea, quòd pictam tenebat Sacram Dei Genitricis Imaginem) hac eadem, quam diruti muri fuisse dicimus, parte: ac tandem vice veteris parietis, ad longitudinem totius Ecclesiæ, & ad rectam lineam; constructum fuisse nouum, pedes aliquot, à situ iam diruti dissitum extrorsum. Hinc factum est: vt veteris muri dicta pars, quæ integra remansit, &

& est murus, vel paries, de quo nunc agimus, à muro nouo contegeretur: ita vt exposita esse aperto aëri de cetero non posset amplius. Atque hæc est etiam ratio, (vt obiter hoc item dicamus) quare muri veteris eadem pars, ac proinde Sanctæ Beatæ Virginis Imago ibi depicta, cum suo Sacello ibi pariter locato, appareat in præsens, exporrecta introrsum in Ecclesiam. Est enim necesse, vt tot pedes à muro nouo distet; quot murus nouus distat à loco, vbi erat ipse murus vetus totus. Hæc porrò huius Ecclesiæ ampliatio, siue dilatatio (vti legitur in libro ex ijs, qui extant, primo Consiliorum Communis Pinnæ, pagina 111.) euenit, anno Christi 1522. Quapropter concludendum est absque dubio: cùm Lacrymæ, de quibus disertamus, emanarunt, hoc est, anno Christi 1489. partem hanc veteris parietis, vel muri adhuc extantem, ac Sacratissima illa Imagine, quæ Lacrymas easdem emisit, à priscis temporibus decoratam; hanc antiquam suam conditionem, inter ceteras, habuisse; vt esset à tergo detecta, & aperto aëre ambiretur.

Hoc posito: nascuntur quinque dubia.

28 Primum est. Num talis parietis pars, quando ambiebatur aperto aëre, siue ipsi erat exposita, contiguum vllum habuerit corpus humidum: quod illi saltem eius particulæ, vbi admodum Colenda Imago est picta; quidpiam humoris communicare potuerit.

Respondetur negatiuè.

Et ratio Responsionis est. Quia, non habet tale corpus contiguum nunc; ergo nec etiam habebat tunc.

Probatur consequentia. Quia si tale corpus contiguum nunc non habet; hoc accidit ex eo: quòd plateæ publicæ planum, per murum nouum, à solo illi adiacens, ad sex circiter, aut septem pedes, dicta particula nunc est depressius. At hanc depressionem seruabat etiam tunc; ergo.

Multa possent afferri, ad minorem probandam. Sed in re clara, sit satis hoc vnum.

Tunc publici Palatij planum inferiùs, quod nunc, & est eidem plateæ cõfine, & eandem fere depressionem seruat, ac seruat planum eiusdem plateæ; lateribus erat stratum. Id enim (vt in suprà citato libro Consiliorum, pagina 44. memoriæ proditum est) contigit anno salutis 1466. Sed, si planum plateæ tunc depressionem eandem non seruasset, quam seruat nunc; imò eleuatum fuisset adeò, vt æquaret altitudinem dictæ particulæ, ad hoc, vt posset illi humorem communicare; procul dubio, sine debita proportione, nulláque publici vsus, publicæue commoditatis ratione habita, dictum publici Palatij planum lateribus fuisset stratum; ex ipso plano publicæ plateæ, descensum per scalam, ad octo, vel decem pedes, profundam, requirendo: quod est inconueniens, & absurdum nullatenus dicendum. Ergo.

29 Secundum est. Num eadem parietis pars, eodem tempore, quo erat exposita, vt diximus, aperto aëri: in eadem particula sui, quæ Sacratam Imaginem pictam habet, etiam exposita stillis esset; quæ è tecti fracturis, dum fiunt pluuiæ, decidere solent.

Respondetur negatiuè.

Ratio est. Quia necesse fuisset, vt profundiùs aliqua stilla penetrasset: ad hoc, vt humectaret memoratam particulam, ad lacrymandum per Oculos Virginalis Imaginis. Id quod indicat summitas eiusdem partis parietis adhuc existens, cui adhæsisse tectum Ecclesiæ, credibile est, antè quàm illa fuisset amplificata. Etenim, etiam nunc, plures pedes, distat huiusmodi summitas à particula, in qua videmus expressam Dei Genitricis Imaginem. Huiusmodi autem stillæ in parietibus bene compactis, qualis est hæc veteris parietis pars, de qua loquimur; profundiùs, experien-

tia

tia teste, non penetrant: sed foràs, in summitate parietis, egressæ, manum sarcientis tacitè vocant ad tectum.

30 Tertium est. Num in hanc totam parietis veteris partem vlla stilla ex dictis, vllo vnquam tempore, hucusq; deciderit, de facto.

Respondetur negatiuè.

Et hoc palam facit, nullum inibi stillæ similis in eam prolapsæ repertum vestigium, ab inspicientibus illam, & extrinsecùs, & intrinsecùs, omni etiam adhibita diligentia. Et tamen parietes, vel extrinsecùs, vel intrinsecùs nigris, aut fuscis infici maculis, per stillas in eos è tectis decidētes, & postmodum exsiccatas (prætẽrquam, quòd apertè hauritur ex Aristotelis doctrina, in libello De Coloribus, cap. 1. in fine, qui habetur Operum illius parte 6.) experitur insuper in dies quicunque: imò, & præterea, maculas huiusmodi manere perseuerantes.

31 Quartum est. Num talis parietis pars, quando ambiebatur à tergo, vt dictum est, aperto aëre; penetrari posset ab aquis pluuialibus, vi ventorum actis.

Respondetur negatiuè.

Tripedalis enim discernitur crassitiei, atque optimè, vt diximus, compacta. Quin exposita etiam erat Solaribus radijs, humorem illum, quemcunque contraxisset à pluuijs; iugiter desiccantibus; cùm ad Orientem vergat.

32 Quintum est. Num dicta parietis pars, vel dictus totus vetus paries, tunc recèns ædificatus esset; ita vt aquis aspersa vel temperata calx, & nondum bene siccata, humorem aliquem, ob recentiam sui, posset emittere.

Respondetur negatiuè. Et, ad veritatem ostèndendam Responsionis huius, mox digrediemur.

Interim verò: cùm illud ex iam dictis, hac Distinctione, satis appareat; quòd, quando Lacrymæ, de quibus tractamus, effluxerunt, huiusmodi vetus paries nullum habebat

bat coniunctum corpus humidum, humorem illi saltem eius particulæ, quæ ad propositum spectat, communicare valens; non erat in eadem particula stillis è tecti fracturis decidentibus expositus; nulla simili stilla, & nullis etiam aquis pluuialibus, vi ventorum, actis, fuerat vnquam vllibi penetratus; ac tandem non erat ædificatus recèns; quæ conditiones erant extrinsecæ, per quas hîc discurrere debebamus: apparet etiam, debere concludi; easdem Lacrymas in ordine ad conditiones prædictas, neque ab extrinseco, vi naturæ inferioris (quod erat monstrandum) potuisse emitti.

DIGRESSIO SPECTANS AD DIST. III.

De antiquitate parietis, vbi, Pinnæ Billorum, Venerabilis Imago Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs est picta.

OPortet, Digressionem partiri.

PARTICVLA PRIMA.

Hunc parietem, nedum anno 1432. sed etiam anno 1222. iam extitisse; asseritur, & probatur.

33 ASsero: Parietem hunc sortitum iam fuisse suam existentiam, non solùm anno 1432. verùm etiam anno 1222. Redemptionis humanæ.

Et Assertionis hæc est ratio. Quia constat: Altare Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs, vno ex his duobus annis, hoc est, anno 1432. Pinnæ Billorum, fuisse reconciliatum; altero

altero verò, videlicet anno 1222. fuisse primò consecratum, & nuncupari etiam (quod quidem est de ratione Consecrationis talis) tali titulo cœpisse. Ergo tunc existebat, & Sacellum, & Ecclesia, in quibus huiusmodi Altare fuit reconciliatum, & consecratum primò. Nam (vt bene obseruat Suarez, tomo 3. in 3. p. q. 83. a. 3. disp. 81. sect. 5. vers. *In tertia parte cõclusionis) Altare fixum*, quale illud est, de quo verba facimus, *nunquam est consecratum, nisi sit intra Ecclesiam consecratam, vel benedictam*. Sed huiusmodi Altare fuit reconciliatum, & consecratum primò, in Sacello, vbi dicta Imago in pariete, cuius antiquitatem inquirimus, est depicta; & in Ecclesia, cuius, vt vidimus, idem paries erat vnus ex principalibus parietibus quatuor; & nisi alia de causa, ex eo saltem, quòd nunc est ibi; & quòd fixum est, & non portatile, vt iam dixi. Ergo tunc, quando huiusmodi Altare fuit, & reconciliatum, & consecratum primò; tale Sacellum, ac talis Ecclesia existebat: & per consequens existebat etiam hic ipse paries: cùm sine illo, neque Sacellum, neque Ecclesia posset existere; vt est clarum.

Atque hinc formaliter, ac propriè liquet veritas Responsionis ad quintum dubium præcedens, quam huc reseruauimus ostendere.

Sed, vt intelligatur etiam, vnde constet illud, quod de annis, & Recõciliationis, & primæ Consecrationis dicti Altaris affirmaui; sciendum est: huius rei fidem indubiam facere; tum Inscriptionem cuiusdam parui Lapidis marmorei; tum Litteras quasdam authenticas Ioannis Ciuis Ariminensis, Episcopi quondam Feretrani, dictam quoque Inscriptionem insertam continentes: quorum amborum exempla; & in eodem paruo Lapide, & in Membrana quadam; Administri Sodalitatis, in eodem Sacello Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs (vt in Proœmialibus ta-

ctum fuit) olim erectæ, seruant apud se.

35 Quocirca (vt Lector de huius rei veritate possit edoceri) operæ pretium duxi, huiuscemodi Litteras hic transcribere: quarum contextu vno, & Litterarum, & Inscriptionis tenor simul habebitur.

Litteræ igitur hæ sunt.

In nomine Domini, Amen. Hoc est exemplar cuiusdam Scripturæ litteris antiquitus scriptæ in quodam parno Lapide Marmoreo, qui erat, & est sigillum tabulæ Altaris Beatæ Mariæ Virginis, affixi in Ecclesia Fratrum Eremitarum Sancti Augustini de Pinna Billorum Diœcesis Feretranæ. Qui parnus Lapis Marmoreus fuit sublenatus à dicta tabula, seu mensa dicti Altaris satis casualiter, per quendam Fratrem Thomam de Arimino, pro tunc Priorem dictorum Fratrum, in dicto loco. Et erat dicta Scriptura sculptura in parte inferiori dicti Lapidis Marmorei, tegente immediatè Sacras Reliquias existentes in dicta tabula, seu mensa dicti Altaris. Cuius tenor, de verbo ad verbum, talis est.

ANNO. DOMINI. M. CC. XXII. TEMPORE. PAPÆ AVNHORII. VENIENTE. RESEDIT. HIC. DE ROMA. SANCTA. DEDICAVIT. ISTOC. ALTARE. AD. HONOREM. VIRGINIS. MARIÆ QVOD. ALTARE. NVNCVPATVM. FVIT. SANCTA. MARIA. NOVISSIMA. DE. GRATIIS. IN QVO. POSVIT. CENTVM. DIES. OMNI. DIE INDVLGENTIÆ. ET. TOTIDEM. ANNOS

Et quoniam Omnipotentis Dei dona, & maximè salutem animarum excernentia, non sunt sub modio ponenda, sed potiùs super candelabrum, vt luceant, & proficiant omnibus Christi Fidelibus; Idcirco Nos Ioannes, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Feretranus, Ciuis Ariminensis, Sacræ Theologiæ Professor, assumptus de Ordine Fratrum Minorum ad Episcopalem Dignitatem, sedentes pro tribunali, in appa-

apparatu Episcopali, in prædicta Ecclesia, sub vocabulo Sancti Christophori fundata, ante Altare Maius, anno Domini 1432. & die 16. Mensis Nouembris; primò, & ante omnia pronumptiato, Nos loco illo esse iuridico; decreuimus, auctoritatem nostram interponendo, & decretum, ad perpetuam rei memoriam; istam Scripturam authenticari, per Notarios infrascriptos: videlicet, Ser Petrum Franciscum Antonij de Sancta Agatha, Ser Franciscum de præsenti de Sancto Donato, Ser Paulum Francisci de Pinna Billorum Ser Ioannem Ser Fucchini de Veruculo, nunc Notarium Curiæ Episcopalis Feretranæ. Et sic factum est, astante, & præsente magna multitudine populi, & maximè Venerabilibus Viris, Dopno Ribaldutio Archipresbytero Sancti Petri in Missa, Dopno Baldo Archipresbytero Carpinei, Fratre Augustino Priore loci Miratorij Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, Dopno Antonio de Aretio Rectore Ecclesiæ de Antico, Dopno Francisco de Soane, Giane Maffæi, & Andrea Cerbarij Capitaneis pro tunc Castri Pinnæ Billorum, Blasio Ritii, & Bartholo Gianis de Castro Torricellæ, testibus specialiter ad prædicta habitis, vocatis, & rogatis. Et quoniam supradictum Altare Beatæ Virginis, seu ipsius mensa fuit sæpe amota, & de loco ad locum translata per laicos, & asportata; Nos prænominatus Ioannes Episcopus ipsum Altare, seu mensam dicto Millesimo, & die, quo supra, reconciliauimus, & consecrauimus, secundùm ritum, & formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, astante magna multitudine populi, vt supra dictum est. De qua Reconciliatione, & Consecratione rogati fuerunt supradicti Notarii, excepto Ser Paulo prædicto, supradictis testibus specialiter ad prædicta habitis, vocatis, & rogatis. Vt igitur ad ipsum Altare Christi Fidelium deuotio cōtinuè augeatur, & accrescat; Nos Ioannes Episcopus, supra sæpe nominatus, de Omnipotentis Dei Misericordia, Beatæ Mariæ semper Virginis, Apostolorum Petri, & Pauli, & Patronorum nostrorum

Leo-

Leonis, & Marini meritis, & auctoritate confisi; omnibus, & singulis verè pœnitentibus, & confessis, qui dictum Altare visitauerint, omni anno, in die Anniuersarij, seu Reconciliationis, & Consecrationis, & omni Festo solemni Beatæ Mariæ semper Virginis, dicendo decem vicibus Orationem Dominicam, & totidem Aue Maria; vel manum adiutricem porrexerit, pro ornamento dicti Altaris; quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. In quorum testimonium, has fieri iussimus, & nostri Pontificalis sigilli appositione muniri, mandauimus. Datum Pinnæ Billorum, in Ecclesia Sancti Christophori suprascripta. Anno, &c. die, &c. supradicta. Tempore Sanctissimi in Christo Domini Domini Eugenij, diuina prouidentia Papæ IV. Indictione decima. Atque hactenus Litteræ. Quæ quidem clarissimæ sunt, & nullam explicationem exposcunt.

PARTICVLA SECVNDA.

Proponuntur, & soluuntur Difficultates quædam, circa Inscriptionem, in transcriptis Litteris, insertam: aliqua solutionum vindicatur ab obiectis: & concluditur Digressio.

36 PRofectò Difficultates nonnullas ingerere videtur Inscriptio.

Tum, quia ipsius illa verba, *Tempore Papæ Aunhorij, veniente, resedit hic de Roma Sancta*, vix possunt ita construi; vt inde sensus aliquis eruatur.

Tum, quia non apparet ex Inscriptione tota, quisnam fuerit eius Altaris Consecrator: & nihilominus, ex Panormitano, in capit. 1. De Consecrat. Ecclesiæ, vel Altaris, & ex

ex Siluestro, verbo, *Altare*, quæst. 1. (vltra nomen, *Sanctæ Mariæ*, in cuius honorem idem Altare fuerat consecratum) talis Inscriptio debebat etiam nomen Consecratoris exprimere.

Tum, quia nomen illud, *Aunhorij*, non intelligitur, cuiusnam sit; & est inusitatum, & alibi non legitur.

Quocirca Difficultates huiusmodi tollendæ sunt: ne fides, quam hæc Inscriptio facit; reddatur, propter illas non solutas, infirma. Sed boni consulas, amice Lector, si, Difficultates hasce tollens; fortè nimium ad Grammatica descendero. Grammaticæ namque Difficultates, non nisi Grammaticis tollendæ videntur excursibus.

37 Quod spectat igitur ad primam: verba sic possunt construi, & explicari: vt illud, *tempore Papæ Aunhorij*, significet Pontificatum; quem Tabelliones, in Scripturis publicis, consueuerūt semper adnotare. Vnde vidimus, etiam in transcriptarū Litterarum fine; poni, *Tempore Sanctissimi in Christo Domini Domini Eugenij, diuina Prouidentia, Papæ IV*. Illud autem, *veniente*, non cohæreat cum substantiuo, *tempore*; sed sit ablatiuus absolutus, in quo subaudiatur pronomen, *eo*, quod referatur ad, *Aunhorium*. Et illud tandem, *resedit*; pro nominatiuo, quem suppositum vocant, non apertè, sed occultè, habeat item pronomen, *is*; quod similiter ad, *Aunhorium*, referatur.

Nec est insuetum, vt ablatiuus absolutus, & nominatiuus verbi sint eiusdem personæ: vt videri maximè potest, apud Emanuelem Aluarum, De Institut. Grammatica, lib. 2. cap. 8. in appendice secundi generis ad præceptum 7. num. 4. vbi affert illud Ciceronis ad Tironem, lib. 16. Famil. Epistola 26. *Non potes effugere huius culpæ pœnam, te patrono*. *Hoc est*, inquit Aluarus, *Tu, te patrono, non potes effugere, &c.*

Ex quibus colligimus, verborum Inscriptionis, quæ videban-

debantur vix posse construi; constructionem claram, suppletis supplendis, hanc esse: ***Anno Domini* 1222. *tempore Papa Aunhorii, eo Aunhorio veniente, is Aunhorius resedit hic de Roma Sancta, &c.*** Et ex huiusmodi constructione sensus quidem bonus, & intelligibilis eruitur.

Sed (excepto eo, quod illud, ***veniente***, non cohæreat cum substantiuo, ***tempore***) cetera dixi potiùs, discursus gratia, & ad indicandum, dicta verba Inscripionis, Grammaticè etiam, si quis velit, posse bene construi; quàm, quòd credam, huc respexisse, qui huiusmodi verba composuit. In eam siquidem sententiam propendeo magis, vt putem (quod repetam infra) ex illorum temporum, in Latinè loquendo, barbarie factum esse; vt sic illa sint composita.

Neque obstat positæ constructioni, quòd idem, ***veniente***, cùm sit præsentis participium, non possit rectè copulari cum verbo, ***resedit***, quod est præteriti, & eandem habere personam, atque ipsum; vt visum est cuidam. Quia, per Grammaticos, hoc apparet falsum: qui bonam esse, concedunt, illam dicēdi formulam; ***E Sicilia discedens, Romam veni***, idest, postquam discessi, &c. Sic ergo, & nostra illi, persimilis. Videatur, omissis reliquis, Christophorus Sassus, in suis Grammaticis Institutionibus, titulo, ***De Participiis***. Verùm leuiora sanè sunt hæc.

38 Quòd verò spectat ad secundam: habetur satis apertè ex Inscriptione ipsa, illum fuisse Consecratorem Altaris, qui ***resedit hic***, vt ibi dicitur, & qui posuit Indulgentias.

Quandoquidem, cùm plura verba simul ponuntur, eiusdem numeri, eiusdémque personæ; certum est, omnia cum nominatiuo vno consentire. (Loquor autem hîc de verbo, non quidem vt significat idem, quod dictio, siue vocabulum; sed vt partem orationis illam significat, apud Gram-

Grammaticos, quæ modos habet, vt aiunt ipsi, ac tempora.) Et, ad hoc ipsum firmandum, quod dixi, si quis aliquod vellet exemplum (cùm horum quamplurima, Scriptores quoscunque legentibus, passim fiant obuia) dictum illud Ciceronis, De natura Deorum, lib. 2. in præsentiarum sit satis. ***Ægyptum***, inquit ipse, ***Nilus irrigat: & cùm tota æstate obrutam, oppletamque tenuit; tum recedit: mollitosque, & oblimatos agros, ad serendum relinquit.*** Vbi quatuor verba, ***relinquit, recedit, tenuit, irrigat***, omnia (vt in aperto est) cum nominatiuo vno, ***Nilus***, cōsentiunt. Qui sanè loquendi modus (vt id obiter hoc loco notemus) non est (quod quidam putant) per Zeugma; sed, per Hypozeusim à Zeugmate diuersam: de qua Pantaleon, in Epitome De Figuris; & Erytrhæus in Scholijs, ad lib. 10. Æneidos, non longè à principio, & alibi; & Nicolaus Caussinus, De Eloquentia, lib. 7. cap. 17. & alij. Sic ergo, in nostra Inscriptione, tria verba, ***posuit, dedicauit, resedit***, omnia consentiunt cum vno nominatiuo; quem diximus esse, ***is Aunborius***. Verùm, quando plura verba consentiunt cum vno nominatiuo; illud agens, quod agit actum significatum per vnum ex illis verbis; agit etiam actus per verba reliqua significatos: vt patet in adducto exemplo ex Cicerone: vbi ***Nilus***, qui agit actum significatum per verbum, ***irrigat***; agit etiam actus, qui significantur per verba, ***tenuit, recedit, relinquit***. Et Regulæ ratio est, quia nominatiuus supponitur esse agens, & est vnus. Si ergo, in eadem Inscriptione nostra, tria illa verba, ***posuit, dedicauit, resedit***, cōsentiunt omnia cum vno nominatiuo, ***is Aunborius***, vt dictum est; concludere oportet, quòd, ***is Aunborius***, qui, vtpote nominatiuus, & hîc agens, egit actum significatum, per verbum, ***resedit***; egerit etiam actus, qui significantur, per verba, &, ***posuit***, &, ***dedicauit***. Et sic apparet verum, quod asserebamus; quòd, scilicet, Altaris Consecra-

cra-

crator ille fuit, qui *resedit hic de Roma Sancta*, & qui *posuit* Indulgentias, in Altari, nimirum, *Aunhorius*: quæ omnia satis habentur apertè ex ipsamet Inscriptione, vt iam dixi.

39 Si verò quis neget, nominatiuum verbi, *resedit*, esse, *is Aunhorius*, cùm talis nominatiuus ibi non legatur expressè, ac proinde neget etiam, *is Aunhorius*, nominatiuum esse verborum ceterorum; dupliciter, minimùm, is potest conuinci.

Primò. Quia nominatiuus verbi, *posuit*, quod in Indulgentiam transit, in hac Inscriptione, nisi persona Papæ esse non potest: cùm nullus alius à Papa centum annorum, ac totidem dierum Indulgentiam possit concedere; quod liquidò constat, ex capit. *Cum ex eò*, De Pœnitentijs, & Remissionibus: ex capit. primo, & finali, titulo eodem, in Sexto; & ex ijs, quæ tradunt, & Nauarrus, in Commentario, De Indulgētijs, notab. 13. n. 17. & Azor. Instit. Mor. parte 2. lib. 5. cap. 32. q. 7. & Reginaldus lib. 7. Praxis, nu. 21. cum Doctoribus ceteris. Sed, *Aunhorius*, tantùm, in hac Inscriptione, nomen est personam Papæ significans. Tum, quia dictum est, *τὸ, tempore, &c.* denotare ibi Pōtificatum; tum, quia tam clarè id significat, vt omne dubiū tollat; appositum, *Papa.* Ergo, *Aunhorius*, tantùm potest esse ibi verbi, *posuit*, quod in Indulgētiam trāsit; nominatiuus, & agēs. Et per consequens, ex Regula suprà posita, *Aunhorius*, tantùm potest esse nominatiuus, & agens verborū ceterorum.

40 Secundò. Quia, si (vt in ratione Difficultatis, ex Panormitano, & Siluestro dictum est) in hac Inscriptione debebat poni Consecratoris nomen; cùm in ea, præter nomen, *Sancta Maria*, nullū reperiatur aliud nomen personę, quàm nomen, *Aunhorij*; potest, ac debet concludi, nomen, *Aunhorij*, nomen esse Consecratoris: non quidem quatenus eo loci stat, vbi legitur; sed quatenus, inde supplēdum est, & ponendum, vbi deest. Vnde duo inferuntur. Primum

mum obiter:& est solutio secundæ huius Difficultatis principalis:nimirum, per verba illa, ***tempore Papæ Aunhorij***, non solum apparere Pontificatum explicitè, quod iam dicebamus; sed etiam apparere nomen Consecratoris implicitè, quod, ratio Difficultatis, non apparere, supponebat. Secundum principaliter: & est confutatio Responsionis, quam dupliciter dixi posse conuinci: nimirum, cùm, ex dictis, nomen, ***Aunhorius***, inde supplendum, vbi est positum apertè, lateat occultè in verbo, ***dedicauit***; etiam eodem modo latere, per paulò ante positam Regulam, in verbis ceteris: atque adeò non posse negari, nominatiuum esse, ***is Aunhorius***, occultum saltem; ipsius verbi, ***resedit***.

41 Quod demum spectat ad tertiam: cùm nomen, ***Aunhorij***, iunctum sit nomini, ***tempore***; satis intelligitur, esse nomen Pontificis. In publicis enim Scripturis (vt hauritur ex Glossa, in Can. *Quoties*. 1. q.7. verbo, *Consulibus*, & in Can. *Perscripta*. 2. q.8. tum in casu, tum verbo, *Consul, & dies*.) varijs temporibus, variorum Principum tempora notata sunt. Ac proinde: aliquando in ijs notatum est tempus Consulum: aliquando tempus Imperatoris, & Consulum: aliquando tempus Papæ, & Imperatoris: aliquando tempus Papæ, & Episcopi: sicut hodie (quod notat Antonius Nebrissensis, in suo Vocabulario vtriusque Iuris, verbo, ***Instrumentum***) notatur tantùm nomen Pontificis. At verò, anno à Natiuitate Christi 1222. certum est: Consulum tempus, publicis in Scripturis, notari non potuisse. Vt nanque scribit Baronius, tomo 7. suorum Annalium, anno Domini 541. num. 1. post hunc annum, qui ***Basilij iunioris, sine collega, Consulatu notatur; non ampliùs aliquis Consulatus reperitur additus Fastis***. Certum est etiam: eodem anno, Imperatoris Occidentalis nomen non fuisse Aunhorium; sed Fridericum II. & Orientalis Robertum. Legantur Chronologi, & maximè Bellarminus,

minus,in Chronologia, quã tractatui De Scriptoribus Ecclesiasticis addidit, 2. p. anno Domini 1216. Certum est tandem: Episcopi Feretrani nomen, eodem anno, non Aunhorium; sed Rolandum fuisse. Sic refert Vghellus, Italiæ sacræ tomo 2.titulo, Leopolitani,seu Feretrani Episcopi. Enumerandis itaque sufficienter enumeratis, & exclusis; relinquitur, nomen, *Aunhorij*, in hac Inscriptione,nomini, *tempore*, iunctum; nomen esse (vt aiebamus) Pontificis. Præterquam quòd rem in aperto maximè ponit,ita vt, iuxta iam dicta, nihil sit omnino dubitandum; illud, quod additur, *Papa*.

42 Porrò autem: eodem anno 1222. Summus Pontifex vniuersalem gubernans Ecclesiam is erat, quem communiter omnes vocant Honorium III. Quandoquidem,secundùm Scriptores aliquos, vt sunt Auctor Fasciculi tẽporum, & Auctor illius Operis, quod dicitur Chronica mundi,siue Nurẽbergensis;fuit creatus Pontifex hic Honorius, anno à Natiuitate Saluatoris 1214. secundùm verò alios, vt sunt Onuphrius Panuinus, in suo Indice Romanorum Pontificum, post Vitas Platinæ, & Bellarminus, loco citato; anno 1216. & vixit, ex ijsdem omnibus, annos decem, & menses octo. Quare durauit eius Pontificatus, vel vsque ad annum 1224.vel vsque ad annum 1226. & paulò supra: atque adeò, iam, dicto anno intermedio 1222. certum est, nullum alium Pontificem,in Beati Petri Cathedra, sedisse;nisi hunc Honorium III. Honorium III.igitur significabat, & significat nomen illud, *Aunhorij*, quod Pontificis Romani nomen esse, conclusimus.

43 Vnde verò factum sit, vt in Inscriptione istiusmodi sit appellatus iste Pontifex, non Honorius, at Aunhorius; dici posset, fortè factum ex ipsius incuria sculptoris, vt assolet:vel fortè quia,qui verba composuit,secutus est,etiam Latinè loquendo, vulgi linguam, Tabelliones multos imitatus.

tatus. Et eſſe planè poteſt: vt, quemadmodum vulgò, ijs temporibus, vice nominum, ***Gregorio***, ***Clemente***, ***horloggio***, dicebant, ***Ghirigoro***, ***Chimente***, ***arlogio***, vt eſt videre apud Pergaminum, in ſuo Linguæ Italicæ Memoriali, & in Tabula, quæ addita fuit Poëtico illi Operi, cui titulus eſt, ***Documenti d' amore di M. Franceſco Barberini***; ita vice nominis, ***Honorio***, diceretur, ***Aunhorio***. Quod vſu veniſſe Pinnæ Billorum, facilè creditu eſt; cùm ibi, iuxta ἰδιωτισμὸν vulgi, ſæpe mutetur ſyllaba, ***ho***, in, ***au***: vnde plebei nunc etiam, pro, ***Horatio***, dicunt, ***Auratio***, pro ***Lorenzo***, ***Laurenzo***, *&c.*

44 Sed fortè rectiùs tribuetur, tum huius nominis alteratio, tum obſcuritas quoque verborum Inſcriptionis, in ſuo principio, quam vidimus, & aliquantùm illuſtrauimus; eorundem temporum, in Latinè loquendo, barbariei. Quandoquidem Linguæ Latinæ barbariem per ea tempora viguiſſe, certum eſt. Id quod apertè teſtantur, non ſolùm illa multa, quæ ſubinde legentes, vel audientes, à riſu temperare vix poſſumus; cuius generis vnum eſt ſepulchrale illud Epitaphium, quod alicubi ferunt inſcriptum, ***O vos omnes, qui tranſitis per ibi, rogate pro ſibi, & ſi eſtis mille, rogate pro ille***; ſed, in quibuſdam præſertim, & ipſa Regula Sancti Franciſci Aſſiſiatis, quæ tunc ſcripta eſt; & ab ipſomet Honorio III. in ſua Bulla, quam anno 1223. ad illam confirmandam edidit, & in tomo 1. Bullarij, cum eiuſdem Pontificis Bullis ceteris, in ordine quintam habemus; de verbo ad verbum refertur. De cuius proinde ſecundo capite (ea tamen cum reuerentia, quæ Regulæ per Chriſtum ipſum, (vt ait Auctor Conformitatum, lib. 1. conformitate 9. & in editione veteri, pagina 77. litt. G) inſtitutæ, & ordinatæ, iugiter à cunctis, tum quantùm ad rem, tum etiam quantùm ad verba, debet adhiberi) duo, tanquam ad propoſitum præſens maximè facientia, deſumenda, putaui.

taui. Quorum primum illud est: *Postea concedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas sine caputio, & cingulum, & brachas, & caparonem, vsque ad cingulum.* Secundum est illud aliud; *Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur, & possint ea repetiare de saccis, & alys petys.* Vbi sanè, quàm bene commonitretur, quod affirmaui; nemo (vt mea fert opinio) non videt. Licèt apud Iosephum Laurentium, in Amalthea Onomastica sua, repetiantur dictiones, *caputium*, *petia*, cum similibus; quas tamen, inde inferri non potest, esse Latinas; cùm Amalthea Onomastica hæc (vt ex Inscriptione ipsius manifestissimè constat) deprompta sit ex Auctoribus, nedum Latinis; sed etiam Latinobarbaris, & ceteris.

45 Quantùm verò ad illud, quod in ratione Difficultatis huius tertiæ subditur, nomen, videlicet, *Aunhorÿ*, nomen esse inusitatum, & alibi non legi; fateor quidem, apud me, ipsum esse huiusmodi. Non enim adhuc inuenire illud potui, neque in Libris, neque in publicis Inscriptionibus alijs, neque audire ab aliquo, iuxta ἰδιωτισμὸν patrium, loquente, viua voce proferri. Attamen ijs positis, quæ iam dicta sunt, ac firmata, circa illud ipsum; hæc prorsus nihil obstant, vt patere potest, per ea discurrenti: quo quidem in discursu haud necessario, cunctandum ampliùs, non puto.

Et per hæc sint solutæ Difficultates, de Inscriptione propositæ.

46 At, cùm ex huiusmodi solutionibus, Pinnæ Billorum, aliquantisper saltem, resedisse Honorium III. ex eo, quòd inibi, de quo disserimus, Altare consecrarit, clarè satis appareat; noua nascitur Difficultas, Quî potuerit hoc fieri. Maximè, cùm Pinna Billorum sita sit in montosis, & à Consularibus, Imperialibúsue vijs, nedum Roma, non parum declinet; & (quod caput est) neque illi, qui Romano-

manorum Pontificum Vitas conscripsere, vt Platina, Ciaconius, Ciccarellus, & similes, neque alius quiuis Historicus longum vllum iter enarret, quod idem Honorius III. fuerit aggressus vnquam ab Vrbe, ne dicam, anno præfato 1222.

Difficultas nihilominus ita soluitur.

47 Nam, quod attinet ad rationis primam partem: per huiusmodi montosa, & à vijs memorati generis, & Roma non parùm declinantia; transiuit etiam, post multos annos, Clemens Papa VII. cùm, Carolo V. coronato, Bononia Romam reuerteretur: cuius transitus extant adhuc, in ijsdem vijs, monumenta.

48 Quod autem attinet ad secundam: esto, Scriptores allegati longum iter nullum narrent, Honorium III. ab Vrbe suscepisse: hoc nihilominus non officit. Tum, quia nec etiam narrant, hunc Pontificem aliquando Reate resedisse: quem tamen ibi resedisse aliquando, pro comperto est; cùm in Bullarij citato primo tomo, inter eiusdem Bullas habeatur octaua; per quam, Fratrum de Monte Carmelo Regulam confirmauit, sub Datum Reate, tertio Kal. Februarij, sui Pontificatus anno decimo; & septima; per quam, Sanctum Laurentium Archiepiscopum Dublinensem canonizauit, sub Datum item Reate, tertio Idus Decembris, anno sui Pontificatus pariter decimo. Tum, quia tale argumentum esset ab auctoritate negatiuum; quod ex Siluestro, verbo, *Argumentum*, q. 3. & ex Logicis passim, nihil prorsus concludit.

49 Quocirca, stat equidem, esse probabile admodum; quod ex solutionibus præmissis apparere dictum est: resedisse, nimirnm, aliquantisper, Pinnæ Billorum, Honorium III. siue pertransisse illac.

Id quod, præter hæc, innuitur etiam per illa, quæ in Proœmialibus, §. 3. n. 11. relata sunt: & per illa, quæ le-

guntur in Tabula quadam, quæ in Choro eiusdem Ecclesiæ Sancti Christophori manet affixa, de quáque redibit iterum sermo, in quarta Parte: quin sciri videtur ibidem ex traditione maiorum quoque: qua fertur insuper, idem Pontifex Indulgentias multas, eodem in transitu suo, concessisse duabus Ecclesijs, quæ in Agro Pinnensi, altera sub titulo Sanctæ Mariæ de Podio, altera sub titulo Sancti Laurentij, sitæ sunt: quæque proinde ab incolis deuotè semper sunt frequentatæ, ac frequentantur.

Verùm isthæc vt vt sint (contradicturos nanque multos ijs, iam præsagit animus) illud certè negari non potest: Altare prædictum fuisse consecratum primò, anno 1222. & secundò reconciliatum, anno 1432. De hoc enim solemnes, & authenticæ Litteræ apertissimè testantur, quas transcripsimus; & quæ pariter tanta cum solemnitate confirmant, & authenticant Inscriptionem, de qua iam diximus tam multa. Anni verò Consecrationis, & Reconciliationis huiuscemodi sunt sanè plùs, quàm satis, ad ostendendam parietis antiquitatem, quam quærebamus; quæque ita iam sit ostensa.

DI-

DISTINCTIO QVARTA.

Asseritur, & probatur: Lacrymas, de quibus disputamus; neque per antiperistasim, vi naturæ inferioris, emissas de facto fuisse; vel emitti potuisse de possibili: qui est secundus modus, ex duobus iam propositis; quibus, ex oculis alicuius Imaginis Analogicæ Lacrymæ possunt habere naturalem originem, ab extrinseco.

50 ANtiperistasis de facto accidisset, vel de possibili potuisset accidere, in casu nostro; si superficies parietis, in qua, picta est S. Mariæ de Gratijs Præcellens Imago; vel de sui natura, vel ex aliquo accidenti, fuisset actu frigida, & illam ambiuisset aër calidus, & vaporosus: vt explicatum est suprà, §. 3. num. 19.

Illud Assero nihilominus: quòd, de facto huiusmodi Lacrymæ, per talem antiperistasim, non sunt emissæ; neque de possibili potuerunt emitti. Et vtrunque probo.

Primò primum. Quia, si ex frigore superficiei parietis, & ex aëre calido, & vaporoso, qui parietem ambiret, fuissent factæ tales Lacrimæ; qui eas obseruarunt, inter quos, fuerũt Viri graues, ac docti, vt maximè Frater Christophorus Pinnensis Augustinianus Sacræ Theologię Magister; Frater Ioannes Perusinus, item Augustinianus, tunc temporis Pinnæ Billorum diuini Verbi Concionator; Domnus Franciscus à Petra Rubea Magister inibi scholę; Petrus Antonius Pagornutius ciuis Florentinus, ibidem Vicarius; & Ioannes Nicolaus de Comitibus Carpinei, cum ceteris multis, in Procemialibus, relatis; hoc ipsum,

absque dubio, aduertissent: ac Miraculo nequaquam tribuissent, quod causis naturalibus facilè poterant adscribere. Præsertim, cùm Pinnæ Billorum, & in ea potissimùm Ecclesia, vbi hæc facta sunt, loci quidam subterranei reperiantur, quos, vulgò, *Tusos*, nuncupant; ex quorum apertis orificijs, incertis quibusdam anni temporibus, nonnulli fumidi, ac nebulosi vapores emittuntur; qui lapides vicinos, ac parietes aliquibus, veluti sudoris, guttis inficiunt: quod ibi, nedum Viri graues, ac docti; sed idiotissimi quique nouerunt. Horum autem, *Tusorum*, causas non est presentis instituti, diligenter examinare: ad illud enim, de ipsis tetigisse, quod tetigi; sanè sat est. Curiosi tamen, his de rebus, consulere possent interea Paulum Venetum, in Summa Meteororum, cap. 8. & Vicomercatum, 1. Meteororum, comm. 66.

51 Secundò, secundum. Quia, vapor est corpus aliquod. Tum ex eo, quòd est fumus; (Paulus Venetus, in Summa Meteororum, cap. 4. & Paulus Vallius, in 2. lib. Meteororum Aristotelis, De Rebus Meteorologicis in communi, q. vnica, quod opus typis adhuc non est impressum) & fumus est corpus, quod patet sensui. Tum ex eo, quòd est humidus, & calidus: (Arist. lib. 1. Meteor. summa 1. cap. 4.) humor antem, & calor sunt qnalitates tangibiles: (Arist. 2. De Anima, tex. 107.) ergo corporales: quia, cùm sensus tactus, quemadmodum, & alius quilibet, sit corporalis; non potest aliquid in eo recipi, nisi corporaliter: cùm omne, quod recipitur in aliquo, per modum recipientis recipiatur in eo; per S. Tho. in Suppl. tertiæ partis q. 92. a. 2. c. Cùm vapor itaque sit corpus; necesse est, vt sit quid extensum, ac diuisibile omniquáque: (Arist. 1. Cæli, tex. 2.) hoc est, secundùm longitudinem, vel lineam; secundùm latitudinem, vel superficiem; & secundùm profunditatem: (S. Tho. ibidem, lect. sua 2.) & per hanc extensio-

sionem, per quam ambit, ac tangit, etiam agat; quia nullum corpus agit, nisi tangendo, & mouendo: S. Tho. 1. p. q.45. a.5. c. Si ergo aër aliquis vaporosus, aut aliquis vapor, qui, ex modò dictis, erat corpus diuisibile, & extensum, ambiuisset, ac tetigisset illam superficiem, quæ oculis piorum B.Mariç de Gratijs repræsentat Imaginem, vt proinde fieret antiperistasis; impossibile prorsus est: quòd aër ille vaporosus, aut vapor, per quamcunque condensationem, antiperisticè factam, humectasset angulum Oculi dexteri tantùm eiusdem Præclaræ Imaginis; ex quo tantùm ꝓfluxit Lacrymalis humor, vt patebit infrà, suo loco.

Atque hoc ratione triplici demonstratur.

52 Primò. Quia sic, vnum ex tribus esset omnino dicendum. Vel enim ille aër vaporosus, aut vapor tetigisset in puncto illam superficiem; vel fuisset adeò strictæ magnitudinis, & extensionis, vt non excessisset magnitudinem dicti anguli; vel oporteret asserere, quòd posita causa naturali, sufficienti, & non impedita, non esset secutus effectus. Tetigisset quidem in puncto: quia punctus est quicunque angulus, vt patet: & angulus Oculi dexteri tantùm fuisset tactus; quia tantùm ex Oculi dexteri angulo fluxit humor. Fuisset verò adeò strictæ magnitudinis, & extensionis, vt non excessisset magnitudinem dicti anguli; quia de facto humor fluens, in suo quasi fonte, ac principio, illam non excessit. Oporteret demum asserere, quòd, posita causa naturali, sufficienti, & non impedita, non esset secutus effectus; quia ex ceteris partibus faciei nullus fluxit humor, sed tantùm ex dexteri Oculi angulo. Et nihilominus fuisset sufficiens vaporosus ille aër, aut vapor, dictam superficiem ambiens, huiusmodi effectum in ceteris partibus faciei producere; si fuit sufficiens producere illum in dexteri Oculi angulo: sique id efficere non fuit impeditus in eo; nulla potest assignari ratio, quare fuerit impedi-

tus, in partibus ceteris. Omnes enim, & singulæ partes faciei pictæ; quatenus partes cuiusdam superficiei parietis, vel corporis cuiusuis; de genere partium illarum vtique sunt, quas vocant similares, & eiusdem rationis. Primum ex his tribus est contra illud, quod dixi, necesse esse; vt, ad efficiendam antiperistasim, accideret: nimirum, est contra illud, quòd vaporosus aër, aut vapor, ac proinde corpus diuisibile, & extensum, atque adeò superficies ipsius ambiuisset, ac tetigisset superficiem parietis. Vna enim superficies, ambiens alteram; impossibile est, quod illam tangat, in puncto. Cùm, hoc accidere, tantùm eo casu, possit (vt in Mathematicis est clarum) quo corpus perfectè sphæricum tangeret perfectè planum. Vnde, si vaporosus ille aër, aut vapor tetigisset in puncto superficiem illam; non ambiuisset, tanquam vna superficies, superficiem alteram: quod repugnare substantialibus antiperistasis, quæ sunt explicata; sanè perspicuum est. Quin, dicendum esset, quòd fuisset figuræ sphæricæ perfectæ: atque hoc irrationabiliter omnino; nisi figuræ talis assignaretur etiam causa, quæ, nec est imaginabilis. Secundi autem deberet pariter assignari causa: & hæc itidem imaginabilis nullatenus est. Tertium tandem est maximum absurdum, de quo Sanctus Thomas videndus est, 1. p. q. 14. a. 8. c. Et hucusque prima ratio.

53 Secundò. Vt in Proœmialibus diximus; Lacrymæ illæ sæpius fuerunt abstersæ, & semper tamen redibant, iterúmque fluebant. Illa autem abstersio dissipasset vaporem ambientem extrinsecè: & sic, denuò humectare, & fluxum Lacrymarum continuare non potuisset.

Tertiò. Quia, quando humectatio parietum, & lapidũ fit ab aëre vaporoso, vel à vapore ambiẽte, &c. guttæ conspiciuntur sparsim, per modũ sudoris: & non in vno tantùm loco, per mod͂ Lacrymarũ. Paul. Venet. in Sum. Meteor. cap. 9. Per quæ omnia, bene patet, quod est assertum.

DI-

DISTINCTIO QVINTA.

Perpensis natura substantiarum illarum, quae, vti colores, inductae sunt parieti, ad Sacram pingendam Imaginem, & antiquitate talis Picturae; demonstratur, easdem Lacrymas, neque hinc, vi naturae inferioris, emitti potuisse. Ex his, & ex ceteris, in hac Sectione dictis, infertur; Assertionem principalem, in eius principio, bene fuisse positam. Remissiuè nonnihil innuitur, de dubio; Vtrum humanam, vel voluntariam causam habuerint praedictae Lacrymae. Et prima Sectio concluditur.

54 HActenus probatum est: parietem illum, qui pigmentis figuratam habet Beatae Mariae Nouissimae de Gratijs Eximiam Imaginem; non potuisse naturaliter, nec ab intrinseco, nec ab extrinseco, primo, vel secundo modo; Lacrymalem aliquem humorem, ab aliqua sui parte, proferre.

Quoniam autem posset adhuc addubitare quispiam; Vtrum dictum Lacrymalem humorem potuissent naturaliter proferre substantiae saltem ipsae colorum, quae, ad pingendam Imaginem, inductae sunt parieti, nisi potuit vllo modo paries; ostenditur, neque id fieri potuisse, ratione, quae sequitur.

57 Etenim: substantiae colorum, quibus Egregia Imago, de qua disserimus, depicta est; potuerunt (quemadmodum diximus de pariete) Lacrymalem humorem proferre dupliciter: vel, nimirum, ex sua ipsarum intrinseca-

na-

natura; vel ex aliquo adiuncto liquore, ad ipsas temperandas.

56 Primum non est dicendum. Quia substantiæ colorum, quibus Pictores vtuntur, fere sunt istæ. Cinnabaris: Lapis cæruleus, vnde fit color ille, semiarabicè dictus, Azul vltramarinum: Minium: Ochrea, seu Terra crocea: Crocus: Rubrica fabrilis, vel Terra rubea: Ærugo rasilis, vel Æs viride: Fuligo pictoria, siue Niger fumus: Lapis Armenius: Indicum: Coccus, vel semirabicè, Lac ex Cocco: Sandaracha, vel Auripigmentum: Gypsum, & similia: de quibus, præter Auctores, infrà citandos; videri potest etiam Vitruuius, lib.7. de Architect. à cap.7. & deinceps. Ex his autem, quę fossilia, seu mineralia sunt, quemadmodum quidem est Cinnabaris naturalis, Lapis cæruleus, Minium naturale, Ochrea, Rubrica fabrilis, Lapis Armenius, Sandaracha, seu Auripigmentum; habent pro materia (quod suprà vidimus ex Aristotele) siccam exhalationem ardore incensam, omnibus fossilibus, ac mineralibus communem: ac proinde, sicut etiam, & reliqua fossilia, siue mineralia, vim siccandi, non humectandi habent. Quę verò ex ijsdem arte fiunt, qualis est Cinnabaris, quem fabricant artifices, Azul vltramarinum, Minium artificiale, Fuligo pictoria, & Gypsum; cùm, vi decoquentis, atque adurentis ignis, elaborentur; virtutem induunt, ex eiusmodi decoctione, & adustione (tametsi non haberent illam ex materia) desiccandi permagnam: quod est videre diffusiùs, apud Matthiolum, in Dioscoridem, lib. 5. cap. 65. 66. & 139. cum ipso Dioscoride. Quæ porrò, sine ignis adustione aliqua, sed ex meteria sicca per semetipsam conficiuntur, vt Ærugo rasilis, vel Æs viride, quod nihil est aliud (vt idem Dioscorides, lib.5. cap.30. scribit) nisi ærugo quædam, quam æris laminæ contrahunt, stantes prope acetum, vel inter vinacias, aut vini fæces, acescentes, & postea

stea rasa; & Indicum, quod (vt citatus Matthiolus, lib. 2. cap. 176. & lib. 5. cap. 66. tradit) de spuma purpurea fit, quam colligunt natantem super caldarijs infectores pannorum, dum adhibent satiuam Isatim, siue Glasten; & Lac ex Cocco, quod fit (ex eodem Matthiolo, si legatur, lib. 4. cap. 50.) de granis eiusdem Cocci; retinent eandem suæ materiæ siccitatem illa omnia. Atque hinc Æruginem rasilem (De simplicium medicamentorum Facultatibus, lib. 9.) docet Galenus, ob sui mordacitatem, cicatrizare; & ex Dioscoride (lib. 5. cap. 66.) discimus, Indicum cõstringere, quorum vtrunque siccitatis est effectus; & idem Galenus (citati tractatus lib. 8.) litteris ꝓdidit; Lac ex Cocco exsiccare. Tandem Crocus, qui est simplex quidam flos cunctis notissimus; per eundem Galenum, vbi suprà, ponitur calidus in secundo, & siccus in primo gradu. Ex quibus omnibus palam est; primum ex propositis non esse dicendum, vllo pacto.

57 Nec etiam est dicendum secundum. Adiunctus enim ille liquor, ad substantias colorum temporandas, iam exsiccatus erat, neq; paucos ante annos; cùm Lacrymæ profluxerunt. Quoniam, Alma Dei Genitricis Imago, tunc recenter picta non erat indubiè. Sed si, cùm Altare consecratum est, & primò, & secundò, necdum erat picta; (quod sanè credibile non est, cùm vsus antiquissimus obtinuerit, vt super Altari collocetur aliqua Sacra Effigies, vel penicillis, vel scalpris efformata, quæ, vel parieti hæreat, vel illi sit appicta, qua de re sermo redibit, etiã 3. Parte, Sect. 2. num. 26.) (præterquam quòd vestigia quædam Gothicarum litterarum, in ora superioris vestis eiusdem Almæ Imaginis, auro circuncirca expressarum; quarum sententia, propter vetustatem, colligi vix potest, eandem Imaginem antiquissimam esse, testantur) certè constat, fuisse pictam, siue potiùs, ac veriùs instauratam (quod figuræ quæ-

quædam Angelorum, alterius profectò manus, illam circunstantes ostendunt) anno Christi 1475. Quandoquidem, in primo libro Consiliorum Communis Pinnæ suprà citato, paginâ 93. scriptum apparet; eodem anno, & Aprilis die 13. fuisse solutos, iussu Capitaneorum, solidos quindecim Magistro cuidam Petro à Plano Meleti Pictore, qui pinxit (vt loquitur liber Italicè) *la Figura de la Nostra Donna in Chiesa*. Quam Figuram, illam eandem numero fuisse, quæ Lacrymis manauit; satis apertè indicant nuncupationes illæ, *de la Nostra Donna*, &, *in Chiesa*, quibus dictus Liber vtitur expresè. Nam Augusta Imago Beatissimæ Virginis Matris, quæ, tum Lacrymas emisit, tum subiecta materia nostræ Dissertationis est; semper nuncupata, vulgò, fuit, ac nuncupatur in præsentia, Pinnæ Billorum, ab omnibus (cuius rei firmum dat experientia testimonium) *la nostra Donna*. Quemadmodum Parœcialis Ecclesia Sancti Christophori semper inibi nuncupata item, vulgò, est, & nuncupatur his diebus, pariter ab omnibus, maximè, si de rusticis loquamur, ac plebeijs; *la Chiesa*, simpliciter. Quapropter: si exeuntes, etiam è Templo Maiori, & Episcopio, siue dicamus, è Cathedrali, & ad eandem Ecclesiam Sancti Christophori procedentes, huiusmodi rustici, ac plebeij, Quò vadant, interrogentur; similiter vulgò respondent (quod item testatur experientia) *Andiamo alla Chiesa*. Cùm igitur hæc ita sint, & Lacrymæ profluxerint, anno Christi 1489. & Martij mensis die 20. quisque, per se, computare facillimè potest; quot annos, ante Lacrymarum emanationem, penicillo, coloribúsque fuerit expressa, vel instaurata, religiosis Christianorũ officijs, semper obseruanda, Imago: atque inferre, neutiquam fuisse illam recentem, cùm lacrymata est; neque, ob recentiam, vllo modo, potuisse Lacrymalem humorem emittere.

58 Et sic, remanet conclusum vndequaque: naturam cor-

corporalem, ſiue Angelis inferiorem, propria ſua, naturaliſque virtute; nullatenus prædictas Lacrymas cauſare, vel efficere potuiſſe. Vnde, & ſequitur: quòd bene fuit etiam, in principio Sectionis, poſitum; Lacrymarum huiuſmodi emiſſionem, in ordine ad eamdem naturam corporalem, ſiue Angelis inferiorem, verè fuiſſe Miraculum.

Poſſet forſan, ad extremum, aliquis alius rurſum dubitare: Num tales Lacrymæ cauſam aliquam habuerint humanam, ſiue voluntariam: Num, videlicet, arte hominis cuiuſquam ſint emiſſæ; concluſo iam, quòd, vi naturæ corporalis, & Angelis inferioris, emiſſæ non ſunt. Sed, hac de re, quid ſit dicendum; ſatis patebit ex ijs, quæ, de earundem Lacrymarum adhuc extante Macula, Parte 2. quæſt. 1. ſect. 3. ſcribentur.

Atque hic finis eſto primæ Sectionis.



SE-

SECTIO SECVNDA.

Examinatur eadem emiſſio Lacrymarum, in ordine ad naturam ſpiritualem, ſiue Angelicam.

SEctio diuiditur in tres Paragraphos.

§. I.

Ponitur, ac probatur: applicando ſua naturali virtute paſſiuis actiua, quempiam Angelum potuiße perficere; Lacrymæ tales vt emitterentur: emiſſionem tamen, hoc nihil obſtante; reſpectu etiam naturæ Angelicæ, fuiſſe Miraculum: ac tandem remiſſiuè innuitur, Angelum aliquem de facto id effeciſſe; & quiſnam fuerit.

1 VIſo igitur, quòd natura corporalis, aut Angelis inferior, nullo modo, potuit memoratas Lacrymas emittere: Quæri debet vlteriùs: Num ſaltem aliquis Angelus, virtute ſua naturali, hoc ipſum efficere potuerit. Sermo autem eſt de Angelis bonis, non de malis. Ex dicendis enim, in fine huius primæ Partis, patebit; angelis malis tale Factum nequaquam poſſe adſcribi.

Ad quam Quæſtionem affirmatiuè reſpondetur. Non ſanè, quòd potuerit aliquis Angelus, virtute ſua naturali, formam Lacrymalis illius humoris educere de aliqua materia: ſed, quòd hoc præſtare potuerit, applicando paſſiuis actiua, per motum localem; vt etiam infra pleniùs dicetur. *Motu* nanque *locali, non autem formali,* hoc eſt, *non illo, quo materia tranſmutetur de forma in formam* (vt loquitur, ac docet S.Tho. 1. p. q. 110. a. 2. & 3. & q. 114. a. 4. ad 2. & alibi paſſim) corpus quodlibet obedit Angelis, ad nutum.

Hinc

Hinc tamen haudquaquam sequitur: Lacrymarum emissionem istiusmodi, respectu naturæ spiritualis, vel Angelicæ, non fuisse Miraculum.

2 Primò. Quia Deus, in quolibet Miraculo, ministerio Angelorum vti consueuit: licèt, non in omnibus Miraculis, Angelorum operatio possit se ad principales Miraculorum effectus extendere; vt patet, in suscitatione mortuorum. Id quod ex eodem Sancto Thoma didici, Opusc. 11. a. 15.

Secundò. Quia, licèt aliquis Angelus, applicando sua naturali virtute, per motum localem, actiua passiuis, Lacrymas illas efficere potuerit; nihilominus inde non infertur: naturali tantùm eiusdem Angeli virtute, potuisse Lacrymas easdem effici, ac proinde Miraculosas non fuisse: sed potiùs totum contrarium: Quod, latiùs ratiocinando, sic demonstratur.

3 Angelum enim aliquem id efficere potuisse diuino aliquo iussu speciali tantùm, omnino dicendum est.

Quandoquidem (vt elicitur ex ijs, quæ, 2. Sententiarum ad Annibaldum, loco mox citando, tradit allegatus Sanctus Thomas, & vt infra nos probabimus) quæ fiunt ab Angelis, præter solitum cursum, & consuetudinem naturæ cuiuscunque, vel superioris, nimirum, siue Angelicæ, vel inferioris etiam; iussu aliquo diuino speciali, tantùm fiunt. Et illas Lacrymas, præter solitum naturæ inferioris cursum, & consuetudinem, effectas esse; prorsus palam est, per ea, quæ supra dicta sunt, in prima Sectione.

Effici autem diuino iussu speciali, & effici diuina virtute, idem sunt. Vnde, cùm citatus Sanctus Doctor, in Scripto primo, in eundem Sententiarum librum secundum, dist. 8. q. 1. a. 2. ad 2. litteris prodidisset; Angelum assumere corpus propria virtute (quod est verum, & docent etiam, tum ipsemet iterum, 2. Sent. ad Annibaldum iam allato, eadem distin-

distinctione, q. vnica, a. 2. c. tum S. Bonauent. ibidem, dist. item 8. secunda parte distinctionis, sparsim per totam; tum Vasquez, 1. p. disp. 185. num. 20. tum Pesantius, 1. p. q. 51. a. 2. disp. 1. conclusione 4. tum alij) tamen hoc ipsum is explicando, 1. p. q. 51. a. 2. ad 3. affirmat: quòd *Angeli assumunt corpora, condensando ipsa diuina virtute.* Quibus verbis tantùm abest, vt sibi contradicat (quod fortè videri potest alicui) vt potiùs, explicando, sicut innuebam, dictum prius; hoc tantùm sibi velit: Angelos, videlicet, assumentes corpora propria virtute, quod, proximè allato loco secundi Sententiarum, asseruerat; id facere iussu, & imperio quodam diuino speciali: propterea quòd præter solitum naturæ cursum, & consuetudinem sit; si corpus assumat Angelus, qui de sui natura incorporeus est: & ex adducto alio loco, & ex inferiùs, vt promisimus, dicendis; quod huiusmodi est, nempe, quod est præter solitum naturæ cursum, & consuetudinem; fieri non possit, nisi speciali quodam iussu, & imperio diuino. *Fieri autem speciali quodam iussu, & imperio diuino*, vocat, in loco Primæ Partis, quem præ manibus habemus, *fieri virtute diuina:* ideo dicit, quòd *Angeli assumunt corpora condensando ipsa, virtute diuina.* Et hinc manifestè patet: quòd effici diuino iussu, & imperio speciali, & effici diuina virtute; apud Sanctum Thomam, idem sunt.

4 Hanc doctrinam, & conciliationem duorum locorum Angelici Doctoris, quæ, inter se, pugnantia videbantur; accepi ego ab ingeniosissimo Magistro meo Patre Antonino Nactio Aretino Prędicatorum Ordinis, in suis Prælectionibus ad Primam Partem; quas, cùm de Angelis ageret, excipientibus calamo quamplurimis discipulis, Tiferni, multis ab hinc annis, dictabat.

Cùm igitur ex his habeamus pro comperto, quòd effici iussu, & imperio diuino speciali, & effici diuina virtute, vnum,

vnum, & idem omnino sit; & Lacrymas illas, quanquam possibiles effici alicuius Angeli naturali virtute, effectas tamen esse speciali iussu, & imperio diuino, atque, adeò virtute diuina, sit necesse, quippe, præter solitum naturæ inferioris cursum, & consuetudinem effectas, vt est ostensum prima Sectione; eo posito, quod in Responsione posuimus, nimirum, quod eædem Lacrymæ, virtute naturali cuiuspiam Angeli, effici potuerint; proinde non sequitur: dictam emissionem Lacrymarum, respectu naturæ spiritualis, vel Angelicæ, non fuisse Miraculum; sed sequitur potiùs totum contrarium: videlicet, quòd verè, & propriè, respectu etiam eiusdem naturæ, Miraculum fuerit.

Atque istud ideo: quia, quod speciali iussu, & imperio diuino, atq; adeò diuina virtute factum est, nec aliter fieri potuit; factum certè est, supra facultatem totius naturæ: quod Miraculum necessariò constituere, sentit idem Sanctus Thomas, in locis omnibus; quos, in Præfatione huius Partis primæ nostræ Dissertationis, allegauimus.

5 Concluditur ergo ex dictis: quòd Lacrymas illas, de quibus agimus, effecisse potuerit aliquis Angelus virtute sua naturali: & quòd huiusmodi effectio nihilominus Miraculosa fuerit ex eo; quia diuino iussu, & imperio speciali, atque adeò diuina virtute, Lacrimæ fuerint effectæ; nec aliter effici potuerint.

Quòd autem de facto aliquis Angelus eas effecerit, & quisnam; patebit ex dicendis, Quæstione sequente.

§. II.

Proponitur, ac soluitur primum argumentum, in contrarium.

6 INterim, dicet in contrarium nonnullus, primò: Quia doctrina Sancti Thomæ, 1. p. q. 110. a. 4. c. clarissima

ma est; quòd Angelus, propria virtute, Miracula facere non possit. Si ergo, propria virtute, Lacrymas illas aliquis Angelus efficere potuit; talis effectio non fuit Miraculum.

Respondetur. Doctrinam hanc Sancti Thomæ conclusioni nostræ nihil opponi. Intelligi siquidem debet, ibi Sanctus Doctor loqui de propria virtute; quam exercet Angelus, operando, secundùm solitum, & consuetum naturæ cursum: & non de propria virtute, quam exercet, operando ex Dei speciali iussu, imperio, & virtute. Etenim operans ex tali iussu, imperio, & virtute Dei, licèt exerceat etiam sui propriam virtutem; verè tamen facit Angelus (non quidem principaliter: sed ministraliter tantùm, atque instrumentaliter, vt ibidem, ad 1. clarè fatur ipsemet Angelicus) Miraculum. Cùm operetur supra facultatem totius naturæ, vt, & iam tactum est implicitè saltem; & explicabitur explicite, ac fusè, in sequentibus.

7 Quin etiam, si, quod affirmamus in præsentia non esset verum: inferri sanè permulta possent communi sensui, tum Doctorum, tum Fidelium omnium, imò ipsi quoque sacræ Scripturæ contraria. Et, omissis ceteris;

Primò. Quòd Solis Retrocessio, quæ, temporibus Ezechiæ Regis Iuda, contigit, 4. Reg. 20. Miraculum non fuerit.

Secundò. Quòd, nec etiam fuerit Miraculum Condensatio aëris in pluuias, quæ accidit, ad preces, tum Samuelis, tum Eliæ, & 1. Reg. 7. & 3. Reg. 18.

Tertiò. Quòd pariter Miraculum, nullo modo, dicenda sit Diuisio Rubri Maris, quæ, manum extendente Moyse, facta est; Exodi 14.

8 Et ratio illationum istiusmodi ea est: quòd hæc omnia potuisse fieri ab Angelis, virtute propria; bonis argumentis comprobatur.

Et

Et primum quidem ex his, ab Angelo quouis potuisse fieri naturali virtute; sentit Abulensis, 4. Reg. 20. q. 36. vbi rationes, quas adducit pro sententia sua, videri possunt, si libeat. Et licèt Sanctus Thomas, Opusculo 11. a. 5. videatur opinari contrarium; ea nixus ratione, quòd virtutes creaturarum naturales ad naturales effectus se extendant; illum tamen hoc sibi velle, crediderim: quòd, scilicet, naturali virtute non potuerit Angelus Retrocessionem Solis efficere, propter allatam rationem; cum duratione tantùm, & permanentia: non autem, pro paruo aliquo tempore, & quasi transeunter; qualis fuit Solis Retrocessio, de qua loquimur. Vt autem ita credam, adducor ex eo, quod ibidem ille subdit: nimirum, quòd, etsi naturali virtute non possit Angelus vnum elementum, secundùm se totum, à suo loco mouere, propter eam, quam reddit rationem; ipsa tamen haud obstante, potest secundùm partem: quemadmodum potest homo aliquam terræ, v. g. partem ferre, siue proijcere per violentiam sursum. Ita dici proportionaliter potest de naturali Angeli virtute, respectu Retrocessionis dictæ Solis; vel cum permanentia, vel sine permanentia.

9 Secundum verò, ac tertium potuisse ab Angelis fieri virtute sua naturali; difficultatem nullam habet: dato potissimùm, quòd, vt supradictum est, Angelis, in motu locali, obediant omnia corpora ad nutum: & maximè, quòd (vt patet ex Scripturæ textu) illa non contigerint, in instāti.

Præterquam quòd: non solùm potuerunt singula hæc, naturali virtute, ab Angelis fieri; sed asserendum sit, ex dicendis infra, de facto fuisse Angelos, illorum perpetrandorum, administros.

Ex quibus apertè infertur: quòd (nisi verum sit, esse Miracula, quæ possunt, naturali virtute, ab Angelis fieri, quando fiunt speciali iussu, & imperio, ac proinde virtu-

te Dei) singula tria, quæ narrauimus,& similia; nullo modo, dicenda sunt Miracula.

10 Attamen illatio talis manifestè contraria est communi sensui, tum Doctorum, tum Fidelium omnium; imò, vt dixi, etiam sacræ Scripturæ contradicit. Nam,

Quò ad Fideles. Quis illorum non horreat, audiens illationem istiusmodi?

11 Quò ad Doctores porrò. Vt postponamus reliquos, qui sanè non desunt; illum vnum, qui Magister aliorum in similibus existimatur; in præsentia sufficit, vt adeamus: dico Sanctum Thomam. Hic enim prædicta singula, & ea ratione, quia speciali iussu, & imperio Dei, atque adeò diuina virtute facta sunt; pro Miraculis ponit. Retrocessionem quidem Solis, 1. p. q. 105. a. 8. c. addendo, locum habere hanc, inter ea, quæ in Miraculis tenent summum gradum: Condensationem verò aëris in pluuias, Opusc. 60. a. 15. ac Diuisionem Rubri Maris, in 2. Sentent. dist. 18. q. 1. a. 3. c.

12 Quò ad sacram Scripturam demum. Certum est, citato loco quarti Regum, Retrocessionem illam Solis appellari Signum. Signum verò eo loci denotare Miraculorũ eam speciem, quam, in Præfatione huius primæ Partis, dici Signum, vidimus; clarè tradunt, & Lyranus ibi, & Abulensis, item ibi, quæst. 29. & 30.

Certum est etiam: id, quod narratur, 1. Reg. 7. Condensationẽ, videlicet, aëris in pluuiam, siue in imbres, in tonitrua, & in fulgura: ibidem holocausto tribui, quod Domino obtulit ipse Samuel. Vnde Lyranus ait, quòd Philistijm, *Samuele orante, & holocaustum pro populo* (Israelitico) *offerente; fuerunt cælitus debellati.* Vbi τὸ *cælitus*, Miraculum denotat, ad preces, & ad holocaustum Samuelis, in subitis imbribus, tonitruis, & fulguribus, à Domino factum: iuxta illud, quod S. Hieronymus, explicando Signum,

gnum, hoc est, Miraculum, quod Scribæ, & Pharisæi, Matth. 12. petebant à Christo, ait (vt refert ad eundem locum S. Tho. in sua Catena) *Cupiebant, in similitudinem Samuelis, tempore æstiuo, contra naturam loci, mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, &c.* En expressè Miraculum.

Quemadmodum pariter certum est: pluuiam, 3. Reg. 18. ad preces Eliæ (quod apertissimè dicitur Iacobi 5.) atque ita subitò, ac præter ordinem naturæ, ac Miraculosè; à Deo datam esse. Qua de re, videri potest Abulensis, in eundem locum Regum, quæst. 36.

Atque ad extremum est certissimum: Diuisionem, siue Transitum Maris Rubri ab Apostolo Paulo, ad Hebræos 11. Israëlitarum adscribi Fidei: qua (vt ait Cornelius à Lapide ibi) *Credebant Moysi, Dei nomine, promittenti Miraculosum* (& ecce Miraculum) *& felicem Maris, sicco pede, transitum*.

§. III.

Proponitur ac soluitur secundum argumentum, in contrarium. Remissiuè nonnihil additur de gradu, quem tenet Miraculum istud Lacrymarum, respectu Angelicæ naturæ. Et ex dictis in vtraque Sectione infertur, Assertiones principales earundem necessariò fuisse ponendas.

13 Dicet in contrarium secundò aliquis alius. Si talis emissio Lacrymarum accidere potuit, virtute naturali alicuius Angeli, & nihilominus dicenda est fuisse Miraculum; ergo Miraculum dici debet, quò ad nos tantùm. Sic enim elicitur clarè ex doctrina Sancti Thomæ, 1. p. q. 110. a. 4. ad 2. Ergo dici non debet, neque fuit Miraculum simpliciter.

Respondetur. Quòd ibi S. Thomas manifestè loquitur de Miraculis, quæ a Dæmonibus, vel à Magis fiunt. Dæmones autem talia facere, permittuntur; non iubentur specialiter: idem S. Thomas, vbi infra. Ideo non virtute diuina, quæ idem est, ac diuinum imperium, siue diuinum iussum, ex dictis iam supra, num. 3. & 4. fiunt illa Miracula, quæ faciunt; sed sua tantùm ipsorum propria, Deo permittente. Vnde, quando nos nescimus talium causas; illa, quò ad nos tantùm, & non simpliciter, Miracula vocantur: quod etiam in Præfatione notatum est. Non sic est dicendum de Miraculis factis ab Angelis bonis: qui nunquam sine speciali diuino iussu, & sine speciali diuina virtute, sumpta, vti modò innuebamus, illa faciunt; vt diximus, citato num. 3. cum Sancto Thoma.

14 Non est autem sine ratione dictum, quòd Angeli boni specialiter iubentur ea facere, quæ aliquando faciunt, præter solitum naturæ cursum; Dæmones verò permittuntur. Quia,

Si loquamur de Angelis bonis; scriptum est de ijs, Psalmo 102. ***Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonis eius.*** Vbi ex Lyrano illud, ***Facientes verbum illius,*** ideo subditur; quia Sancti Angeli diuinæ voluntati sunt obedientes omnino. Et ex Bellarmino per illud, ***Ad audiendam vocem sermonis eius***, datur intelligi, Sanctos Angelos ideo facere Dei verbum; vt obediant voci eius: non autem ob aliquam vtilitatem, vel necessitatem ipsorum propriam. Vnde colligitur: obedientissimos esse Sanctos Angelos Dei voluntati; quam, & faciunt, & non sibi; sed Deo tantùm faciunt.

Hoc posito, sciendum est: quòd Angeli cognoscunt rerum naturalium solitum cursum, tanquam aliquid creatum (S. Thomas, 1. p. q. 22. a. 1. c.) cùm nihil Deus produxe-

duxerit in rerum natura, quod menti Angelicæ non impresserit (idem, 1. p. q. 74. a. 2. c.) & ad hoc, vt id cognoscant; pariter idem, 1. p. q. 89. a. 3. c.

Quoniam autem solitus rerum cursus non est aliud, nisi rerum earum solitus ordo, cuius ratio diuina prouidentia est, quæ respicit diuinum intellectum, & diuinam voluntatem, per quem diuinum intellectum, & diuinam voluntatem, Deus est causa rerum omnium; (rursus idem, 1. p. q. 22. modo citata a. 1. c. & ad 3. & q. 9. a. 4. c.) sequitur hinc necessariò: quòd, si ex allato Psalmi loco, boni Angeli diuinæ voluntati sunt obedientissimi; non possint aliquid facere, præter solitum cursum, & ordinem rerum, nisi ex nouo speciali diuino iussu, & imperio. Aliter enim voluntati diuinæ, quam circa solitum cursum, & ordinem rerum, diximus, eos cognoscere; nullo modo vocari possent obedientes, nedum essent obedientissimi.

15 Si verò è contra loquamur de Angelis malis, ac Dæmonibus: summum sanè tenent hi totius inobedientiæ principatum: Et hæc est ratio, quare in diuinis Litteris vocantur passim nomine, ***Belial***, quod à Sancto Hieronymo, & Aquila vertitur, ***Sine iugo***, vt notat Cornelius à Lapide, in secundam ad Corinth. 6. vers. 15. Vnde fit, vt semper, quantùm est in ipsis, diuinæ voluntati sese opponant: quapropter vocari etiam solent nomine, ***Satana***, quod ***Aduersarium*** significare non est dubium. Et hanc ob caussam, ad faciendum, præter solitum naturalium rerum cursum; non expectant diuinum aliquem iussum specialem: quin potiùs, ad homini nocendum, ac Dei voluntatem contemnendam; vellent, operantes præter solitum rerum naturalium cursum, si permitterentur; multa saltem, nisi omnia, penitus perdere. Vasquez, 1. p. disp. 209. nu. 10. Quod si aliquo modo, & aliquando faciunt; id accidit, ex Dei permissu, propter aliquod occultum ipsius Dei iudi-

cium, ac decretum: ex Sancto Thoma, 3. p. q. 29. a. 1. ad 3. & De Potentia, q. 6. a. 5. c. & alibi.

16 Cùm igitur Sancti Angeli, faciendo aliquid, præter solitum naturalium rerum cursum, etiam propria virtute, id faciant necessariò, virtute quoque illa Dei, quam dicimus, idem esse, ac diuinum iussum, diuinúmque imperium speciale, si necesse est, illos esse diuinæ voluntati obedientes omnino; quod non dicitur de Angelis malis, siue de Dæmonibus; non sine ratione asseritur: Angelos bonos, cùm, præter solitum naturæ cursum, aliquando operantur, id facere Dei speciali iussu, & virtute, atque adeò simpliciter Miraculosè; Dæmones verò diuina permissione, tantùm, & ideò Miraculosè, tantùm, quò ad illos, qui talis facti causas nesciunt, non autem simpliciter.

17 Atque hæc de natura spirituali, vel Angelica satis dicta sint; respectu perpetrationis Miraculi Lacrymarum. Ex quibus, cùm in sequentibus aliquo modo (sic poscentibus tractandis rebus) repetentur, ac declarabuntur pleniùs; patebit etiam, quem gradum, inter Miracula, dicendum sit, Miraculum istud Lacrymarum retinere, in ordine ad naturam spiritualem, vel Angelicam; quod iam dictum est, in principio Sectionis præcedentis, in ordine ad naturam corporalem, vel Angelis inferiorem, retinere secundum gradum.

Et ex omnibus, quæ, tum in Sectione hac, tum in præcedente dicta sunt; manifestissimè infertur: quòd huiusmodi Lacrymæ, nullo modo, ab aliqua natura creata, hoc est, neque à corporali, vel Angelis inferiore, neque à spirituali, vel Angelica; virtute tantùm, propria, potuerunt effici: & quòd necessariò resoluendum erat, illarum emissionem, in ordine ad vtranque naturam, verè, ac propriè fuisse Miraculum; quemadmodum, & resoluimus.

APPEN-

APPENDIX I.

Spectans ad vtranque Sectionem.

Considerata maiestate, grauitateque Faciei Sacræ Imaginis, vnde Lacrymæ, de quibus dissertamus effluxerunt; & allatis duobus exemplis Facto Lacrymarum earundem perquàm similibus; ex his omnibus ducuntur argumenta quædam: per quæ confirmatur illud ipsum, quod, in vtraque præcedenti Sectione, principaliter iam resolutum, & probatum est.

1 QVod spectat ad primum. Testantur Pictores, etiam iurati: Sacrosanctam Faciem Dei Parentis huius nostræ nullatenus videri, humanis, vel arte, vel coloribus esse figuratam: sed nescio quid redolere maiestatis, grauitatis, decoris, & quasi diuinitatis cuiusdam; supra hominem, & supra naturam. Præsertim verò, si conferatur, tum Picturis ceteris illorum temporum, quibus præsumitur (vt iam diximus) eadem fuisse formata; tum Faciei Pueruli Christi, qui est illi appictus; tum demum partibus reliquis vtriusque huius, Diuini videlicet Filij, atque Almæ Genitricis Figuræ. Ergo quidpiam, & supra hominem, & supra naturam effectum, dicendæ sunt, fuisse Lacrymæ illæ; quæ ex eiusdem Virginalis Faciei Oculo dextero, quondam emanarunt. Certè, si (vt omittamus alia) quidpiam supra hominem, & supra naturam fuerunt, & ***Equus ille terribilem sessorem habens, optimis operimentis adornatus***, &, ***Duo illi iuuenes, virtute*** ***decori***

decori, optimi gloria, speciosique amictu, quorum, tum primus, tum alteri apparuerunt Heliodoro, cùm ipse Ierosolymis, *circa ærarium præsens*, pecuniam illius transportaturus erat (quemadmodum secundo Machabæorum libro, cap. 3. legimus) etiam (vt ibidem apparet) supra hominem, & supra naturam fuit, quicquid, & per equum, & per duos illos iuuenes, circa Heliodorum eundem, effectum tunc temporis est. Siquidem in ijs (vt sacer Textus ibi consulendus ait) *Manifesta Dei virtus est cognita*. Quare igitur non sic argumentari possumus, circa nostrum euentum?

2 Quod autem spectat ad secundum.

Exempla, duo, quæ sum pollicitus; ex Annalibus Cardinalis Cæsaris Baronij desumo. Et

Primum quidem, tomo 10. anno autem Christi 888. & num. 11. recenset ille, sic scribens.

Sed hoc anno, quid mirandum Aurelianis, in Gallia, acciderit, accipe ex Glabro. Anno Christi incarnati 888. contigit, in Vrbe Aureliana Galliarum, admodum admirabile, atque formidolosum Portentum. Constat ergo, in eadem Vrbe, Monasterium, in honorem Principis Apostolorum, antiquitus constitutum; in quo primitus, Collegium Sanctimonialium Virginum Omnipotenti Deo deseruisse, dignoscitur: quod etiam exinde, cognomento, Puellare dicitur. In cuius denique Monasterii medio, defixum stabat Cruxis vexillum, præferens ipsius Saluatoris, pro salute humana, mortem patientis Imaginem. A cuius, scilicet, Imaginis oculis, per aliquot dierum spatium continuò, multis cernentibus, riuus emanauit Lacrymarum. Ad quod, nimirum, terribile spectaculum inspiciendum, multitudo maxima conuenit hominum. Plerique tamen, cùm illud cernerent, admodum animaduertentes, quoddam esse diuinitatis Præsagium, coniectati, sunt; videlicet, illius

Vrbis

Vrbis superuentura calamitatis. Quemadmodum enim ipse, per se, Saluator, præsciens iminens Vrbi Ierosolymitana detrimentum, fleuisse illam perhibetur; sic denique, & hanc, videlicet, Aurelianam, paulò post, imminentem cladem passuram, per expressam suæ Imaginis Figuram, comprobatur. Et paulò post, sequenti anno, tota illa Ciuitas humana habitatio, cum domibus Ecclesiarum, igne cremata est. Hæc ille.

Alterum verò, tomo 12. anno 1185. num. 15. per occasionem, describendi pœnas, quas, ob immanitatem suam, dedit Andronicus Comnenus Imperator; narrat ex Niceta Choniata, Constantinopoli contigisse, sic aiens.

Imago verè cælestis illius Oratoris Pauli, antiquæ manus opus, quam auro exornatam in illa Aede reposuit; imminente ei exitio, lacrymauit. Quo is audito, explorari iubet, an verum sit. Ad id ministerium, præter ceteros, Hagiochristophorita Stephanus delectus, per gradus ascendit (nam in sublimi pendebat Imago) Paulique pupillas purissimo linteolo absterfit: quo facto, Lacrymæ magis etiam, tanquam ex fonte, exuberarunt. Quod, vbi cum admiratione retulit; Andronicus, graui dolore perculsus, & diu agitato capite, cum gemitu dixit: Paulum videri, sua causa, lacrymasse; & grauissimam sibi cladem impendere, &c.

3 Sed, vt bene intelligatur huiuscemodi narratio, supplenda quædam sunt: videlicet, eum, qui dicitur, in Aede reposuisse Imaginem Sancti Pauli auro exornatam; fuisse Andronicum eiusdem Sancti Pauli studiosissimum: Aedem fuisse Sanctorum Quadraginta Martyrum Ecclesiam, quam, & idem condidit Andronicus: & exitium tandem ipsimet Andronico imminuisse; quod & passus est. Legatur, apud Baronium, tota Historia, si placet.

Interea verò conferantur his exemplis illa omnia, quæ, in

in Procœmialibus, retulimus, Factum nostrum Lacrymarum recensentes; & præsertim incisa lapidi Inscriptio, vbi illa, *Futura calamitatis præscia, miserata plebem Lacrymas effudit:* & addantur præterea, quæ Iacobus Mastinus, in Carmine de primo Incursu, partim ibidem adducto, respectu eiusdem Facti Lacrymarum, scripsit, alloquens Deiparam; & Inscriptioni dictæ congruenter, ita canens:

Per tuis ergo Lacrymas Ocellis,
Lustra sunt sex, in roseas genas, quæ
Nempe scatebant,
Bella prædixsti, &c.

& apparebit manifestè, allatorum Exemplorum, & nostri Facti Lacrymarum, quanta sit similitudó. Maximè, si recolantur etiam, quæ transcripsimus ibidem, ex eodem Mastino, de Factis vtriusque Liberationis, quæ, modò vidimus, eundum *Bella*, per dictas Lacrymas, prædicta, hoc est, prænunciata, nuncupasse; quemadmodum *Calamitates* nuncupauit Inscriptio.

Porrò autem: emissiones Lacrymarum, iam enarratæ, per Baronium; Prodigia quidem, ac Portenta sunt: ac proinde, respectu naturæ vtriusque, verè, ac propriè Miracula. Eruitur enim hoc apertè ex ipsius Baronij verbis iam exscriptis, quod spectat ad primam; & quod ad secundam spectat, ex Odorici Rinaldi Tabula, suos in Annales, ex Baronianis Italicè contractos, & extractos, verbo, *Lagrime prodigiose*. Credere igitur debemus, ac fateri: Prodigium, ac Portentum esse, atque adeò, respectu naturæ vtriusque, verè, ac propriè Miraculum; emissionem quoque Lacrymarum, de qua nos agimus, illis perquàm similem. Per exempla enim, quæ (vt ait Aristoteles, in Rhetorica ad Alexandrum, cap. 8.) similia sunt ijs, quæ nos dicimus; (ex eodem, Rhetoricorum lib. 2. cap. 27. particula 7.) fides fit.

AP-

APPENDIX II.

Ad vtranque pariter Sectionem spectans.

Proponitur, ac soluitur argumentum vnum, contra principaliter Asserta, in vtraque Sectione præmissa: eoque nihil infirmari vim argumenti, pro nobis in Appendice prima positi; præterea monstratur: ostenso primùm, qua de causa credi possit, Mariana huiusce Imaginis Lacrymas, ex vno tantùm Oculo, illoque dextero dimanasse.

6 SCriptis ijs, quæ in Appendice proxima volui iam scribere: mihi propositum est, non sanè contemnendum argumentum in contrarium, à Viro litterato admodum, permagníque iudicij (postea quàm illa vidit) quod hîc profectò suum sibi vendicat locum, ac sedem.

Et argumentum, propositum quidem per occasionem eorum, quæ vidimus, narrare Baronium; non ex oculo, videlicet, sed ex oculis, ac proinde non ex vno tantùm, sed ex ambobus, tum Imaginis Redemptoris, tum Imaginis Beati Apostoli Pauli, Lacrymas effluxisse; huiusmodi est.

Dei, dicebat ille, *perfecta sunt Opera*: Deuteronomij 32. Miracula solius Dei sunt opera: *Qui facit mirabilia magna solus*, Psal. 71. & 135. Ergo Miracula perfecta sunt. Sed, ex vno tantùm oculo Lacrymas emittere, quidpiam imperfectum est; vnde & naturaliter, in hominibus veris, ac viuentibus, non accidit, nisi per ægritudinem aliquam, vt est clarum; ergo ex vno tantùm oculo Lacrymas

emit-

emittere (vtpote quidpiam imperfectum) inter Miracula, ponendum haudquaquam est; nec respectu superioris, nec etiam respectu inferioris naturæ. Atque ita Lacrymarum emissio, de qua dissertatum adhuc est, vtpote procedens ex Oculo tantùm vno, dextero, videlicet, Marianæ Imaginis, non autem ex ambobus, quod in allatis exemplis accidisse, obseruauimus; nullius respectu naturæ, Miraculosa dicenda est: sed tantummodo per accidens, in ea parte dictæ Imaginis, in qua exsiccati humoris, etiam his diebus, apparet vestigium; aliquando euenisse.

6 Quin propterea dissimilitudo insuper, inter emissionem Lacrymarum hanc, atque illas, de quibus fit sermo in præfatis exemplis; manifestè detegitur: vnde cessare, necesse, est vim quoque argumenti primæ Appendicis, quo Assertiones memoratæ principales confirmabuntur. Hæc ille: & satis quidem vehementer, vt, primore ipso aspectu, apparet.

7 Attamen, haud multo cum labore, soluuntur huiusmodi.

Concedo nanque in primis, Dei opera esse perfecta: Miracula Dei opera esse; atque idcirco esse illa perfecta. Nihilominus illud addo cum Sancto Thoma, 1. 2. q. 98. a. 2. ad 1. & 2. 2. q. 171. a. 4. ad 2. quòd ad hoc, vt aliquid sit opus Dei; necesse nequaquam est, vt sit perfectum simpliciter. Alioquin, neque Lex vetus, neque Prophetia, qua Prophetæ prophetant; Dei esset opus. Etenim Lex vetus erat imperfecta: quod ostenditur per illud, ad Hebræos 7. ***Nihil ad perfectum adduxit Lex:*** sicut & Prophetia imperfectum aliquid est: quocirca dicit Apostolus, 1. ad Corinthios 13. ***Ex parte***, hoc est (vt explicat idem Sanctus Thomas, 2. 2. loco citato, & in Expositione, in eundem locum, lectione 3.) imperfectè, ***prophetamus.*** Tamen Lex vetus, tanquam Dei opus, à Deo data est: vnde

de in Collecta, pro Festo Sanctæ Catharinæ Virginis, & Martyris, ait Ecclesia; *Deus, qui dedisti Legem Moysi, in summitate montis Sinai:* & de Prophetia, 2. Petri 1. legimus; *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Quò ergo dici, & esse opus Dei aliquid possit (ex ipso Sancto Thoma, locis allegatis) id sufficit: vt sit, nimirum, perfectum, vel secundùm conditionem, aut temporis, aut locorum, aut personarum; quibus, aut pro quibus fit: & ita Lex vetus, secundùm conditionem temporis, quo data est, & personarum, quibus data; fuit perfecta: vel ita, vt nihil eorum desit, ad quæ ordinatur; quanuis ei fortè desit aliquid: & hoc modo Prophetia est perfecta; quia, ipso euentu, illa comprobatur ita, vt nihil eorum, ad quæ ordinatur vnquam desit; quanuis non quælibet Prophetia sit prophetabilium omnium reuelatio, atque adeò desit ei semper aliquid.

8 Porrò autem: hanc perfectionem vtranque in emissione Lacrymarum fuisse, qua de loquimur; facilè reperio.

Primò nanque: fuit illa perfecta, secundùm conditionem Oculi vnius; ex quo processit. Quandoquidem, respectu illius Oculi, omnia prorsus habuit; quæ ad emissionis Lacrymarum similium, hoc est, Analogicarum pertinent substantiam: vt ex ijs patet, quæ, Sect. 1. §. 3. sunt dicta.

Secundò verò: cùm eadem sanè (quod ostendimus in Appendice prima) Prodigiosarum fuerit emissio Lacrymarum; fuit, etiam hac in re ita perfecta (licèt ex vno tantùm Oculo procedens) vt nihil eorum defuerit, ad quæ, vt huiusmodi, ordinabatur. Cùm enim ordinaretur, vt est visum, ad calamitates bellicas, quæ Pinnensibus imminebant, præmonstrandas; rerum ipsi exitus edocuerunt,

quàm

quàm verè ipsas præmonstrarit, quàmque re ipsa nihil defuerit earum.

Bene igitur habuit illud omne, quod, vt esset, ac dici verè posset opus Dei, ac proinde, respectu naturæ vtriusque (vt iam probauimus) Miraculum, sufficiebat; etiamsi ex vno tantùm Oculo duxerit originem.

9 Quin, sic ortum trahens, tantùm perfectionis, ad præmonstrandas calamitates memoratas (vt ipse arbitror) habuit; vt nihil amplius desiderari posse, videatur.

Quod vt ostendam; ijs inhærens, quæ iam, in Appendice prima, Baronius ex Glabro referebat; aduerto: Deiparum Virginem, emittendo, per suam Imaginem, Lacrymas huiusmodi, id egisse propemodum erga Pinnenses, per eandem; quod egit Christus Dominus personaliter erga Ierosolymitas: cùm (vt, Lucæ 19. capite, legimus) ***Videns Ciuitatem*** (Ierosolymam) ***fleuit, super illam.*** Etenim Christus ipse Dominus, qui tunc fleuit: non tam sanè fleuit (quod ait Sanctus Cyrillus, in Catena Sancti Thomæ, ad allegatum locum Lucæ) vt, ***Per aliquod humanum, fieret euidens*** eius commiseratio, in Vrbem, quæ euertenda erat, cuiúsque non erat relinquendus lapis super lapidem; quàm, vt ostenderet tristitiam, ac fletum (***Effusæ enim Lacrymæ***, vti testatur idem Sanctus Cyrillus ibidem, ***sunt signa tristitiæ***) quem assumere debebat ipsa Ciuitas, non solùm propter superuenturam euersionem sui; sed multò maximè propter peccatum, quo noluit suæ visitationis tempus cognoscere, & propter quod erat euertenda. Et ideo flens dixit, ***Quia, si cognouisses & tu, quæ ad pacem tibi:*** hoc est, vt exponit Iansenius, in Concordiam Euangelicam, cap. 110. ***O si, vel ò vtinam, etiam tu nosses, quæ faciant tibi ad pacem***: hoc est, ex ijs, quæ subdit, O vtinam, etiam tu nosses peccatum, quod perpetrasti, nolens tuæ visitationis tempus cognoscere; & hoc noscen-

ſcendo peccatum, ſicut ipſe nunc ploro, ſic tu credens in me, prædicationémque meam ſuſcipiens, triſtitia, fletúque illud elueres! Si enim hoc faceres; bonis omnibus, tum ſpiritualibus, tum temporalibus gauderes, & pacem haberes cum Deo, & cum hominibus; atque adeò non deuaſtareris à Romanis. Modo pari Deipara Virgo, per Sacram ſuam Imaginem, emittendo Lacrymas; id non tam fecit, ad ſe, humano quaſi modo, commiſerantem Pinnenſes de calamitatibus, quas præſciebat, ipſos accepturos ex Incurſu hoſtili, indicandam; iuxta illud Inſcriptionis, ***Futura calamitatis præſcia, miſerata plebem*** (commiſeratio nanque in Beatis, licèt inueniri non poſſit, per modum paſſionis, & ſecundùm affectum; inuenitur tamen per modum electionis, & ſecundùm effectum; qua de re videndus eſt Sanctus Thomas, & 1. p. q. 21. a. 3. c. & in ſuppl. ad 3. p. q. 95. a. 2. c.) quàm, vt hoc pacto commoneret ipſos de dolore, ac planctu, qui ſuſcipiendus erat ijſdem; non ſolùm propter eaſdem calamitates (non enim vetamur dolere, ac plangere calamitates noſtras, modò voluntate noſtra non ***contrariemur,*** vt ait Sanctus Thomas, 1. 2. q. 39. a. 2. ad 3. diuinæ voluntati) ſed, & multò maximè, propter propria peccata, quæ (illi cõgruenter, quod Leuitici 26. ſcriptum eſt, ***Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubiiciemini his, qui oderunt vos***) imminentium ſibi bellorum erant cauſæ.

Vt commoneret igitur illa Pinnenſes de dolore, ac planctu, quem de ſuis peccatis debebant ipſi ſuſcipere; perquam appoſitè, atque ita perquam perfectè, Lacrymas ex vno tantùm Oculo, illóque dextero, ſuæ Reuerendæ ſemper Imaginis, emiſit.

10 Ex vno tantùm Oculo quidem; quia, ſic præſignificauit adamuſſim; fuiſſe illis verè, hoc eſt, propter Deum

summè dilectum, de peccatis dolendum,& plangendum. In hoc enim (vt in scholis Theologi docent) vera Pœnitentia, nimirum,illa, quæ (quod Ieremiæ 18. dicitur) vt Deus hæc verba promat, *Agam, & ego Pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei*, operatur; est ita.

Per Lacrymas autem ex vno tantùm emissas Oculo præsignificari adamussim hoc ipsum; bene demonstrat illud, quod Sponsus Cęlestis ad Fidelem animam suam sponsam aiebat, Canticorum 4. vers.9. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*. Vbi, pro τὸ *Vulnerasti cor meum*, ex Hebræo, & Septuaginta legitur, *Abstulisti mihi cor*. Atque ita (vt exponit ibi Michaël Ghislerius, expositione 2. num. 8. vers. *Admodum verò*) sensus est: Voluntatem à Theologis appellatam signi, qua homines propter peccata, secundùm Iustitiam, punire volueram, à me *abstulisti*: & in vno sanè oculorum tuorum *abstulisti*; *abstulisti*, videlicet, in vera Pœnitentia, Cælestis inquit Sponsus. Et rectè quidem vnus oculus veram designat Pœnitentiam. Illa est enim Pœnitentia vera, quæ per dolorem, & planctum, quasi vno tantùm oculo, *Ad Deum solum* (vt ait, homilia octaua in Cantica, Sanctus Gregorius Nyssenus) *acriter intuetur*; altero verò oculo *est cæca in alijs omnibus, ad quæ vulgi dirigitur aspectus*.

Patet ergo per hæc: quàm adamussim, vt dixi, præsignificauerit ipsa Deipara, per Lacrymas emissas ex vno tantùm Oculo, verum dolorem, verum planctum, verámque proinde Pœnitentiam, quam debebant assumere Pinnenses; vt imminentibus calamitatibus bellorum liberarentur.

11 Quæ quidem præsignificatio confirmatur vlteriùs ex eo: quòd Oculus, vnde sunt emissæ huiusmodi Lacrymæ, non solùm erat vnus; sed & dexter. Si enim (vt ait Sanctus Augustinus, in Psalmum 120. explicans illa verba

Domi-

Dominus protectio tua super manum dexteram suam) *Sinistra nostra dicitur quicquid temporaliter habemus, Dextera nostra dicitur quicquid nobis æternum, & incommutabile Dominus pollicetur*, hoc est (vt post paulò subdit) *ipse Dominus, ac Deus*; emittens Deipara Lacrymas ex vno suæ Imaginis Oculo; ac proinde præsignificans, ex dictis, veram Pœnitentiam, Deum solùm intuentem, agendam à Pinnensibus; hoc ipsum planè propterea confirmabat; quòd Oculus ille non sinister, sed dexter erat; atque adeò non nostra temporalia, sed ipsum æternum, & in commutabile bonum, ipsum nempe Deum denotans; ad quem duntaxat erat eadem Pœnitentia dirigenda.

Sic ergo se rebus habentibus: vtique admodum perfecta, imperfecta nullatenus dicenda est huiusmodi emissio Lacrymarum (quanuis ex vno Oculo tantùm enascens) in præmonstrando præsertim, quod præmonstrauit.

12 Accedit: quòd, si esset idcirco dicenda imperfecta Lacrymatio hæc; imperfectæ pariter essent dicendæ Lacrymationes omnes Imaginum Sacrarum ceterarum; quæ ex vno item Oculo tantùm sunt exortæ. Quarum Sacrarum Imaginum vna est, in Oppidulo quodam, quod Petrella, siue Petricula Guidi, Feretrana in Prouincia, nuncupatur; & Pinna Billorum, duo circiter distat milliaria. Vbi sanè, tanquam Prodigiosa, piè admodum, ac religiosè illa colitur ea de causa; quod Lacrymam sanguineam ex vno tantùm Oculo quondam emisit.

13 Imò imperfectus dicendus esset etiam fauor ille perinsignis, quo Christus Dominus prosecutus est olim Sanctum Bernardum Abbatem, per Crucifixi quandam Imaginem; cùm vno brachio tantùm, illóque dextero è Cruce ipsa refixo, illum complexatus est; ipsíque ad suum latus admoto, suum diuinum Sanguinem potandum dedit. Quod, licèt Laurentius de Zamorra, in suo Sanctuario, lib. 6.

discursu 2. §. 6. brachijs, non brachio factum fuisse, prodiderit; Picturæ tamen. *Quæ* (vt scribit Sanctus Gregorius, lib. 9. Registri, Epistola 9. ad Serenum Episcopum Massiliensem, *in Ecclesia, ad ædificationem imperiti populi fuerunt facta; vt nescientes litteras, ipsam Historiam attendentes, discerent, quid actum sit*; & idcirco illam fidem faciunt, quam Historiæ; clarè testantur, per vnum brachium tãtùm, illúdque dexterum, id obtigisse. Et ratio mox adducenda docebit, quare hic fauor dicendus esset imperfectus.

14 Ac tandem: quidpiam imperfectum pariter dicendũ esset illud, quod narrat Sponsa, 2. Canticorum, sibi à Sponso euenisse; *Laua eius*, inquiens, *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Quia, quemadmodũ Lacrymæ Imaginis, vt sint perfectæ, decidere debent (quod contrarium supponit argumentum) ex vtroque oculo illius; pari modo amplexatio, quæ non est, nisi rei alicuius intra brachium vtrũq; inclusio; quò perfecta sit, brachio fieri debet vtroq;

15 Notare autem imperfectionem, in tot insolitis fauoribus diuinis, qui in eo præsertim, ad quod ordinantur, non nisi sunt perfecti, quanuis fortè simpliciter huiusmodi non essent, vt tactum est supra, cum Sancto Thoma; profectò temerarium uidetur. Quare temerarium quoq; uideri debet, imperfectionem in emissione Lacrymarum, de qua disserimus, notare; cùm & illa etiam inter insignes, & insolitos Dei fauores collocanda sit, ut est probatum; esto, deriuarit ex uno tantùm Oculo. Temerarium, inquam, id uideri debet; quanuis (ut asserebat argumẽtum) Lacrymari uno tantùm oculo, in homine uero, ac uiuente (quod, cùm pertineat ad morbum, inter fauores diuinos, præter consuetum rerum ordinem, non computatur) re ipsa dicat imperfectionem.

Ac proinde nihil facit idem argumentum ad hoc, ut eadem emissio Lacrymarũ dici non possit, ac non debeat Miraculum; neque ad illud, ut potiùs dici debeat aliquid per accidens.

16 Ad

16 Ad huius autem secundi clariorem euidentiam, addenda sunt quædam, in sequentem modum.

Meminisse nanque oportet: dari quidem, tum Theologicis, tum Philosophicis in scholis, entia quædam; quæ, tum fiunt, tum sunt etiam, ac dicuntur entia per accidens. De quibus, præter ceteros, videri possunt Aristoteles, Metaphysicorum libro 11. cap. 7. & Sanctus Thomas ibi, lectione 8. Et huiusmodi sunt: fodere sepulchrum, verbi gratia; & fodiendo, thesaurum inuenire: cadere lapidem; & cadendo, Sortem occidere transeuntem: & ex rebus diuersorum generum aggregata quæcunque; cuiusmodi est, esse musicum, & simul esse album, & sexcenta similia.

Porrò, hæc omnia, quæ sanè simpliciter vnum haudquaquam sunt (vt ait idem Sanctus Thomas, in 2.2. q.95. a.5. c.) sed simpliciter multa; quapropter iunguntur, & aggregantur simul per accidens, hoc est, accidentaliter accidit, vt hoc fiat; possunt (vt optimè scribit Caietanus in citatum Articulum Sancti Thomæ) dupliciter considerari.

Primò, in quantùm sunt iuncta simul, per accidens: vt, si consideremus hoc totum, quod est, esse Musicum, & simul esse album; fossionem sepulchri, & inuentionem pariter thesauri; &c. Secundò, secundùm ambas partes diuisim: putà, esse album de se, esse musicum de se, fossionem sepulchri de se, inuentionem thseauri de se, &c.

Si considerentur primo modo (vt subsumendum est ex Sancto Thoma, 1. p. q.115. a.6. c.) particularem, & naturalem non habent causam. Si cōsiderentur secundo modo, illam habent. Esse enim album de se, habet particularem suam, & naturalem causam; & similiter esse musicum de se: sicut particularem suam, & naturalem causam habet fossio sepulchri de se, & inuentio thesauri pariter de se: quæ quidem particulares, & naturales causæ assignari facilè possunt. Non sic autem, si considerentur simul iuncta. Et

rationem huius rei subdit, 2. 2. citato loco, Sanctus Thomas: quia secundo modo sunt verè entia, & vna: & ideo habent causam: quia operatio, quæ procedit ab vno principio, semper terminatur ad aliquid vnum. Primo autem modo, neque propriè sunt entia, neque vna; & ideo causam, quæ ad vnum aliquid terminatur; habere non possunt. Habent nihilominus, quocunque modo sumpta, causam vniuersalem; nempe, diuinam Prouidentiam: quam (ex eodem Sancto Thoma, 1. p. q. 22. a. 2. ad 1.) nullo prorsus modo possunt subterfugere.

17 Ad hoc igitur, vt sit, vel fiat, vel dicatur aliquid, per accidens; duo requiruntur: vt, nimirum, aggregentur plura, & diuersa; quod est primum: & vt, quantùm ad aggregationem, qua simul sint; nullam particularem, & naturalem habeant causam, sed vniuersalem duntaxat; quanuis, vt separata, ac diuisim sumpta, suam habeant, & particularem, & naturalem causam; quod est secundum.

Ad rem nostram: videtur quidem, esse aliquid per accidens; quòd Oculo dextero vnius Imaginis iunctæ sint, & aggregatæ quædam Lacrymæ. Sunt enim hæ res, inter se, valde diuersæ: quippe quæ connexionem adinuicem non habent effectus ad causam, qualem habent Lacrymæ ad verum, & viuentem oculum; & quippe quæ præterea sunt prædicamentis in diuersis: Lacrymæ, nimirum, in Substantiæ prædicamento; Oculus verò Imaginis, tanquam forma, vel figura nonnulla, in prædicamento Qualitatis. Et sanè certum est (ex Aristotele, Metaphysicorum lib. 10. tex. 12.) *Quorum neque mutua generatio, quorumque alia figura categoria;* genere dici omnino diuersa: quod primum requisitum est, ad efficiendum aliquid per accidens. Attamen, cùm hoc aggregatum, Oculus, nimirum, Imaginis, & Lacrymæ, consideratum primo ex iam dictis modis, nullam oporteat habere particularem, atque natura-

lem

lem causam, stante supra posita doctrina; imò talem particularem, ac naturalem causam, consideratum etiam secundo modo, ac diuisim, maximè quantùm ad Lacrymas (quod ex huius Quæstionis primæ toto processu apertè patet) neque habeat; esto, quantùm ad Oculum, pro particulari causa, eum, qui pinxit, habuerit, & quantùm ad vtrunque, tum primo, tum secundo modo consideratum, vniuersalem causam subterfugere nequiuerit; sic, vtpote secundo requisito destitutum; in genere illorum, quæ in scholis dicuntur entia per accidens, poni nullatenus potest.

Relinquitur ergo: vt sit vnum aliquid ab illa summa, & vniuersali causa, quæ sola patrat Miracula, per se intentum: atque adeò vnum aliquid, non nisi Miraculosum.

Et sic argumenti contrarij vis tota penitus corruit.

18 Ex quo deinde, neque detegitur dissimilitudo, inter emissionem hanc nostram Lacrymarum, atque illas, de quibus fit sermo, in exemplis allatis in Appendice prima; vnde cesset argumenti vis ibidem positi pro nobis, id quod erat eiusdem argumenti contrarij, quasi quoddam corollarium. Nihil enim obstante, quòd emissio nostra Lacrymarum ex vno tantùm Oculo processerit, illæ verò ex ambobus; adhuc tamen inter eas dissimilitudo nulla detegi potest. Tum, propter dicta, in eiusdem Appendicis fine; tum, quia Dissimilia sunt (ex Aristotele, 5. Metaphys. tex. 16.) quorum qualitas est diuersa, non eadem, & vna: & horum duorum, hoc est, emissionis Lacrymarum ex vno tantùm oculo, & emissionis Lacrymarum ex ambobus oculis qualitas diuersa non est; sed eadem, & vna: quia in vtrâque adest oculus pictus Imaginis, atque adeò forma, siue figura, species qualitatis: & in vtrâque adest pariter fluxus ille Lacrymarum, tanquam passio quædam, species item qualitatis.

hîc sumi propriè, strictè, ac formaliter; quemadmodum sumi videtur ab Auctore Carminum, suprà in Proœmialibus relatorum; qui termino, *Radijs*, vtitur simpliciter, & sine vllo alio addito, dicens;

Tu, Pia, Ignitis oculos furentum
Percutis aulci Radijs domo pro, &c.

Radius enim propriè, strictè, ac formaliter sumptus non est aliud; nisi, quod supponit corpus lucidum ex sua natura, vt explicatum est.

3 Quòd, si Radius non sumatur strictè, ac formaliter, sed largè, ita vt includat etiam splendorem; qui splendor, licèt (vt paulò ante vidimus) sit aliquid omnino distinctum à Radio strictè, ac formaliter sumpto, tamen est Radius reflexus, vt ex Perspectiuis videre est, apud Collegium Conimbric. in librum 2. De Cælo, capite 7. q. 3. a. secundo; non est necesse, vt immediatè supponat Corpus lucidum ex natura sua: cùm emittatur immediatè à corpore quocunque, opaco tamen, illuminato aliena luce: quemadmodum sic emittitur à quocunque corpore opaco, percusso Radijs Solaribus, rectâ lineâ productis. Qui sensus fortè potest videri congruere verbis Inscriptionis Pictæ Tabulæ, item suprà in Proœmialibus relatis; inter quæ, sunt illa, *Miro splendore fulgens*.

Et tunc Corpus lucidum, quod præextitisse oportebat dictis Radijs; debuit esse aliquod Parelium meteorologicum, vel secundùm solitum, vel præter solitum naturæ cursum, effectum. Parelia nanque sunt illa, quæ, inter Corpora lucida non ex natura sua; maiores Radios reflectere solent præ ceteris, maximè, si loquamur de ijs Corporibus lucidis, quæ fiunt in sublimi, & non sunt artificialia. Quandoquidem, ex artificialibus etiam, reperiuntur quædam Corpora lucida, cuiusmodi sunt præsertim Specula dicta comburentia; quæ Solaribus Radijs percussa,

refle-

SECTIO PRIMA.

Examinatur Corpus lucidum, quod, vt inde Radij procederent; præextitisse supponitur.

SEctio distribuetur in Paragraphos octo: quorum, & secundus, & sextus, & octauus rursum distinguentur; vt apparebit.

§. I.

Ratio redditur, quare supponendum necessariò sit, Corpus aliquod lucidum præextitiße; vt inde procederent Igniti Radij. Enumerantur ea, quorum aliquod necesse est, vt fuerit huiusmodi Corpus. Concluditur, nullum ex his enumeratis illud esse potuisse, præter vnum; quod generatim assignatur. Demum proponitur, esse probandum, & quantùm ad negata & quantùm ad affirmatum, quod est Conclusum; & de affirmato, quid sit præterea videndum.

1 OPortet igitur: ad hoc, vt istiusmodi Radij perentterent hostium oculos, ne possent videre Pinneales propriæ Patriæ defensores; præextitisse aliquod Corpus lucidum ex natura sua; vnde illi Radij procederent, atque emitterentur ipsâ rectâ lineâ. Radius enim nihil est, nisi lumen, prout rectâ lineâ procedit à Corpore lucido ex sui natura; quod lumen postea, prout recipitur in diaphano, sicut est aër, vocatur simpliciter lumen; &, prout causatur ex reuerberatione Radij, vocatur splendor.

DISTINCTIO PRIMA.

Probatur, Corpus huiuſmodi lucidum eſſe non potuiſſe aliquid Cæleſte, neque aliquid igneum de nouo creatum, neque aliquis Ignis accenſus ab hominibus, neque aliqua particula elementi ignis.

5 PRimò igitur. Non potuit eſſe tale Corpus aliquid cæleſte. Quia, ſi tale aliquid fuiſſet; vel extitiſſet in ipſo Cælo, vel inde fuiſſet abſtractum. Extitiſſe in ipſo Cælo, dici non poteſt. Etenim Iacobus Maſtinus (vt ſupra ſuo loco viſum eſt) refert: Corpus illud lucidum, vnde dicti Radij proceſſerunt; apparuiſſe, rutilare ab altis Pinnis, hoc eſt, ab Arce Pinnenſi. Præterquam quòd, ſi daretur extitiſſe, in ipſo Cælo; neceſſariò declarandum, & aſſignandum eſſet, quid inibi fuiſſet. Si quid antiquum, putà, aliqua ſtella fixa vel errans; quare non cauſat in præſentia, quod tunc effecit? Si quid nouum; obſtat in contrarium Peripateticorum Axioma commune, ***Cælum***, videlicet, ***eſt ingenerabile, & incorruptibile***. Quod obſtat etiam in contrarium, quin dicatur ſecundum; fuiſſe, nimirum, aliquid, ab ipſo Cælo abſtractum, & poſitum ſuper ipſis altis Pinnis. Quod tamen ſi daretur; ecce Miraculum. Non ſolùm enim præter, & ſupra naturam factum fuiſſet; ſed omnino contra id (vt Sancti Auguſtini phraſi vtar) quod nouimus in natura: ídque clarum eſt. Cùm autem hoc non fuerit vllo modo neceſſarium; nullo etiam modo dari debet. Quandoquidem (quod eſt aliud commune Axioma) ***Ponenda, neceſſitate non cogente, Miracula non ſunt.***

6 Se-

6 Secundò. Non potuit esse aliquid igneum de nouo creatum. Quia Deus, qui *die septimo requieuit ab vniuerso opere, quod patrarat*, Genesis 2. idest (vt ibi exponunt Lyranus, & Caietanus) ab efficiendis nouis creaturis; nihil postmodum de nouo creauit, aut creat (quicquid dicant aliqui) nisi, quæ aliter fieri non possunt, quàm per creationem: videlicet, quæ in primis illis creaturis, vel materialiter, vel causaliter, vel, vt in quibusdam virtutibus, non præextiterunt; cuiusmodi sunt animæ rationales, propter earum immaterialitatem; quæ propterea, cùm est opus, creantur. Et ideo Ecclesiastici 1. dicitur, *Nihil sub Sole nouum: iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos*. Quod, etsi videatur, etiam de animabus rationalibus posse intelligi, propter earum præexistentiam, secundùm similitudinem, in anima primo creata; quia tamen sunt immateriales, & ideo non præextiterunt in primis creaturis, vel materialiter, vel causaliter, vel, vt in quibusdam virtutibus, sicut cetera omnia corporalia, quæ propterea non sunt noua sub Sole; ideo necesse est, vt continuè, cùm est opus, ipsæ solæ, sub Sole, creentur. Quæ omnia ex Sancto Thoma, 1. p. q. 72. a. 1. ad 3. & q. 108. a. 1. & 2. c. Sed Corpus illud lucidum (ex eo maximè, quòd Corpus) repugnat, fuisse quidpiam immateriale: atque adeò non præextitisse, in primis illis creaturis; vel materialiter, vel causaliter, vel, vt in quibusdam virtutibus. Ergo repugnat, debuisse, de nouo creari; ad hoc, vt esset: cùm huiusmodi creatio fuisset omnino superflua; propterea quòd aliter, quàm per creationem, fieri potuisset: & Deus, quemadmodum nihil facit frustra (Arist. 1. Cæli, tex. 32.) sic nihil facere superfluum, dicendus est. Si tamen daretur, fuisse quid creatum de nouo; adhuc sequeretur absurdum. Cùm enim desierit esse, post breue illud tempus, quo suo functum est officio; dicendum

dum esset, fuisse annihilatum: eoquia dici non posset, fuisse resolutum in præiacentem materiam, quæ non erat; supponente creatione, quæ prorsus fit ex nihilo; purum ipsum nihil. Hoc autem esse absurdum, conuincitur ex eo; quod dicitur Ecclesiastici 3. *Didici, quòd omnia, quæ fecit Deus, perseuerant in æternum:* dest, *secundùm aliquid, ad minus secundùm materiam*; vt exponit Sanctus Tho. 1. p. q. 65. a. 1. ad 1. Et, hoc dato: productio talis Corporis Miraculum propriè nequaquam fuisset. Quoniam creatio, propriè loquendo, Miraculum non dicitur: cùm non sit nata, fieri per alias causas; & ita non contingat, præter ordinem naturæ. S. Thomas, 1. p. q. 105. a. 7. ad 1. & 1. 2. q. 113. a. 10. c.

7 Tertiò. Non potuit esse aliquis ignis accensus ab hominibus. Tum, quia debuisset accendi à Pinnensibus: de his tamen scribit Mastinus, (vt suo loco visum est)

Inscius tanti populus fauoris, &c.

& loquitur de populo Pinnensi, respectu Radiorum Ignitorum, qui oculos hostium percusserunt; vt patet. Tum, quia non potuisset ignis accensus ab hominibus, quantusquantus fuisset, illud causare, quod suis Radijs dictum Corpus lucidum causauit; ex eo maximè (vt infra demonstrabitur) quòd non elementaris, sed elementatus fuisset.

8 Quartò. Non potuit esse aliqua particula elementi ignis. Quia, licèt huiusmodi ignis elementaris potuisset quidem ab aliquo Angelo, iussu Dei, deduci illuc, nimirum, in Pinnensem Arcem, & per applicationem actiuorum condensari ita, vt lucere posset; quia, si non lucet in propria sphæra, hoc ex raritate, ac subtilitate procedit, non quòd, ex sua natura, lucidus non sit (S. Thomas, Opusculo 51. & 2. De Anima, lectione 14. prope finem) vnde bene condensatus, propter suam puritatem, & formalitatem, maximè luceret, vt fiet etiam manifestum ex

di-

dicendis; hoc tamen, etsi Miraculum esset, nullo modo concedi debet: vt optimè conuincit ratio, quam in simili adducit Abulensis, in caput 3. Exodi, q. 4. sic disserens. *Licèt ignis elementaris redactus, per aliquam Virtutem, adminorem extensionem, & condensatus possit lucere, sicut astra in Cælo lucent, & non orbes, quia astra sunt densiores partes sui orbis, vt ait Philosophus, in primo De Cælo; tamen, hoc posito, oporteret ponere plura Miracula. Primò, facere descendere ignem de sphæra sua; quod est contra propriam naturam. Secundò, condensare ad tantam densitatem, vt videretur. Tertiò, quia, dato, quòd ille ignis descenderet; non posset transire, sine Miraculo, per secundam regionem aeris frigidissimam, quin corrumperetur. Pluralitas autem non est ponenda sine necessitate, vt patet, Topicorum octauo.* Hæc Abulensis.

DISTINCTIO II.

Posito, & probato, quòd, si tale Corpus lucidum fuisset aliqua ignita impressio meteorologica, necessariò dici deberet fuiße vna ex illis, quæ fiunt in infima regione aeris; probatur, nullam illarum esse potuiße: primò generaliter, secundò specialiter.

9 QVintò. Non potuit esse idem Corpus aliqua ignita impressio meteorologica, secundùm solitum naturæ cursum, effecta. Quia, si tale quid fuisset; necessariò fuisset vna ex illis ignitis impressionibus, quæ fiunt in infima regione aëris; & nullo modo alia. Siquidem Corpus illud lucidum fuisse visum, rutilare ab altis Pinnis, hoc est, ab Arce Pinnensi; narrat Mastinus, vt sæpe repetitum est: & Arcem Pinnensem, in infima regione

gione aëris, non eſſe collocatam, ridiculum eſſet, aſſerere: cùm infimæ regionis aëris conuexum eouſq; ſubleuari, quouſq; Solares Radij reflectuntur; tradant communiter Peripatetici: vt eſt videre, apud Paulum Venetum, in ſumma Meteororum, capite 3. ac docet etiam Paulus Vallius, in ſuis manuſcriptis, ad ſecundum Meteororum Ariſt. De rebus Meteorologicis in communi, q. vnica, not. 6. Et hunc terminum, etiam hiemali tempore, & ipſo menſe Februario, qui menſis ad rem noſtram facit, per aliquot milliaria diſtare à nobis, ita vt Pinnenſis Arx, quanuis editiſſima, tunc illum pertranſire non potuerit; indubitatum omnino ſit.

10 Impreſſiones autem ignitæ, quæ fiunt in infima regione aëris (vt habent Sanctus Thomas, 1. Meteor. lect. 6. Albertus 1. Meteor. tract. 4. & 5. Paulus Venetus in ſumma Meteororum, cap. 5. Iauellus in epitome libri 2. Meteororum, cap. 3. Colleg. Conimb. in lib. Meteor. Ariſt. tract. 2. cap. 2. & alij communiter, cum ipſo Ariſtotele) ſunt fere ſequentes. Domus ardens, vel Stipula: Candela, vel Cereus ardens, ſiue aliter Ignis fatuus, vel lambens: & Caſtor, Pollux, & Helena. Et hæ fiunt, vel prope terram, vel prope aquam maris. Item Flamma, ſeu Fax: Stellæ cadentes, ſeu diſcurrentes: Lancea ardens, vel aliter, Trabs, vel, ſecundùm alios, Iaculum: & Draco flexuoſus, ſeu volans. Et hæ, ſecundùm aliquos, fiunt in eadem regione; ſed remotiùs à terra.

Iam verò: Corpus illud lucidum, nullam iſtarum ignitarum impreſſionum eſſe potuiſſe; probatur, & generaliter, & ſpecialiter.

Generaliter quidem.

11 Nam, licèt omnes, & ſingulæ impreſſiones ignitæ prædictæ, vtpote ſplendentes, viſum, ſeu oculos poſſint afficere, quemadmodum ſcripſit Ariſt. 5. De Generat. ani-

malium, cap. primo; non tamen ita, sicut Corpus illud lucidum, quod, statim atque visum est, perstrinxit, & obfuscauit oculos hostium, ne videre possent: eo quidem modo, quo facit Sol; si quis velit ipsum Solare corpus intueri. Vnde illam proportionem habent prædictæ impressiones ad Corpus illud lucidum, quam habent ad Solem. Quòd autem dictæ impressiones non possint ita visum, seu oculos afficere, sicut Sol; ostendit, non solùm quotidiana experientia, videlicet, si quando quispiam, ex vna parte, Solare corpus, ex altera verò, dictarum impressionum aliquam intueatur; sed etiam ratio. Quamuis enim ignis, in quacunque materia sit, nimirum, vel in propria, vt ignis elementaris; vel in aërea, videlicet, in vapore, aut exhalatione, vt flamma, & quælibet ignita impressio; vel in terrea, videlicet, in lignis, & similibus, vt carbo (hæ siquidem sunt quasi species ignis, ex Sancto Thoma, 1. p. q. 67. a. 2. ad 2. & 2. sentent. dist. 13. q. 1. a. 3. ad 3.) de se, ac de sua natura luceat; saltem aptitudinaliter, ex eodem, Opusc. quinquagesimo primo; vnde Sanctus Augustinus 6. De Trinit. cap. 1. tomo 3. dicit quod, *Splendor esset coæternus, si ignis esset æternus*; lux tamen primariò est qualitas actiua consequens formam substantialem Solis: in alijs autem reliquis, etiam in ipsis, & stellis, & astris, primariò nequaquam est, sed secundariò tantùm; & hoc modo magis, & minùs, secundùm quòd hæc magis, & minùs communicant cum Sole: idem Sanctus Thomas, 2. Sentent. q. 1. a. 3. c. & 1. p. q. 67. a. 3. c. Et hoc asseritur ex eo: quòd nullum corpus sublunare, imò nec superlunare dici potest esse ita formale, hoc est, actiuum; sicut est Solare corpus. Hoc enim est primum alterans: & ideo maximè perfectum, & formale, hoc est, actiuum esse; necesse est: S. Thomas, Opusculo 51. iam citato. Quæ autem sunt in corporalibus formalia; sunt actu, & ex sua natura lucida:

idem

idem Sanctus Thomas, vbi proximè. Igitur, quæ maximè formalia; maximè etiam ex sua natura lucida sunt. Sol maximè formalis; Sol ergo maximè, ex sua natura, lucidus est; & per consequens primariò. Ignis etiam est corpus formale, hoc est, actiuum: imò solus, inter sublunaria corpora, dignoscitur huiusmodi: ex Arist. 2. De Generat. cap.8. Ergo est ex se, & ex sua natura, lucidus. Non est autem formale, sicut Sol; nec, sicut aliquod cæleste corpus: & hæc est ratio, quare, quemadmodum inter sublunaria locum habet supremum; sic habet locum sub omnibus corporibus cælestibus. Igitur, nec est lucidus, sicut Sol, nec, sicut aliquod corpus cæleste, quod sit lucidum; sed maximè secundariò. Iam verò: Corpus lucidum ideo perstringit, obfuscat, & afficit oculos; quia sua luce calefacit, & dissoluit organum visus, & disgregat spiritus: Sanctus Thomas, in Supplemento ad 3. p. q. 85. a. 2. ad 2. Quantum ergo habet lucis; tantum potest calefacere, & dissoluere organum visus, & disgregare spiritus. Ignis, vel ignita impressio, vt dictum est, non habet tantum lucis, quantum habet Sol, imò longè minus; ergo non tantùm potest calefacere, præsertim distans, & dissoluere organum visus, & disgregare spiritus, sicut Sol; imò potest longè minùs. Corpus illud lucidum hoc effecit, sicut Sol; ergo non potuit esse aliqua ex dictis impressionibus ignitis, vllo modo.

12 Rursum. Ignis, quò est in puriore materia, magis lucet; quò in materia minùs pura, minùs lucet. Ostendunt lucernæ, candelæ, & similia. Si enim in lucernis apponatur oleum ex oliua, quod est purius; bene lucent. Si oleũ ex nuce, aut ex lini semine, quod est impurius; non tam bene lucent. Magis lucet candela cerea, quàm sebacea; quia cera purior est, quàm sebum. Longè magis lucet ignis in ligno, quàm in sulphure; quia longè purius est li-

gnum, vt in pluribus, quàm sulphur, &c. Exhalationes autem illæ, vnde fiunt impressiones ignitæ, in infima regione aëris (omnium enim meteorologicarum impressionum materia proxima sunt vapor, & exhalatio, ex Arist. 1. Meteor. summa 2. cap. 1. & alibi, & ex Peripateticis communiter) omnium impurissimæ necessariò sunt. Quia, si puriores essent; ascenderent altiùs ad mediam, aut ad supremam aëris regionem: & ascensionem maiorem, aut minorem prouenire ex maiore, aut minore puritate, patet ex eo; quòd causa ascensionis est leuitas, causa leuitatis sunt calor, & raritas: (sic habet Paulus Vallius, in citatis manuscriptis, ad secundum Meteororum Arist. De rebus Meteor. in communi, q. vnica, notabili 5.) & raritas cum calore, quæ sit connaturalis, prouenire non potest, nisi ex quadam segregatione, ac sublimatione à partibus impuris, & non sinceris; quod patet, in quibusdam chymicis operationibus, quas Chymistæ sublimationes, vel destillationes appellant. Vnde, & Aristoteles, 1. Meteor. sum. 1. cap. 4. vaporem appellat aquæ secretionem, quasi quidpiam, per euaporationem, ac veluti sublimationem, à partibus aquæ impuris segregatum, ac depuratum. Cùm ergo exhalationes, vnde fiunt in infima regione aëris impressiones ignitæ, per hunc discursum, omnium impurissimæ necessariò sint; sequitur manifestè, quòd ignis earum, inter omnes impressionum ignitarum ignes, minimè luceat: atque adeò, quòd nullo modo possit, aut potuerit causare, quod dictum Corpus lucidum causauit. Quocirca: nullo etiam modo, tale Corpus lucidum, ex ijs impressionibus ignitis, quæ in aëris infima regione fiunt; esse potuit aliqua.

13 Rursum. Huiusmodi impressiones ignitæ, quæ fiũt, in eadem aëris infima regione; vt plurimum videntur de nocte. Tum, quia, sic habet experientia; tum, quia, vt plu-

plurimùm, per antiperistasim nocturni frigoris, accenduntur. Quòd, si viderentur de die, quemadmodum, apud Vicomercatum, 1. Meteor. comm. 27. testatur Seneca, suam ætatem non semel diurnas faces vidisse; atque idipsum confirmat etiam Albertus, 1. Meteor. tract. 4. cap. septimo; tamen viderentur cum lumine valde remisso, ac debili; sicuti patet de Luna, quando interdiu, fulgente Sole, conspicitur. Vnde ridiculum esset, asserere; generis huius impressiones ignitas visum, diurno tempore, potuisse perstringere: quod tamen esset asserendum necessariò; si Corpus illud lucidum ex his impressionibus aliqua fuisset: cùm tale Corpus lucidum oculos hostium perstrinxerit, & obfuscauerit interdiu, non autem noctu; quod ex Procemialibus est clarum.

14 Tandem. Si tales impressiones ignitæ, quæ fiunt in aëris regione infima, considerentur specialiter, ac sigillatim; dictum Corpus lucidum nullam illarum esse potuisse, patebit etiam apertiùs.

Etenim, Stipula, vel Domus ardens esse non potuit. Quia, quemadmodum cumulus verè ardentis palleæ, vel domus realiter igne plena, interdiu, atque eminus potiùs, quàm cominus visa, nihil afficeret, nihilque obfuscaret oculos, quod habet experientia; sic idem non potuisset Stipula, vel Domus ardens meteorica, quæ (ex Iauello, in epitome libri 2. Meteor. cap. 3.) apparet equidem prope terram, veluti cumulus verè ardentis paleæ, vel sicuti domus realiter igne plena: maximè, cùm visa fuisset interdiu, atq; eminus potiùs, quàm cominus, hoc est, ab hostibus, Pinnæ muros oppugnantibus; super cacumine Pinnensis Arcis existens.

15 Non potuit esse Candela, vel Cereus ardens, aut Ignis fatuus, vel lambens. Tum, quia valde minutus ignis est (quod & ipsum nomen designat) hæc impressio; tum, quia

quia (ſicut iam citati Philoſophi tradunt) apparere ſolet illa, vel ſuper cœmeterijs; vel ſuper capitibus eorum, qui pendent in patibulis, quòd è cadaueribus halitus viſcoſi prodeant; vel ſuper capitibus hominum, & equorum, cùm agitati velociſſimè, incaleſcunt, & pinguem, viſcoſúmque humorem ex ſe proferunt. Similia verò, in Arce Pinnenſi, non fuiſſe, palam omnino eſt.

16 Non potuit eſſe Caſtor, Pollux, & Helena. Quia impreſſiones hæ conſpiciuntur tantùm (ex Vicomercato, lib. 1. Meteor. comm. 23. & alijs communiter) ſuper antennis, reliquíſue nauium partibus.

Non potuit eſſe Flamma, ſeu Fax. Quia hæc (ex ipſo Ariſtotele, 1. Meteor. ſumma 2. cap. 1. & ex ceteris) apparet in longum, & latum per aërem diſtenſa. Quomodo ergo potuiſſet illi eſſe locus, in vnius Arcis anguſto cacumine?

Non potuit eſſe cadens, aut diſcurrens aliqua Stella. Tum, quia, ſicut nomen ipſum indicat, non permanet, ſed tranſit; tum, quia minutulus eſt ignis.

Denique, non potuit eſſe ardens Lancea, neque Draco flexuoſus. Quia, ſaltem figuræ ipſæ, vnde impreſſiones huiuſmodi nomen deſumpſere; cernentibus, quid eæ ſint, oſtendunt: quare, & illas proprio vocant nomine, non communi. Maſtinus autem his proprijs nominibus non vtitur: tantùm narrat, Ignes viſos; vt ſuo loco vidimus, & mox videbimus.

17 Scio: dari alias impreſſiones ignitas meteorologicas; vt ſunt Cometæ, Capræ ſaltantes, Ignes perpendiculares, vel Columnæ, &c. Eas tamen, quaſi nihil curans, inter ceteras non connumeraui; quia faciunt ad rem præſentem (vt iam dixi) quæ contingunt, in aëris infima regione tantùm. Cometæ, Capræ ſaltantes, Ignes perpendiculares, vel Columnæ, &c. (vt ſentiunt, antiqui, eo-

eorúmq; sectatores) non sic: sed in suprema.

Imò quidam, cum recentioribus Astronomis, volunt; Cometas, qui communiter apparent, sublunares non esse; sed omnino cælestes. Quæ de re vt videri nonnulla possunt apud Franciscum de Mendoça, in suo sacræ, & profanæ eruditionis Virid. lib. 4. probl. 56. & apud alios; sic multa plenissimè tandem, apud eruditissimum P. Ioannem Bapt. Ricciolum, in suo Nouo Almagesto, tomo 1. p.2. lib.8. sect. 1. à cap.6. ad 13. inclusiuè, perdisci queunt.

Ex quibus omnibus remanet perquam bene conclusum: dictum Corpus lucidum, ex ijs impressionibus ignitis, quæ fiunt in infima regione aëris, iuxta solitum naturæ cursum; nullam esse potuisse.

DISTINCTIO III.

Probatur, idem Corpus lucidum esse non potuisse aliquod Parelium, neque aliquod Speculum comburens.

18 SExtò. Non potuit esse tale Corpus aliquod Pareliũ, neq; ordinarium, neq; extraordinariũ, & præter solitum naturæ cursum effectum. Neutrum quidem: quia Parelium non est ignita impressio, sed vapor irradiatus à Sole. Paulus Venetus, in summa Meteor. cap. 26. & alij communiter. Vnde videtur, ac dici solet Sol: & cùm apparet aliquod Parelium, dicuntur apparere plures Soles. Mastinus autem vocat dictum Corpus lucidum, non Solem, sed ignem: & Radios ab illo emissos, non Solares, sed Ignitos.

Castra, quod mirum patuit, per ipsa,
Ignibus visis: inimica testis

Est fides: flammas rutilare Pinnis
Vidit ab altis.

Et,

Tu, Pia, Ignitis oculos furentum
Percutis dulci Radijs domo pro, &c.

Nec est dicendus, locutus esse poëticè, & non propriè; & Ignem pro Sole posuisse. Quia, vbi contigit, in eodem Carmine, De primo Incursu, mentionem facere de Parelio; illud claris, & proprijs verbis expressit, sic dicens:

Annuit Cælum, geminata Solis
Omnibus visa est facies, sereno
Æthere, &c.

Quare ergo, si Corpus illud lucidum fuisset aliquod Parelium, vel alter Sol, non debuisset claris, & proprijs verbis illud etiam exprimere; maximè cùm ageretur de re, non minoris, imò maioris momenti?

19 Ordinarium verò Parelium, & effectum secundùm solitum naturæ cursum, esse non potuit. Tum, quia tale Parelium fit ex vapore ascendente ad summitatem regionis mediæ (ex Paulo Veneto in summa Meteororum, cap. 26.) & hæc (ex Paulo Vallio, loco supra citato, notabili 6. vbi Vitellionem adducit, De Nubibus,& Crepusculis, lib. 10. propositione 6.) distat à nobis, per quinquaginta duo, vel quinquaginta tria milliaria, & illud Corpus lucidum visum est rutilare ab altis Pinnis; tum, quia Parelia, etsi non fiant prope Solem, quia nubes prope Solem statim soluitur ab eo; tamen, nec fiunt à Sole multùm distanter, quia reflexio esset ita debilis, vt non posset causare tantam claritatem, & apparentiam albedinis, quanta est in Sole. Vnde necesse est, vt fiant lateraliter à Sole; nec multùm prope, nec multùm distanter, quò ad apparentiam. Idem Paulus Venetus, ibidem. Sed

Cor-

Corpus illud lucidum, cùm visum sit rutilare ab altis Pinnis; multam habuisse distantiam à Sole, etiam quò ad apparentiam, oportet: maximè respectu eorum, qui circumobsidebant Pinnam; & à quibus cernebatur. Necesse enim est: vt esset non longè admodum à puncto respondente zenith eorum, seu (quod idem est) à puncto respondente alteri cælesti puncto, qui vertici capitis eorum imminebat; nempe in puncto respondente ipsi zenith Arcis Pinnensis. Sol autem, Februario mense, quo dictum Corpus lucidum est visum; quàm longè distat à nostro zenith: id quod experientia testatur, & docet Clauius, in caput 2. Sphæræ Ioannis de Sacro Bosco, titulo, *Officia vtriusque Coluri*, num. 2. in fine vers. *Colurus Solstitiorum*.

20 Septimò. Non potuit esse aliquod Speculum comburens, Solaribus radijs percussum. Etenim: demus nunc, & concedamus perquàm libenter; verum illud omnino esse, quod experientia comprobatur; validissimos, nimirum, radios à tali Speculo reflecti: vnde referunt, Archimedem Syracusanum in Mathematicis peritissimum naues hostium, huiusmodi Speculorum auxilio, combussisse; qua de re, tametsi nihil meminerit, aut Liuius, lib. 24. vbi de Syracusarum obsidione, déque machinis ab Archimede per eam occasionem inuentis; aut Plutarchus in Marcello, vbi huius rei proprius erat locus; aut Plinius, Hist. suæ naturalis lib. 7. cap. 37. vbi loquitur de Archimede; nihilominus, ex Galeno, meminit Rodiginus, lib. 15. Lectionum antiquarum, cap. 13. & ex Dione Baronius, Annalium tomo 6. anno 518. num. 17. quin, & Proclus etiam Philosophus, amicus intimus Imperatoris Anastasij fertur, ex ære Specula fabricasse vstoria; eáque de muro, è regione nauium hostilium, classis nempe Vitalliani, suspendisse; in quæ, cùm radij Solares impegissent, ignis inde fulminis instar erumpens, classiarias ipsas naues

ues hostium combussit; quæ idem Baronius scribit ibidem, ex Zonara; quibus de Speculis alia mirabilia quædam, eorúmque (cuiuscunque sint illa figuræ) formandorum modus legi possunt, apud Vanotium Biringutium, suæ Pyrothecniæ lib. 9. cap. duodecimo, sed multò pleniùs, apud Ioannem Baptistam Portam, Magiæ naturalis lib. 17. à capite 14. ad 19. inclusiuè: attamen his datis, & concessis: Quis hominum tale Speculum comburens, in Arce Pinnensi, tunc temporis collocauit? Quis illius fuit fabricator? Vnde fuit allatum? Quò, suo perfuncto officio, processit? Quis de illo mentionem facit? Certè fabulosum omnino, & fictitium esset, quicquid de tali Speculo in tali euentu gratìs, & absq; vllo fundamento, quisquis auderet asserere.

§. III.

Probatur affirmatum: nimirum, Fuisse hoc lucidum Corpus aliquam impressionem meteorologicam, præter, & supra naturæ solitum cursum, effectam.

21 OCtauò. Fuit igitur huiusmodi lucidum Corpus aliqua ignita impressio meteorologica; præter, ac supra naturæ solitum cursum, effecta. Id quod, quanuis, per inductionem à sufficienti particularium enumeratione, sequatur ex prædictis perquam manifestè; manifestatur tamen vlteriùs, etiam ex sequentibus. Quandoquidem:

Quòd Corpus illud lucidum aliquid ignitum fuerit; apertè, & expresè dicit Mastinus (vt sæpe repetitum est) per illa verba; *Ignitis Radijs*, & *Ignibus visis*, &c.

Quòd fuerit etiam impressio quædam meteorologica; dedu-

deducitur ex illis alijs eiusdem Mastini verbis;

—— Flammas rutilare Pinnis
Vidit ab altis.

Quæ enim videntur rutilare ab alto, videntur rutilare à sublimi; & meteorologicum sublime sonat, vt clarum est.

22 Quòd autem talis ignita impressio effecta fuerit, præter, ac supra solitum naturæ cursum; ostendit vtique, & palam omnino facit ipsius insolitus effectus: nimirum, illud; perstrinxisse illam, & obfuscasse oculos hostium; ne possent videre mœnium defensores. Hoc nanque necessariò processit ab excedente, atque insolita luce; qua prædita erat huiusmodi ignita impressio. Excedens enim, & insolitus effectus; non nisi ab excedente, & insolita causa procedit: si sermo sit de causa per se, quæ, scilicet, per suam virtutem causat; qualis quidem causa est lux, respectu Radij. Cùm augumentata, vel diminuta causa per se, augeatur, vel diminuatur effectus; ex Sancto Thoma, 1.2. q. 86. a. 5. ad primum. Lucem autem excedentem, & insolitam, solitus naturæ cursus, quo fiunt ignitæ impressiones meteorologicæ secundùm solitum; illis præbere nequaquam potest. Huiusmodi enim solitus naturæ cursus includit, dictarum impressionum ignitarum, tanquam causam efficientem principalem, & primam; corpora cælestia: (vnde Aristoteles, 1. Meteor. summa 1. cap. 2. dicit; *Est autem ex necessitate continuus quodammodo iste* (scilicet mundus inferior) *superioribus lationibus; vt omnis ipsius virtus inde gubernetur:*) tanquam ipsorum cælestium corporum causam instrumentalem; calorem aquam, & terram peruadentem: tanquam causam materialem; vapores, & exhalationes ab ipsa terra, & aqua euaporantes, vi dicti caloris: tanquam denique causam proximam, & secundam efficientem, ac perficientem; ipsum elementum aëris, suo calore, vel frigore, vel motu, per se, vel

per

per accidens, dictam euaporatam materiam accendens, & inflammans: vt Arist. 1. Meteor. sum. 2. cap. 1. & cum eo Peripatetici omnes communiter tradunt. Et huiusmodi cursus, vtpote dictarum causarum, tam superiorum, quàm inferiorum, includens ordinem; certos, & determinatos fines, vel terminos in suis effectibus, tam, quò ad tempora, quibus fieri debent tales effectus, quàm, quò ad intensionem, & remissionem qualitatum eorundem effectuum, sic habet; (hæc enim omnia pendent à cælestium corporum certa latione, & motu;) vt eos præterire non possit. Sic ex Sancto Thoma, De Potentia, q. 6. a. 3. c. & Opusc. 34. Vnde solitus naturæ cursus, quo fiunt impressiones ignitæ; non potest, quo ad lucem, quam illis præbet; præterire suos certos, ac determinatos fines, vel terminos. Hos autem fines, vel terminos, dicendum est, esse quammaximam intensionem lucis, quæ, in ipsis ignitis impressionibus, vllis vnquam temporibus, obseruari solita sit: quæ tamen nunquam vicit lucem ignis, qui ab hominibus accendi consueuerit; quod, & recentium, & antiquorum temporum experientia clarè demonstrat. Et ob id hæ impressiones, & ab Aristotele, & ab alio quouis rerum naturalium solertissimo indagatore, non alijs nominibus passim appellantur, quàm Flammarum accensarum, Facium, Trabium, Lancearum ardentium, Titionum, & similiũ; quæ ignibus ab hominibus accendi solitis, vbique gentium attribuuntur. Igitur solitus naturæ cursus, quo fiunt impressiones ignitæ, solùm potest illis tantam lucem præbere, quantam habet ignis ab hominibus accendi solitus; & nullo modo lucem excedentem, & insolitam. Atque adeò, vbi lux excedens, & insolita obseruari, contingit, vt reperiatur; ibi ignitam impressionem, præter, & supra solitum naturæ cursum effectam, necessariò reperiri; dicendum est. Et idcircò: cùm lux Corporis

poris lucidi, de quo disputamus, fuerit excedens, & insolita obseruari, quod ostendit, vt dictum est, ipsius insolitus effectus; propterea, bene conclusum est: Fuisse illud lucidum Corpus ignitam impressionem meteorologicam, præter, & supra solitum naturæ cursum, effectam.

23 Atque hoc ipsum confirmat illa ratio, qua ex multis, tum Theologorum, tum Philosophorum dictis probari solet; Stellam, quæ Magis apparuit, Matth. 2. tale quid omnino fuisse. Inter quos Theologos, & Philosophos, ponendus est Sanctus Thomas, 3. p. q. 36. a. 7. c. & in Matthæum, cap. 2. Abulensis, in idem caput 2. Matthæi; Suarez, tomo 2. in Tertiam Partem, q. 36. a. 8. disp. 13. sect. 5. Colleg. Conimb. in Libros Meteor. tract. 3. cap. 7. Siluester in Aurea Rosa, in exposit. Euang. Epiphaniæ; Cornelius à Lapide, in dictum locum Matthæi; pluresque similes. Et ratio est huiusmodi.

Illa Stella prædita fuit ingenti, & insolita luce. Vnde in Hymno canit Ecclesia;

Quæ Stella, quæ Solis rotam
Vincit decore, ac lumine, &c.

Et Sanctus Ignatius Martyr, qui paulò post Christum vixit, loquens de hac Stella, in Epistola decima quarta, sic ait. *Stella fulsit super omnes, quæ ante ipsam erant. Et lux eius inæstimabilis, & noua, atq; peregrina apparuit videntibus eam. Cetera verò Sidera, simul cum Sole, & Luna, corusca facta sunt illi Stellæ: illa verò superabat omnes splendor suo*. Sed non fuit Stella huiusmodi vna cælestium Stellarum; vt multipliciter ostendit Sanctus Thomas: nec fuit aliquid creatum de nouo; quemadmodum ostẽdit Suarez, & insinuat etiam, vt bene visum est Siluestro, Sanctus Thomas: (licèt hic in loco citato Tertiæ Partis, de illa loquens, vtatur termino, *creata*, vsurpans, videlicet, hunc terminum largè, non strictè; quapropter super Matthæum

thæum dicit, hanc Stellam, suo peracto officio, in suam redactam esse materiam præiacentem:) nec fuit aliqua ignita impressio, secundùm solitum, effecta; vt ostendit Abulensis. Fuit igitur, propter dictam excedentem, & insolitam lucem, Stella illa aliquod Meteoron nouum; & præter, & supra solitum naturæ cursum, omnino effectum. Sic Abulensis, Cornelius à Lapide, & Conimbricenses.

24 Eodem itaque modo, potest vnusquisque argumentari de Corpore illo lucido; ac dicere. Fuit præditum valde excedente, atque insolita luce; vnde fulsit, imò perstrinxit, & obfuscauit, suis Radijs, oculos hostium; ipso etiam Sole fulgente. Fuit ergo Meteoron nouum, & præter, ac supra solitum cursum naturæ, penitus formatum, & effectum.

§. IV.

Respondetur primæ Quæstiunculæ, iam in primi Paragraphi calce, propositæ: Quid nempe specialiter fuerit ignita impressio, supra naturæ cursum efformata; quam resolutum est, fuisse Corpus lucidum, de quo discurrimus.

25 ATque ex dictis, respondetur illi Quæstiunculæ; quæ proponebatur superiùs inter ceteras prima: Quid specialiter, nimirum, fuerit illa ignita impressio, supra solitum naturæ cursum, effecta; quam fuisse Corpus illud lucidum, resoluimus. Etenim in valde incerta re (si diuinare, seu coniectare licet, nisique sincerius, acriúsque iudicium, hoc nimiæ, putet, adscribendum audaciæ) non inconueniens, ipse opinor, affirmare: Fortè illam fuisse

Meteo-

Meteoron aliquod ſpeciei propemodum illius, cuius fuit prædicta Stella, quæ Magis apparuit. Cùm tam prædictæ Stellæ, quàm impreſſionis huiuſmodi lux; intra diem, & ipſo refulgente Sole, miro modo refulſerit.

§. V.

Proponitur, contra iam resoluta, quoddam argumentum; illudque diluitur.

26 HActenus reſolutis obſtat non parum ratio, quæ ſequitur.

Quemadmodum ex Maſtino relatum eſt, in Procemialibus: ipſi murorum defenſores, quin & ipſe populus Pinnenſis vniuerſus; nullo ſenſu, aliquo modo, ſiue tunc, cùm hoſtium oculi perſtricti ſunt, ſiue antea, ſiue poſtea; Radios aliquos, aut aliquam Lucem, præter ſolitam; vel ſenſerunt, vel perceperunt. Vnde ſic dicit Maſtinus:

Inſcius tanti populus fauoris, &c.

Et totius Facti teſtem adhibet inimicam fidem, ſubdens;

Ignibus viſis, inimica teſtis
Eſt Fides, &c.

Lux ergo, ſiue Radij, qui, oculos hoſtium percutiendo, illos perſtrinxiſſe, ab eodem Maſtino aſſeruntur; nullam exiſtentiam habuerunt extrinſecùs: ſed fuerunt in imaginatione ſola, ſiue in ſolis oculis eorundem hoſtium; per aliquam iſtorum ſenſuum immutationem, ſuperiore aliqua Virtute fortaſſis effectam. Talia ſiquidem ſunt, quæ non videntur indifferenter ab omnibus; ſicuti è conuerſo, quæ ſunt extra videntem, ab omnibus poſſunt indifferenter videri. Ita Sanctus Thomas, 1. p. q. 51. a. 2. c. Hæc autem ſi vera ſunt; ſequitur manifeſtè: quòd, nec etiam vllam exiſtentiam habuerit Corpus aliquod; ad hoc, vt ipſius

ipsius esse deberent, & dicti Radij, & dicta Lux. Et inde corruit, & tota de Corpore lucido nostra positio; & totus discursus, ad eam firmandam, hucusque protractus.

27 Respondetur tamen: & Radios, & Lucem, & consequenter Corpus, quod, & Radios, & Lucem emittebat; habuisse veram, & realem existentiam, extra oculos, & imaginationem dictorum hostium: Atque hoc ostenditur ex eo: quòd, si illa, quæ sunt extra videntem, possunt (vt ex Sancto Thoma dicebatur) ab omnibus videri; prædicta etiam omnia visa sunt ab hostibus omnibus: nimirum, non à solis muros oppugnantibus; sed & à degentibus quoque in castris.

Castra, quod mirum patuit, per ipsa,
Ignibus visis, &c.

inquit, Mastinus. Præterquam quòd, si fuissent hæc in sola imaginatione, siue in solis oculis hostium, per immutationem horum sensuum, effectam aliqua superiore Virtute; sufficiebat, vt dicta superior Virtus hanc immutationem effecisset, in imaginatione, siue in oculis illorum tantùm, qui muros oppugnabant: neque oportebat, vt eandem efficeret in imaginatione, siue in oculis illorum etiam, qui tunc degebant in castris. Finis enim superioris illius Virtutis, quæ id operata esse, supponitur, alius esse non potuit; nisi, vt muri defenderentur: qui bene poterant defendi, per solam immutationem in imaginatione, siue in oculis oppugnantium dictos muros, absque vlla alia; vt patet. Nec est necesse, cur dicatur; quòd eandem immutationem effecerit in ijs, qui degebant in castris, ad hoc; vt possent factum manifestare, de illóque testari: quia satis, supérque sufficiebat manifestatio, & attestatio ipsorum oppugnantium; vt item patet. Vnde immutatio sensuum in ijs, qui degebant in castris; fuisset omnino frustranea: quod nec Deus, nec natura vnquam intendit; vt ex Aristote-

ſtotele, in ſuperioribus dictum eſt aliàs. Ex quibus omnibus liquidò concluditur: quòd, ſi, tum oppugnantes muros, tum degentes in caſtris, prædictos Radios, Lucem, &c. perceperunt; hæc eadem omnia fuerunt omnino extra imaginationem, ſeu extra oculos prædictorum hoſtium, qui viderunt; cum ſua vera, & reali exiſtentia. Et idcirco: cùm præterea Pinnenſis Arx, vnde Radij (ſicut ego arbitror, imò ſicut antiqua traditione docemur) emittebantur, dicente præſertim Maſtino, vt aliàs repetitum eſt,

——— Flammas rutilare Pinnis
Vidit ab altis,

ſita ſit, in ipſo Pinnæ quaſi meditullio; non eſt mirum: ſi hoſtes, vel oppugnantes muros, vel in caſtris degentes; à Radijs prædictis, in ſuis ipſorum oculis, fuerunt percuſſi. Quia circumobſidentes Pinnam, & in illam, ſiue ad oppugnandum, ſiue ad aliter intuendum, oculos conuertentes; quicquid Radiorum emittebatur ab Arce prædicta, neceſſe erat; vt rectà in ſuis oculis perciperent. Quare accidit illis: vt nihil tale opinantes, præceptum præuaricati ſint, quod tradit Vegetius, De re Militari, lib. 3. capite 14. dum ait; *Ordinaturus aciem tria debet ante proſpicere, Solem, puluerem, & ventum. Nam Sol* (quod ad rem noſtram facit) *eripit viſum*, &c. Ac proinde, propter hanc inopinatam præuaricationem, ſibi erepto viſu; murorum defenſores videre non potuerunt. Hæc autem viſus ereptio, ſiue obfuſcatio, in defenſoribus murorum, accidere non potuit, neque in reliquo Pinnenſi populo. Et ratio eſt. Quia defenſores murorum prædictos Radios, in ſuis oculis, rectà recipere non potuerunt: & hi, & reliqui non debuerunt. Defenſores murorum quidem non potuerunt; quia Corpori Radios illos emittenti terga vertebant: cùm defendendæ Patriæ intenti, oculos in hoſtes

oppugnantes conijcerent: qui hostes prædicto Corpori è regione stantes; suis oculis, vt dictum est, eiusdem Radios rectà recipiebant. Hi autem, & reliqui non debuerunt; quia, tametsi aliqui terga non vertissent dicto Corpori emittenti Radios; Virtus tamen illa, quæ idem Corpus, vt supponitur, operabatur; debebat operari etiam, ne Pinnenses, in suis oculis, à Radijs ex tali corpore emissis percuterentur: vt, quod Pinnensibus fiebat in fauorem,

Inscius tanti populus fauoris, &c.

eisdem non verteretur in detrimentum. Sed hoc doctrinæ Sancti Thomæ, per contrariam rationem allegatæ; nihil obstat: cùm non dicat, ea, quæ sunt extra videntem, ab omnibus videri: sed posse ab omnibus (nisi, videlicet, sint impediti) videri. Atque hinc manifestè patet: quòd, licèt defensores murorum, & vniuersus populus Pinnensis prædictos Radios, cùm ijs hostium oculi perstricti sunt, non perceperunt; non sequatur tamen: eosdem Radios fuisse in sola imaginatione, seu in solis oculis hostium, per aliquam istorum sensuum immutationem; & nullam extrinsecùs existentiam habuisse, vt dicta ratio in contrarium concludebat.

28 Quod, si fortè, per *altas Pinnas*, contenderet aliquis, intelligendos esse, apud Mastinum, Pinnenses muros, non Pinnensem Arcem; sicut etiam per *Pinnas*, apud Virgil. Æneid.7. intelliguntur muri, cùm dicit,

——————— Primasque in littore sedes,
Castrorum in morem, Pinnis, & aggere cingunt:

adderétque; Esto, iuxta hunc sensum bene procedant reliqua; tamen iuxta eundem non bene procedere, quod de Pinnensibus, qui muros defendebant, dictum est; Eorum, videlicet, oculos ob id non fuisse Radijs huiusmodi perstrictos; quia, cùm Corpori terga verterent, illos emittenti à Pinnensi Arce; suis in oculis, eosdem recipere non poterant:

rant:

rant: In tali nihilominus euentu, quem neutiquam concederem; cùm antiquæ traditioni repugnare illum, certò sciam; adhuc dicerem: Talibus Radijs eorundem oculos perstringi non potuisse. Primò. Quia, propter iam allatam rationem; ne illos in suis oculis reciperent, cælitus debebant impediri. Secundò. Quia, sic, Vel fuissent, intra ipsum Corpus lucidum, si fuisset illud rarum, sicut aër; vel immediatè prope illud: atque ita sentire illud ipsum, suis oculis, non potuissent; cùm ***Sensibile positum supra sensum sensationem nullam faciat***, quod Axioma est Aristotelicum, 2. De Anima, tex. 75. & 98. Vel fuissent ex directo, subtus illud; & sic pariter non potuissent illud sentire suis oculis; eoquòd, ex eodem Arist. De Partibus animalium, lib. 2. cap. 3. non longè à fine, cernitur tantùm per directum; id quod scribit etiam Problematum sectione 11. problemate 61. Ac tali modo nouam refellerem obiectionem.

§. VI.

Respondetur Quæstiunculæ secundæ, propositæ, vbi supra: A quonam fuerit Corpus hoc lucidum effectum.

29 RESTAT nunc, vt soluamus Quæstiunculam secundam, ex iam propositis. A quonam scilicet fuerit effectum prædictum Corpus lucidum; vnde prædicti Radij fuerunt emissi.

Sed, cùm ad eam dicenda sint non pauca; more nostro, Paragraphum dispertiemus.

DISTINCTIO PRIMA.

Suadetur dupliciter, ab ipsa Deipara immediatè Corpus huiusmodi non fuisse effectum.

SVpposito, per iam dicta, §. 2. num. 6. tale Corpus creatum fuisse, non esse dicendum: si superficie tenus considerentur verba Mastini dicentis,

Tu, Pia, Ignitis oculos furentum
Percutis, &c.

videtur ad Quæstiunculam respondendum; quòd immediatè fuerit illud effectum à Beatissima Virgine Deipara. Quod tamen haud esse dicendum; ratiocinando diffusè (cùm hîc sermo contrahi nequeat magis) dupliciter suadetur, hoc modo.

30 Primò. Humanæ res, & corpora quæcunque, secundùm legem communem, administrantur per Angelos: qui, secundùm naturæ ordinem, inter Deum, & illa medij sunt. Quocirca: si quando in his corporalibus aliquid, præter solitum, opus est fieri; pertinet ad ipsos Angelos, ex iussu Dei, per motum localem, in quo cuncta corpora parent eis ad nutum (vt dictum est aliàs) applicare passiuis actiua; & sic transmutare, quæcunque oportet. Et ideo: si, casu aliquo, fierent hæc per Beatissimam Virginem immediatè, ac per se ipsam; requireretur quædam dispensatio legis communis, & ordinis naturalis: qua ipsi Beatissimæ Virgini (quæ ceteróquin, etiam post hanc vitam, & in Cælis degens est eiusdem naturæ, non cum Angelis, sed nobiscum, quemadmodum & ceteri Beati homines) concederetur administratio corporum, & huma-

mana-

manarum rerum; quam, secundùm legem communem, diximus, ad Angelos pertinere. Et sic, ageretur præter naturæ consuetum ordinem; atque adeò fieret, hac etiam in re præcisè, nouum aliud ab ipso principali Miraculum. Et hæc omnia ex Sancto Thoma, 1. p. tum alibi, tum præcipuè q. 108. a. 8. ad 2. vbi secutus esse Sanctum Augustinum, libro, De Cura pro mortuis gerenda, cap. 13. & 16. tomo 4. Sed noua Miracula concedenda non sunt, absque aliqua necessitate, quæ nos cogat illa concedere; sicut clamant vniuersi. Absq; aliqua igitur necessitate simili, concedendum, aut dicendum non videtur: Beatissimam Virginem, applicando passiuis actiua, per motum localem, aut aliter; aliquid immediatè, ac per se ipsam, in istis corporalibus transmutare. Nulla autem necessitas adest, propter quam concedere oporteat; Beatissimam Virginem immediatè, ac per se ipsam qualitercunque transmutasse aliquid in Corpus illud lucidum, vnde prædicti Radij fuerunt emissi; quod manifestè patet. Ergo non videtur concedendum, aut dicendum; illud à Beatissima Virgine fuisse de facto effectum immediatè, ac per se ipsam.

31 Secundò. Necesse est, quòd dictum Corpus effectum fuerit, per aliquam transmutationem physicam. Si enim fuit impressio quædam ignita, vt positum est; debuit habere necessariò materiam ceterarum ignitarum impressionum naturalium: tametsi talis impressio fuerit effecta, præter, aut supra naturæ solitum cursum, & ordinem. Effici siquidem simili modo, non tollit; quin sic effectum, in rerum naturalium ordine ponendum sit: vt patet de illo oculo, exempli gratia; qui, præter solitum naturæ cursum, & supra naturæ facultatem, alicui sit restitutus: qui supernaturalis oculus propterea non dicitur; verùm dicitur, & est reuera naturalis: vt bene docet Vasquez,

1. p. disp. 214. num. 9. Impressiones autem ignitæ naturales habent pro materia (quod supra visum fuit) exhalationes quasdam cum vaporibus. Quare huiusmodi materia tribuenda est etiam dictæ ignitæ impressioni; quam, positum est, fuisse prædictum Corpus. Exhalationes verò cum vaporibus, manifestum est, quòd impressiones ignitæ non fiunt; nisi per physicam transmutationem. Cùm autem aliqua physicè transmutantur; oportet assignari hæc duo: transmutans, nimirum, & transmutatum: Omne enim, quod mouetur, necesse est, ab aliquo moueri, vt docet Aristoteles, lib. 7. Physicorum, tex. 1. Hæc autem duo, transmutans, ac transmutatum, debent esse præterea simul. Quandoquidem idem Arist. ibidem, tex. 10. sic loquitur: *Manifestum est, quòd id, quod mouetur, & mouens simul sunt, & nihil inter ipsa medium est.* Quæ verba explicantes Peripatetici, tradunt vlteriùs hanc doctrinam: quòd scilicet, ad hoc, vt mouens, & motum simul sint, & nihil sit inter ipsa medium; tangere se debent immediatè. Verùm hoc dupliciter contingit: &, immediatione suppositi, qui contactus dicitur quantitatiuus; vt cùm ignis, v. g. lignum tangit, quod comburit; &, immediatione virtutis, qui contactus dicitur, secundùm virtutem, vt cùm ignis, v. g. calefacit aquam, intra vas. Et, si mouens sit corporeum, addunt; quòd necesse est, vt tangat rem motam, vel contactu quantitatiuo, vel contactu virtutis: si autem spirituale sit, vt animæ, Angeli, ac Deus; quòd debet tangere rem motam, contactu saltem virtutis. Doctrina est communissima: & videri potest inter alios Marinellus, in Solutionibus quæstionum, in librum septimum Physicorum, q. 7.

32 Beatissima porrò Virgo Mater, etiam nunc post Assumptionem suam in Cælum; est corporea: cùm in Cælum assumpta sit, in corpore, & anima; quod, ex antiquo-

rum

rum Patrum traditione, sentit vniuersalis Ecclesia; sicuti legi potest, apud Suarez, 3. p. tom. 2. disp. 21. sect. 2. & apud Nouatum, De Eminentia Virginis, tomo 2. cap. 9. q. 1. Vnde, si, tanquam mouens, debet simul esse cum re mota, eámque immediatè tangere; hoc oportet fieri, vel secundùm immediationem suppositi, & contactum quantitatiuum; vel secundùm immediationem virtutis, & contactum virtualem. Neutrum autem videtur dici debere, contigisse, in huius nostri lucidi Corporis effectione.

33 Non primum. Quia immediatio suppositi, & quantitatiuus contactus illud requirit (quod & ipsi termini de se ostendunt) vt inter suppositum, vel personam mouentem, & rem motam, nihil mediet: & ita, vt suppositum, vel persona mouens tangat immediatè, quantitate sua, rem motam. Ac proinde: Si Beatissima Virgo diceretur, immediatione suppositi, & contactu quantitatiuo, prædictum Corpus lucidum effecisse; dicere pariter oporteret, suppositum, vel personam ipsius, tangendo immediatè quantitate sua materiam illam, quam diximus, tribuendam eidem Corpori lucido, tanquam ignitæ impressioni, nempe exhalationes, cum vaporibus; sursum ipsas mouisse, ipsísque applicasse quædam actiua, vt alterarentur, & inflammarentur, ad hoc, vt fieret dicta ignita impressio, & dictum Corpus lucidum. Quod, si accidisset (præterquam quòd modus, quo quantitatiuo tetigisset contactu materiam prædictam, facilis explicatu non est, vt patet) tunc temporis Beatissima Virgo, vel suo supposito, ac persona fuisset simul in duobus locis, in Cælo, videlicet, quò, vt iam tetigimus, in corpore, & anima fuit assumpta, & ibi, vbi secundùm immediationem suppositi, & quantitatiuum contactum, prædicta fuisset operata; vel penitus deseruisset cælestem locum.

Horum alterum, quod est de existentia simul in duobus

locis (secundùm aliquos, maximè Sanctum Thomam, ac Thomistas fere omnes) implicat contradictionem. Qua de re (præter ipsum Sanctum Thomam, præsertim Quodlibeto primo, a. 22. ad 1.) videri potest Nugnus, 3. p. q. 76. a. 8. difficult. 2. vbi citat reliquos. Secundùm verò alios (quod obseruare licet apud Suarez, tomo 2. in 3. p. disput. 51. sect. 4. vers. *Tertius modus dicendi*, & Consaluum Durantum, in Sanctæ Birgittæ Reuelationes, tomo 1. tract. De Visionib. cap. 4. vers. *Nam, & si*) fuisset Miraculum adeò magnum; vt, si cum ipso Suarez ibi loqui velimus; *Non facilè, quando alij modi faciliores sufficiunt*, illud concedi conueniat. Modi autem faciliores, in hoc euentu nostro, non desunt: cùm facillimè, ac bene præstari potuerint omnia, quæcunque præstanda erant in eo, per aliquem Angelum; vt patebit ex dicendis inferiùs.

34 Quantùm autem ad alterum, quod est de loci cælestis desertione: licèt Sanctus Thomas, in 4. Sententiarum, dist. 45. q. 1. a. 3. quæstiuncula 3. c. cælestis loci desertionem huiusmodi, in Beatorum ipsorum voluntatem, videatur, quasi refundere; quatenus (cùm quæsisset, *Vtrùm animæ, in Paradiso, vel Inferno existentes, egredi valeant*) respondendo, asserit; quòd, *Ex virtute gloriæ aliqua potentia animabus Sanctorum datur; per quam possint mirabiliter apparere viuentibus, cùm volunt*: quia tamen (vt ibidem, & pariter quæst. 1. sed art. 4. vers. porrò, *Addit verò*, Sotus tradit) ijdem *Beati nihil optare possunt, nisi, quod rationi sit, ac proinde diuinæ voluntati consentaneum*; cui voluntati, certum est, illud esse consentaneum (iuxta Sotum eundem, ibidem, conclus. 4. & Valentiam, tomo 4. disp. 11. q. 1. puncto 2. vers. *Quod autem attinet*) vt, siquando ab ipsis Beatis, ad aliquod spatium temporis, cælestis locus deserendus est, hoc, nisi *secundùm permissionem, aut dispensationem diuinam, & extraordinariam legem*,

non

non fiat; idcirco præmissum Dictum Sancti Thomæ debet eo modo intelligi, quo prædicti duo Theologi (ceteris omissis) intelligi debere, volunt, quod, Contra Vigilantium, Sanctus Hieronymus affirmat; dum illum acriter impugnando (si tamen, quod affirmatiuè pro Vigilantio scripsit, negatiuè nos proferamus, &, quod negatiuè pro eodem protulit, vertamus affirmatiuè, vt ipsius, non Vigilantij, cui contradicit, habeamus claram sententiam) inter alia sic fatur. *Non in Sinu Abrahæ, nec in loco refrigerij, nec subter Aram Dei, animas Apostolorum, & Martyrum consedisse, dicendum est; sed posse suis tumulis, &, vbi voluerint, adesse præsentes.* Horum enim verborum sensum, aiunt, illum esse: vt Apostolorum, ac Martyrum, & reliquorum etiam Sanctorum animæ præsentes adsint, & suis tumulis, &, vbi voluerint; secundùm permissionem, aut dispensationem diuinam, & extraordinariam legem tantùm; & non aliter. Idem ergo vult sibi Sanctus Thomas, in citato loco: ita vt, dicendo, *cùm volunt*; significare sit intelligendus, *cùm volunt*, secundùm permissionem, aut dispensationem diuinam, & extraordinariam legem tantùm, & non aliter; sicut est dictum. Iam verò: Sancti Thomæ doctrina constans est; quam, & obseruauimus loco suo, & repetiuimus etiam non semel: Fieri aliquid, secundùm permissionem, aut dispensationem diuinam, & legem extraordinariam; esse fieri per Miraculum. Mens ergo Sancti Thomæ, in præallegatis verbis, est: Posse Sanctorũ animas deserere cælestem locum, & apparere viuentibus, vel eorum interesse rebus; duntaxat per Miraculum: & ideo *τὸ mirabiliter*, signanter addidit. Ceterùm: ne quis dubitet; Num hæc solida sint, quæ, sic discurrendo, scripsi: quæso, benignus Lector audiat; quid, mentem suam apertiùs manifestando, Sanctus Doctor, 1. p. q. 89. a. 8. ad 2. hac de re nos tandem docuerit.

Ibi

Ibi enim, assignando duos modos, quibus Apparitiones fiunt, & explicando illum, qui ad rem præsentem facit; hæc habet. *Hoc, quòd mortui viuentibus apparent qualitercunque: vno modo contingit, per specialem Dei dispositionem; vt animæ mortuorum rebus viuentium intersint: & est inter diuina Miracula computandum.* Perpendantur huiusmodi. Et sanè fateri oportebit, clariùs pro nobis ipsum loqui non potuisse.

35 Apparet igitur ex his (vt veniamus tandem ad rem nostram) quòd, si cælestem locum deserere debebat Virgo Beatissima, vt rebus Pinnensium interesset, hoc est, vt Corpus illud lucidum efficeret; hoc non poterat contingere, nisi per specialem Dei dispositionem, & nisi per Miraculum diuinum.

Verùm, ex ratione iam superiùs allata (nimirum, & quia Miraculum etiam istud fuisset valde magnum, & quia poterant effici cuncta per aliquem Angelum) neque tale Miraculum videtur facilè concedendum.

Quòd cuncta poterant per aliquem Angelum effici; iam diximus, fore, vt ex dicendis pateat.

Quòd verò Miraculum etiam istud valde fuisset magnũ; ex eo infertur, quòd fuisset Miraculum primi gradus, sicut Solis retrocessio. Non enim natura humana potest dare motum humano corpori, ab Empireo ad terras; quemadmodum natura creata non potest Soli retrocessionem dare, saltem cum duratione; quod innuimus alibi. Et propter huiusmodi causam optimum puto illud Episcopi Durantis; qui, loco supra citato, de ijs Christi Domini, & Christi Matris Apparitionibus loquens, quæ Sanctæ Birgittæ fuerunt exhibitæ; sic ait. *Non auderem affirmare: Apparitiones, quæ Beatæ Birgittæ factæ sunt; immediatè ab ipso Christo, & eius Matre fuisse factas.* Vbi sanè bonas etiam sui talis Asserti rationes alias adducit.

Quas

Quas adhuc ego transcribendas, arbitror, hoc loco; saltem, quia constat ex ipsarum altera, loqui ipsum ad rem præsentem; de Apparitionibus, videlicet, quæ, cum cælestis loci desertione, sint factæ. Pergit itaque fari, & iam dictis hæc subnectit. ***Cum potuerint***, inquit, ***Angeli, vtriusque personas representantes, apparere; eoque magis, quòd ad hoc necessarium non videtur esse, neque decens; vt locum calestem deserant, & ad terram descendant.*** Sic ille: & ab ipsomet Suarez, vbi infra, postremæ rationis verba mutuatus est.

. Igitur: cùm duo bene visa iam sint; non conuenire, nimirum, vt in euentu nostro concedamus, neque in duobus locis existentiam, neque desertionem cælestis loci, ad hoc, vt secundùm immediationem suppositi, & quantitatiuum contactum, Virgo Beatissima memoratum Corpus lucidum efficeret; hinc certè primum illud principale, quò nostra secunda ratiocinatio, in qua versamur adhuc, deducebat; satis ostensum apparet.

36 Attamen, addere libet, etiam hoc ampliùs.

Harum sanè rerum consultissimus Pater Petrus Thyræus, in suo doctissimo libro, De Spirituum Apparitionibus (vbi, capite quinto, num. 9. de Christo Redemptore, illa scripsisset; ***Omnino, vt Christum in propria persona, hoc est, in suo corpore, atque anima, sese Apostolo*** (Paulo) ***exhibuisse dicamus; veritas resurrectionis, quam, hac manifestatione, idem Apostolus astruit, postulare videtur***, & reliqua ibi videnda) capite demum duodecimo, numero pariter duodecimo ad decimum quintum inclusiuè, de alijs ab ipso Christo loquens; hæc addit. (Sed ea referam, nonnullis omissis, & immutatis paucis; quæ sensum non variant.) Eos, inquit, ***qui non iam Spiritus tantùm sunt, sed suis corporibus rursum coniuncti, cum Christo felicem agunt vitam***; in quorum ***genere sunt Beatissima***

Dei

Dei Genitrix, quam cum corpore, & anima, in Cælum assumptam esse, libenter cum grauissimis Auctoribus credimus, atque illi, qui cum Christo resurgente ad propria corpora redierunt, & vna tandem cum ipso ad Cælum translati, insigne resurrectionis testimonium præbuerunt; Αὐτοπροσώπως rebus humanis non putamus, interesse: propterea quòd, iam ea necessitate suis adsint corporibus; vt relinquere illa nequaquam possint. Quocirca necesse est, sua secum deferant corpora; & sic nostris aspectibus se offerant. Quod, quis fieri, credat? Hæc ipse. Quæ porrò si placent: en tandem vnica denuo ratio, siue dicamus, auctoritas; qua cogi videmur, affirmare, neutrum ex dictis, hoc est, neque simul in duobus locis existentiam, neque desertionem omnimodam cælestis loci, etiam ad breue tempus, ad illud, nempe, quod, ad idem Corpus lucidum efficiendum, erat opus; in ipsa Virgine Beatissima putandum esse, contigisse.

37 Hîc autem, priùs quàm procedam vlteriùs; amicum Lectorem vnum admonere, pretium arbitror: nimirum: nequaquam ex his omnibus bene inferri (si quis rem intimè rimari velit) quod, ijs visis, me non latet, inde intulisse nonnullos: hoc autem est: Apparitiones ipsius Deiparæ cunctas hinc prorsus corruere; quæ in sacris narrantur Historijs.

Et, rem vt planam faciam; ita discurro.

Quandoquidem: præterquam quòd, non solùm personales (vt dicemus pleniùs in tertia Quæstione) verùm & impersonales etiam Apparitiones dantur; vnde, iuxta Thyræi, quam retulimus ipsius verbis modò, sententiam, Apparitiones omnes, quæ referuntur vbilibet, fuisse Virginis Deiparæ, necesse est, vt fuerint impersonales; ijs tamen congruenter, imò dicamus potiùs, ex ijs tamen, quæ per nos iam explicata primo loco sunt (sed hîc nequaquam loquor de impersonalibus prædictis Apparitionibus, quæ nul-

nullam cum ijsdem connexionem habent, quapropter, ijsdem ipsis non obstantibus, illas fieri, nunquam, non conuenit) siquando, circa Virginis eiusdem Apparitiones, alij modi faciliores non suppetunt, vel non sufficiunt ad explicandum, quo modo illæ contigerint, quàm asserendo, ipsam personaliter, ac præsentem rebus humanis interfuisse; sequitur vtique (tum in opinione concedentium, tum in opinione quoque negantium, vnius existentiam simul in duobus locis esse possibilem) vt dici possit, sic illam interfuisse. Quod quidem, iuxta ea, quæ tradunt, & Sotus, & Valentia, præcitatis locis (sed hic vers. *Tertiò certum est*, ille verò, vers. *Atque, & vsu*) insuper ad illud ampliari fortè posset, quod est; si quando, vel consolandus, vel iuuandus, vel instruendus, vel fauoribus prosequendus quispiam esset; qui specialiùs præ ceteris, in ipsam Virginem deuotione, atq; obseruãtia sit præstãs. Hoc enim, saltem non repugnaturum illismet, quæ primò asseruimus, ex eo patet; quòd sic tale Miraculum concedere, facilè ipsum, & absque ponderis alicuius ratione concedere, quod ibi nolebamus; profectò non est. Hanc tamen ampliationem, nostri lucidi corporis efformatio neutiquam intrat: cùm non narrentur Pinnenses, præsenti aliquo Simulacro, quod eandem Virginem repræsentaret, adiuti fuisse; sed illis tantùm Ignitis Radijs emissis à Corpore lucido; de cuius effectore disputamus. Atque hæc de primo illo principali sint iam satis; quod erat, vt aiebam, de contactu; quem secundùm immediationem suppositi, vel quantitatiuum appellant. Super quorum nonnullis, & maximè super illo, quòd, qui cum corpore, & anima nunc in Cælo sunt, regulariter humanis rebus, ad terram personaliter descendentes, non intersunt; videri potest Suarez in superioribus citatus, etiam lib. 6. De Angelis, cap. 21. numero 23. vbi pro nobis quamclarissimè scribit.

38 Sed,

38 Sed, vt demum ad principale alterum descendamus; quod de contactu procedebat, quem secundùm immediationem virtutis, & virtualem vocant: nec etiam, secundùm talem contactum, dicendum videtur; iam toties replicatum Corpus lucidum fuisse per Beatissimam Virginem effectum. Sic enim dare oporteret ipsi sphæram aliquam actiuitatis; quod, & est nouum, & à nullo dictum hactenus, quod sciam.

DISTINCTIO SECVNDA.

Affertur argumentum in contrarium, ac soluitur.

EXaduersùm hîc instabit aliquis, ac dicet: sphæram hanc actiuitatis Beatissimæ Virgini dari debere. Quia, si actiuitatis certa sphæra datur vnicuique Angelo, quod est videre apud Caietanum, 1. p. q. 52. a. 2. apud Becanum, loco mox citando, & apud alios, maximè Thomistas; ergo multò magis videtur danda Virgini ipsi, tanquam, & Angelorum, & creaturarum omnium Dominæ supremæ. Qua data: si Angelus potest, in tota sua sphæra, vel in qualibet illius parte, contactu virtutis operari, manens ipse tamen substantialiter, ac personaliter præsens, in vna tantùm eiusdem sphæræ parte, etiam in qua nihil operetur; quemadmodum tradit Becanus, 1. p. suæ Summæ, tract. 3. cap. 1. q. 5. conclusione tertia; ergo idem dici poterit multò magis de Virgine. Vnde, si, pro actiuitatis certa sphæra, constituatur ei totus mundus, vt videtur congruum, quia totius mundi est ipsa Domina; proinde manens eadem substantialiter, ac personaliter in Cælo præsens; contactu virtutis, poterit in terris, & vbicunque terrarum, ac totius orbis voluerit; operari pro libito. Et sic

sic non erit necesse, vt, ad operandum in suæ sphæræ, hoc est, in totius mundi singularibus partibus; aut simul sit in duobus locis, aut locum cælestem relinquat; quæ iam ponebantur, excludendis exclusis, inconuenientia.

39 Respôdetur nihilominus. Quòd tantæ Dominæ, imò & Reginæ, atque Imperatrici concedenda forent, perquàm libentissimè; tum sphæra supposita, tum inde cuncta consequentia: si tamen primò hoc eius dignitati videretur cōgruum; & secundò, si huius rei saltem haberemus idoneum Auctorem, quem, quasi Ducem, sequeremur.

Certè (vt primo loco loquamur de secundo) qui Beatissimæ Virginis priuilegia congesserunt, inter quos, ex recentioribus, Ioannes Baptista Nouatus infimum non tenet locum; de hoc ne verbum quidem. Et verba illa, Prouerbiorum 8. quæ Virgini ab Ecclesia passim applicātur, quæque concessioni huic fauere admodum, alicui fortasse possunt videri; nimirum, ***Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens;*** explicantur non de causa efficienti, & physica: verùm de obiectiua, & morali. Quocirca sensus est (vt exponit ibi Ferdinandus Quirinus Salazar) ***Ipsius omnia componentis menti obuersabar.*** Et sic idem Auctor intelligit, ibidem, alia illa Sancti Bonauenturæ, in Psalterio Beatæ Virginis, nempe, ***Dispositione tua, Virgo, perseuerat mundus, quem tu cum Deo ab initio fundasti;*** dum ait: ***Quibus docet, Virginem, cum Deo, pariter mundum molitam fuisse, nimirum, eo sensu, quo hactenus exposuimus; quia Deus, mundum condens, in Mariam intuitus est.*** Hæc Salazar.

40 Verùm (vt secundo loco nonnihil dicamus etiam de primo) Num Dei Matris dignitati congruat actiuitatis huiusmodi sphæra; cogitent viri docti. Ego enim puto, hanc sphæram Angelis dari, propter eam rationem potissimùm; quia, vt ait Beatissimus Apostolus Paulus, ad Hebræos

bræos 1. illi *Omnes sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis:* hoc est, vt exponit ibi Cornelius à Lapide; *Sunt Officiales, qui Aulam Dei, idest mundum hunc, & res humanas pro Deo administrant.* Virgo autem Dei Genitrix, non sanè dicitur eiusdem Dei Administra, siue Officialis, eo saltem sensu, quo dicuntur tales ipsi Angeli. Sed, sicut *Christus* eius Filius, *natura ipsa, nimirum, ex diuinitate, verè, & propriè, & non per similitudinem, Rex, & Imperator summus est*, inquit, Prouerbiorum 8. Salazar, nu. 132. vnde, & memoratos administratorios habet Spiritus; ita, cùm *Natura pater filiorum imperium obtineat*, vt 8. Ethicorum, cap. 11. scribit Aristoteles; ipsa quoque Virgo Christi Parens (qua de re diffusè differit, & idem Salazar, vbi proximè, & allegatus Nouatus item, De Eminentia Virginis, tomo 1, cap. 7. q. 22.) naturali iure, verè, & propriè, nec per similitudinem, summa Regina, & Imperatrix, & administratorios habere proinde Spiritus eosdem, est dicenda. Hinc ergo videtur, posse aliqualiter intelligi; Num Summæ huius Reginæ, non Administræ, neque Officialis dignitati congruat; vt illi detur, quod Administris eius, & Officialibus, & ad ministerium præcipuè, conceditur.

Et præter hæc (etiamsi daremus hanc sphæram) neque hic (vti iam diximus de contactu quantitatiuo) est facilis explicatu modus; quo eadem Virgo Deipara tetigisset virtuali contactu materiam; quam, ad effectum producendum, qui fuit re ipsa productus, tangere debebat: quamuis de illa (cùm, vt supra iam diximus, in Cælis nunc regnet glorioso cùm corpore) tanquam de anima separata loqui, non sit opus. Non enim, eam tetigisse materiam, dici posse, videtur, per lumen, & calorem, quemadmodum hæc inferiora tanguntur à Sole; cùm duo hæc in eo

euen-

Digitized by Google

euentu neminem sensisse, constet, quæ tamen sensibilia maximè sunt: neque per occultas influentias; nam gratis id omnino diceretur: neque per imperium tantùm, quo, tanquam actu rationis, voluntatis actum supponente (nil enim est aliud ipsum imperium, vt habet Sanctus Thomas, 1.2.q.17.a.1.c.) ad instar Angelorum, proximè imperasset illi materiæ; quia sic eius corpore (per ea, quæ ante dicta sunt) nihil agente; anima sola egisset, veluti separata. Animam verò per se solam, ac separatam non posse localiter mouere corpora à se diuisa; defendunt communiter Thomistæ, & peritiores Theologi Societates: vt refert Franciscus de Mendoça, in superiùs citato suo Viridario, lib. 4. problem. 29. & videri maximè potest ipsemet S. Tho. cum Caiet. 1. p. q. 117. a. 4. c.

DISTINCTIO TERTIA.

Concluditur, Quisnam congruentiùs, conuenientiùs, ac digniùs putari possit, huius nostri lucidi Corporis fuisse immediatus effector; & in tali effectione, quo modo concurrisse Beatissima Virgo, credenda sit. Deinde verò expenduntur, & comprobantur singulæ Conclusionis particulæ, vltima tamen excepta, & partim etiam penultima.

41 ATtamen (data huiusmodi sphæra, ijsque omnibus, & singulis, quæ possint ex ea inferri, si iudicium sanius, danda esse, arbitretur) ego interim congruentius, conuenientius, ac dignius puto, fore, si dicatur: Corpus illud lucidum, de quo dissertamus, non à Beatissima Virgine immediatè, ac physicè, seu contactu aliquo,

vel quantitatiuo, vel etiam virtuali; sed ab aliquo Angelo, & fortasse ab Angelo Pinnæ Billorum Custode, immediatè, ac Physicè, & contactu virtuali (modo tamen Angelis competente, vt explicabitur) fuisse effectum: illuminante nihilominus, alloquente, ac proinde imperante, sed priùs tamen Deum, vel manifestè, vel nutu, circa illud idem Corpus efformandum, deprecante Virgine ipsa Beatissima, atque adeò moraliter causante.

42 Dixi, *Congruentius, conuenientius, ac dignius*. Quia Beatissima Virgo est Domina, Regina, & Imperatrix (non per similitudinem, sed verè, & propriè) hominum, & Angelorum, ac totius vniuersi; vt probant paulò ante citati Scriptores, citatis in locis. Ergo congruentius, conuenientius, ac dignius est, vt Beatissima Virgo agat in hæc inferiora, per ministros, quàm per se immediatè. Debet enim Imperator, aut Rex, aut Dominus per ministros, qui sunt ad regiminis complementum, gubernare. Vnde, & primus Dux Israëlitici populi, Moyses à Iethro cognato suo redarguitur, & meritò (quod Exodi capite decimo octauo patet) quia, per se, ipse solus populo satisfaceret absque ministris; vt habet Sanctus Thomas, libro 2. De Regimine Principis, vel alius, quisquis fuerit, eius Operis Auctor, capite decimo: qui Sanctus Thomas videndus est etiam, hac eadem de re; 1. p. q. 110. a. 1. c.

Esset hîc explicanda particula illa, *Non à Beatissima Virgine immediatè, ac physicè, seu contactu aliquo, vel quantitatiuo, vel etiam virtuali*: Sed eius explicatio patet ex dictis, in §. 2. numero 6.

43 Dixi, *Ab aliquo Angelo*. Quia ministri, per quos creatura corporalis gubernatur, sunt Angeli: vt supra, non semel, dictum est; & communiter Theologi docent, in 2. Sentent. dist. 8. & cum Sancto Thoma, 1. p. loco citato, discipuli eius; & optimo quidem iure.

Pri-

Primò enim. Possunt Angeli mouere corpora localiter (ex Sancto Thoma ibidem, & alijs passim; vt item supra dictum est sæpe) & sic, applicando passiuis actiua; siue (vt loquitur Sanctus Augustinus, 3. De Trinitate, cap. 8. tom. 3.) adhibendo semina rerum istarum inferiorum; possunt, per eundem motum localem, causare motus ceteros: alterationem, scilicet, augumentationem, diminutionem, generationem, & corruptionem; quæ consequuntur dictam applicationem actiuorum ad passiua, vel dictorum seminum. Id quod addit ipse Sanctus Thomas, quæstione citata, a. 3. ad 2.

44 Secundò. Optimè perspectas habent Angeli (vt ait, adducto loco, Sanctus Augustinus) virtutes, & semina; quæ posse illos diximus, tanquam actiua, passiuis applicare: sicut etiam tradit Sanctus Thomas, De Potentia, q. 6. a. 3. c.

Tertiò. Celerrimè possunt dictas virtutes, ac semina congregare; vt, ad sibi præfinitos fines, applicent illa. Sic Sanctus Thomas, q. 16. De Malo, a. 9. ad vndecimum; imò & De Potent. loco citato.

Quartò. Sunt peritissimi Astrologi: & acutissimè, certissiméque Cæli, ac stellarum situs, quos constellationes vocant, & earum horas, & puncta, ad effectum vnumquenque apta, & idonea; norunt obseruare. Quæ omnia, ad aliquid in corporalibus efficiendum, quamplurimum valere; ex Medicina, ex Agricultura, & ex Nautica maximè dignoscitur. Idem Sanctus Tho. De Potentia, citato loco, & Franciscus à Victoria, in relectione De Magia, sub finem.

Quintò demum. Sunt Angeli, applicandarum quarumcunque rerum, artifices peritissimi. Et certum est: per applicationem, atque attemperationem artificiosam rerum naturalium, posse multa fieri; quæ, per solum cur-

ſum, ac vim naturæ, fieri non poſſunt. Ita Sanctus Thomas, citato loco, De Potentia; quin & Ariſtoteles etiam, 2. Phyſicorum, textu 79. Sed in confirmationem eorum omnium, quæ de Angelorum vi, ac poteſtate ſunt prædicta; legi præterea poteſt (ceteros tamen haud omittendo) Gregorius de Valentia, Commentariorum Theologicorum tomo 1. diſp. 5. q. 1. puncto 4. verſ. *Et quidem aliqua ſunt*.

Ex quibus omnibus colligitur manifeſtiſſimè intentum: videlicet, quanto iure dicantur Angeli, gubernandæ creaturæ corporalis, adminiſtri; atque adeò, quanto iure dixerim ego quoque, *Ab aliquo Angelo*.

45 Dixi, *Ab Angelo Pinna Billorum Cuſtode*. Quia Deus Angelorum cuſtodiam ſic diſpoſuit: vt, non ſolùm ſinguli hominũ ſingulos Angelos; ſed ſingulæ multitudines etiam hominũ ſingulos alios Angelos, ad ſui cuſtodiam, habeant deputatos. S.Tho. 1.p.q. 113.a.3.c. & ceteri cõmuniter. Ad cuſtodiam autem ſingulorum hominum, Angeli deputantur, qui ſunt infimi gradus tertiæ Hierarchiæ; quíque, non alio nomine, quàm Angeli, vocantur: ad cuſtodiam verò multitudinum eorũdem ſingulorum; deputantur Principatus, vel Archangeli: idem S.Tho. ibidem. Verùm hoc poſterius intelligendum eſt ita: vt Principatus Regibus, Epiſcopis, & Capitibus regiminis mundi huius inferioris præpoſiti ſint; Archangeli verò ſint præpoſiti Prouincijs, Regionibus, Ciuitatibus, Oppidis, & ſimilibus: quam explicationem addit Molina, eadem 1. p. q. cit. diſp. vnica columna 4. littera B, & C.

46 Cuſtodia porrò Angelorum non eſt aliud; niſi executio diuinæ Prouidentiæ, principaliter circa homines (S. Tho. 1. p. q. cit. a. 2. c.) nec tantùm, quò ad animas; verùm etiam, quò ad corpora; idem ibidem, a. 5. ad 2. Ceterùm: diuina Prouidentia dicitur eſſe ratio, ſiue con-

ceptio,

ceptio, siue intellectio, & cognitio ipsius ordinis mediorum, in diuina mente; quibus vnaquæque res perduci possit in suum finem; cum proposito, ac voluntate, huiusmodi media ordinandi, & conferendi; & includens prætereà, non tantùm dictorum mediorum ordinationem; sed, per illa, finis etiam consecutionem. Sic Sanctus Thomas, 1. p. q. 22. a. 1. c. Caietanus ibi, vers. *Circa definitionem*, Bañes item ibi, dubio 1. Aluarez, De Auxilijs diuinæ gratiæ, lib. 4. disp. 30. num. 4. & vniuersaliter Thomistæ reliqui nostri temporis. Quocirca: quando circa particularem aliquem hominem, vel circa particularem aliquam hominum multitudinem, particulare aliquid, siue, quò ad animam, siue, quò ad corpus, exequendum est, ad diuinam Prouidentiam spectans, tanquam medium ad suum finem ordinatum; vt hunc finem consequantur, sanè conuenit: vt eius rei executor non sit alius, nisi ille Angelus; qui talis particularis hominis, vel talis particularis hominum multitudinis est Custos. Cùm, vt dictum est; Angelorum Custodia, in huiusmodi executione, consistat.

47 Dixi, *Fortasse*. Quia Sanctus Gregorius Magnus, Homilia 34. in Euangelia, sentit; præsidentiam super rebus corporalibus, in operatione Miraculorum, pertinere ad Virtutes: dum dicit: *Virtutes vocantur illi Spiritus; per quos signa, & Miracula frequentiùs fiunt*. Et idcirco: cùm propter hoc Sancti Gregorij dictum non videatur omnino certum, quod asseruimus; addidimus particulam, *Fortasse*.

48 Assertio tamen nostra, in sententia Sancti Dionysij Areopagitæ, fundatur: qui, capite 6. 7. 8. 9. & 10. Cælestis Hierarchiæ, dicit ad rem præsentem duo. Et primò (quod legitur octauo capite) Virtutes hoc nomen sortitas esse; non ideo, quòd sint Spiritus, per quos signa, & Miracula frequentiùs fiant: Sed ideo, quòd *Virili, & mascu-*

la, inconcussaque quadam *Fortitudine* prompti, & expediti, ad diuinum obsequium sunt; atque ad idem etiam opem, & efficaciam largiuntur alijs Angelis inferioribus: qua de re videri etiam potest Greg. de Valent. tomo 1. disput. 4. q. 1. puncto 3. vers. *Gradus autem*. Secundò (quod obseruari potest sparsim per omnia dicta capita) in tertia Hierarchia primum gradum esse dandum Principatibus: secundum Archangelis: tertium demum Angelis. Quare ponit Virtutes in secundo gradu secundæ Hierarchiæ: & aliter facit, ac faciunt Sanctus Gregorius, loco citato, & Sanctus Bernardus, lib. 5. De Consideratione ad Eugenium; qui Virtutibus dant primum gradum in tertia, & Principatibus secundum in secunda Hierarchia: Porrò: Sanctus Thomas, 1. p. q. 108. a. 6. c. rationem reddens assignationis Angelicorum graduum, à Sancto Dionysio traditæ; subdit: quòd Sanctus Dionysius, ex nominibus graduum Angelicorum, proprietates illorum considerans, illos gradus in prima Hierarchia posuit; quorum nomina imponuntur, per respectum ad Deum: vt sunt Seraphim, Cherubim, & Throni. Illos autem gradus posuit in secunda; quorum nomina designant communem quandam gubernationem: vt sunt Dominationes, Virtutes, & Potestates. Illos tandem gradus posuit in tertia, quorum nomina designant operis executionem; vt sunt Principatus, Archangeli, & Angeli. Cùm igitur, secundùm Sanctum Dionysium, ad Virtutes non pertineat exequi, sed potiùs propria Fortitudine facultatem præbere inferioribus, ad exequendum, quæ tamen executio ad vltimæ Hierarchiæ Spiritus, qui ad singulorum hominum, & eorum multitudinum Custodiam deputantur, omnino pertinet; idcirco de Angelo Pinnæ Billorum Custode illud asserere volui, quod asserui.

29 Accedat primò. Quòd, licèt opinio SS. Gregorij, &

& Bernardi sit bona, probabilis, & neutiquam reprobanda, vt bene scribit Molina, loco citato, columna 2. littera A; tamen (vt idem ibi subdit) Doctores potiùs censent, adhærendum, hac in re, Sancto Dionysio. Quin Dionysius Carthusianus, in suis Commentarijs, quibus Areopagitæ, De cælesti Hierarchia, librum exponit (ex eodem Molina) refert, se legisse Opusculum quoddam Sancti Bernardi; in quo, se dolere, dicit, quòd, hac eadem in re, à Sancto Dionysio discesserit.

Accedat secundò. Quòd cum Assertione nostra stare bene etiam potest: Spiritum Angelicum quempiam de Choro Virtutum, partem aliquam, in effectione lucidi Corporis, de quo loquimur; habuisse. Cùm, etiam in Sancti Dionysij sententia, concessum sit; eosdem de Virtutum choro Spiritus facultatem, efficaciam, & opem, in huius generis efficiendis rebus; Fortitudine sua, Spiritibus præbere inferioribus.

50 Dixi, *Immediatè, physicè, & contactu virtuali.* Non quòd immediatè, physicè, & suo contactu virtuali potuerit huiusmodi Angelus educere formam illius Corporis lucidi de potentia materiæ alicuius: sed quòd hoc præstare potuerit, applicando passiuis actiua, per motum localem; iuxta iam dicta, & in hoc Paragrapho supra, & in Quæstione præcedente, sect. 2. §. primo: atque ita, se potiùs habendo, tanquam artificem; non tanquam naturalem, & physicam causam: quæ Sancti Thomæ doctrina est, q. 6. De Potentia, a. 3. in corpore. Quoniam verò *Natura corporalis*, primò, *nata est moueri immediatè à natura spirituali, secundùm locum* (vt habet idem Sanctus Thomas, 1. p. q. 110. a. 3. in corpore) & secundò, cùm sic mouetur, licèt per imperium moueatur (quod idem docet, pluribus in locis, maximè Quodlibeto 9. a. 10. ad 2. & Opusc. 11. a. 3.) hoc tamen imperium non est mora-

lis motio, hoc est (ex eodem, 1.2.q.17.a.1.c.) intimatio, vel denunciatio quædam inclinans appetitum, siue animalem, siue rationalem, sequentem ipsam apprehensionem, cuius tantùm appetitus actus, non autem, qui à naturali procedunt appetitu, imperio tali subesse possunt (item, ex eodem ibidem, a. 8. in corpore) sed est motio physica, & naturalis (vnde idem, eadem 1.2.q.80.a.2.c. scribit hæc, *Natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem*) quæ motio tamen, idcirco duntaxat, *Quod habet efficaciam aliquid transmutandi, imperium nominatur* (vt legitur, in citato a. 3. Opusculi vndecimi) & demum tertiò, id, quo executiuè sic mouetur, est actiua quædam virtus, qua spirituali, & virtuali contactu, eadem corporalis natura contingitur (quod pariter discimus ex Sancto Thoma, tum allegatis Articulis ex Quodlibetis, & ex Opusculis, tum dicta q. 6. De Potent. a. 7. ad duodecimum) ob id propter hæc tria, tria pariter dixi, quæ illis respondent; *Immediatè, physicè, & contactu virtuali.*

51 Dixi, *Illuminante, & alloquente, ac proinde imperante Virgine Beatissima.* Quia Beatissima Virgo illuminat Angelos: vt probat Nouatus, De Eminentia Virginis, tomo 2. cap. 9. q. 8. ex Scripturis, Patribus, Theologis, & rationibus; & apud eundem clarissimè docet Franciscus Mayro in sermone De Virgine, his verbis. *Dei Genitrici conuenit illud Psalmi, Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Quia Deipara suam vim illuminatiuam immediatè sumit è personis Sanctissimæ Trinitatis: & iuxta sui nominis ethimologiam, quæ ex Hieronymo, est Illuminatrix; illuminat quatuor Hierarchias sibi subiectas, ordinatè. Incipiendo ab Ordine Seraphico, illuminat tres Hierarchias Angelorum, & quartam, quæ est Ecclesiastica.* Hæc Mayro. Vbi notandum: quòd cùm Mayro dicit, Deiparam

suam

ſuam vim illuminatiuam immediatè ſumere è perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis; non diſſentit à ſe ipſo, qui, in eodem ſermone, dicit vlteriùs, Virginem illuminari ab Anima Chriſti: ſed vtitur eo modo loquendi; quia, cùm Anima Chriſti ſit vnita Verbo; quicquid facit Anima Chriſti, dicitur facere perſona Verbi: cùm, ex illo communi axiomate; *Actiones ſint ſuppoſitorum:* & quicquid facit perſona Verbi ad extra, facere dicuntur omnes tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis; cùm *Opera Trinitatis ad extra indiuiſa ſint*, ex Sancto Auguſtino in Enchiridio. Hoc igitur ſibi vult Mayro, per verba vtriuſque loci: quòd Beatiſſima Virgo illuminatur à Chriſto, & per conſequens à Sanctiſſimæ Trinitatis omnibus, & ſingulis perſonis; & ſic illuminata illuminat Angelos. Sed cetera patebunt ex dicendis, in ſequente Diſtinctione.



DISTINCTIO QVARTA.

Exactiùs declaratur, & probatur, quod auctoritate Doctorum positum est; Virginem Beatissimam Angelos illuminare. Ex qua declaratione, ac probatione patet, infertur, & subinfertur; Quid sit huiusmodi illuminatio: Quo modo fiat: & ratio, Quare dixerim in Conclusione; Illuminante, & alloquente, ac proinde imperante, atque adeò moraliter causante. Vbi explicatur etiam, Quare addiderim; Sed priùs tamen Deum, vel manifestè, vel nutu, deprecante. Ac tandem ostenditur; Quo modo dici possit, atque intelligatur, Corpus nostrum lucidum à Beatissima Virg. fuisse effectum.

52 SCiendum est igitur propterea: quòd (vt bene notat Suarez, lib. 6. De Angelis, cap. 15. num. 1. quem refert Nouatus, loco iam citato) Christus Dominus, tanquam Caput, non solùm hominum, sed & ipsorum quoque Angelorum, illuminat, post incarnationem suam, omnes Angelos; etiam supremos. Et ratio ex doctrina Sancti Thomæ desumpta illa est: Non tantùm, scilicet, quia de influentia Christi (quod habet, 3. p. q. 8. a. 4. c.) recipiunt Angeli, nedum homines; sed præterea (sicut, 1. p. q. 106. a. 3. c. tradiderat) quia ordo, qui conuenit spiritualibus substantijs, quíque secundum legem ordinariam nunquam à Deo prætermittitur, est; vt inferiora moueantur per superiora. At verò: Christus Angelis omnibus, etiam quà homo; superior est: Quippe cuius huma-

humanitas, post quàm ad Cælos ascendit; sedere dicitur ad dexteram Dei: nempe (vt notat Cornelius à Lapide, in illa verba ad Hebræos, 1. ***Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis***) ***Quia super omnes creaturas, tam loco, quàm beatitudine, & gloria exaltata est; vt longè transcendat Angelos, Cherubim, & Seraphim; sitque Deo proxima, tanquam dominans omnibus Angelis, hominibus, & creaturis alys.*** Vnde, & Apostolus ibidem subdit: ***Ad quem autem Angelorum dixit*** (Deus) ***aliquando; Sede à dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?*** Ergo Christus, vt superior illis, illuminat Angelos. Porrò, etiam Beatissima Virgo in Cælis est superior Angelis omnibus. Canit enim Ecclesia, ***Exaltata est Sancta Dei Genitrix, super Choros Angelorum, ad cælestia Regna.*** Tamen inferior est ipsi Christo, & proxima. Quocirca Sanctus Dauid, Psalmo 44. Christum alloquens aiebat; ***Astitit Regina à dextris tuis:*** hoc est (exponit ibi Cardinalis Bellarminus, ipsi Virgini accommodato sensu; & more Prophetarum, præteritum accipiens pro futuro) ***Assistet sponsa tua, quæ Regina etiam est, cùm sit sponsa tua, qui Rex es, à dextris tuis, idest, proxima tibi, & in loco summi honoris, infra Regalem thronum.*** Postulat ergo prædictus ordo, qui, iam dicto modo, nunquam à Deo prætermittitur; vt etiam Beatissima Virgo, quæ media intercedit inter Christum, & Angelos; non solùm à Christo illuminetur, tanquam à superiore; sed & Angelos illuminet, tanquam inferiores: Quare, illuminat quidem ipse Christus Angelos; at mediatè regulariter: illa verò eosdem illuminat immediatè.

53. Neque his obstat, quòd humanitas Christi, & Beatissima Virgo non sunt substantiæ spirituales; & prædictus ordo, quo per superiora mouentur inferiora, quíque nunquam à Deo iuxta consuetum, vt aiebam, prætermittitur;

titur; substantijs conuenit spiritualibus, quod visum est: quia (vt Sanctus Thomas, 3. p. loco cit. ad 1. luculenter innuit) ordo huiusmodi respectu animarum attenditur; secundùm quas homines conueniunt cum Angelis, in natura generis; licèt non in natura speciei.

Accedit & alia ratio, quæ demonstrat illud ipsum: eandem, nimirum, Virginem Beatissimam, à Christo illuminatam; Angelos illuminare. Quia (vt scribit Ioannes Gerson, tractatu 4. Super *Magnificat*) Virgo *constituit ipsa sola Hierarchiam secundam, sub Deo trino, & vno Hierarcha primo, & summo; apud quem Hierarcham, humanitas Filij sui, sola sublimata, sedet à dextris virtutis Dei.*

54 Sed notandum: ex eo, quòd dicit, *Ipsam solam Hierarchiam secundam constituere*, non inferri; ponendam esse Hierarchiam primam, in diuinis personis. Vt enim docet Sanctus Thomas, 1. p. q. 108. a. primo, in fine corporis; *Manifestum est, eos errare: qui ponunt in diuinis personis Hierarchiam, quam vocant supercælestem. In diuinis enim personis, est quidem ordo naturæ; sed non Hierarchiæ. Nam, vt Dion. dicit, 3. cap. Cælest. Hierarch. Ordo Hierarchiæ est, alios quidem purgari, & illuminari, & perfici; alios autem purgare, illuminare, & perficere: quod absit, vt, in diuinis personis, ponamus.* Sic Sanctus Thomas.

Nec etiam inferri; ponendam esse Hierarchiam in humanitate Christi. Tum, quia, si de illa loquamur, quantùm ad animam; hæc, secundùm legem ordinariam, non illuminatur, vt ordo Hierarchiæ requirit; quod iam dictum est. *Quandoquidem Scientia beata Christi Scientiarum beatarum omnium, quæ, de Potentia Dei ordinaria, esse possunt; est perfectissima*: quemadmodum cum Sancto Thoma, 3. p. q. 10. a. 4. ad 3. tradunt Bartholomæus

à Me-

à Medina, ibi, in expositione Articuli, & Suarez, ne a ibi, tum in Commentario, tum disput. 26. sect. 2. vers. *Vltimo ex dictis*. Tum etiam, quia, si loquamur de Christi persona, dicere possumus, ac debemus iterum cum Sancto Thoma; Absit: vt ordinem Hierarchiæ, quantùm ad illuminari, ac perfici, in persona Christi, quæ diuina est; ponere audeamus.

Sed solummodo inferri, Hierarchiam, à Beatissima Virgine constitutam, appellari secundam; in ordine tantùm ad primum Hierarcham: idest, in ordine ad primum summum Principem sacrum (hoc enim, ex Sancto Thoma, citato Articulo primo Quæstionis 108. Primæ Partis, denotat nomen, *Hierarcha*) qui, Deus trinus, & vnus est: apud quem, sola sublimata sedet (vt aiebat Gerson) humanitas Filij.

Et hoc ad rem nostram satis, supérque est. Colligitur enim inde, Beatissimam Virginem, vt constituentem Hierarchiam secundam, tenere medium locum; inter Christum, & Angelos. Vnde addito, quod ex Sanctis Dionysio, ac Thoma dictum est, Hierarchiæ, nimirum, ordinem esse, *alios purgari, illuminari, & perfici, & alios purgare, illuminare, & perficere*; hinc apertè concluditur nostrum intentum: Beatissimam, videlicet, Virginem, & illuminari à Christo, & Angelos illuminare.

Quæ omnia aptissimè congruunt cum Metaphoricis illis nuncupationibus; quibus, vt Christus Caput; sic Virgo Collum nominatur. *Sicut enim*, inquit Nouatus, loco iam citato, *à capite, in humano corpore, per collum ad alia membra transmittuntur spiritus quidam, qui sunt substantiæ subtiles, perlucidæ; ita à Christo, tanquam à Capite, transfunduntur per Virginem, tanquam per mysticum Collum, illuminationes; & ab hac, in Angelos*.

55 Ceterùm omnis illuminatio quædam locutio est: licèt

licèt illuminatio, & locutio ad conuertentiam (vt Logici loquuntur) dici non possit. Est enim inter Dæmones locutio quidem; non est autem inter illos illuminatio; vt docet Sanctus Thomas, 1. p. q. 109. a. 3. c. Quia, nimirum, licèt vnus illorum alium alloquatur; attamen ***Peruersitas Dæmonum***, inquit ille, ***hoc habet: quòd vnus alium non intendit, ad Deum ordinare; sed magis ab ordine diuino abducere***: &, ***Illuminatio propriè est manifestatio veritatis, secundùm quòd habet ordinem ad Deum; qui illuminat omnem intellectum.*** Quem ordinem, quia nec locutio inferioris Angeli boni ad superiorem habere ferme potest; propterea quòd (vt ait Sanctus Dionysius, Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 5. parte prima) ***Ista quidem diuinitatis sacrosancta Lex est: vt, per prima, sequentia ad augustissimam illius subuehantur lucem***; ideo, neque illa, vel est, vel dici potest illuminatio. Videatur Sanctus Thomas, eadem 1. p. q. 106. a. 3. c. & q. 107. a. 2. c.

Locutio autem Angelica (quemadmodum ille ipse tradit, allegata q. 107. a. 1. c. & ad 1. quicquid Scotus, & aliqui alij, videndi apud Nouatum, De Eminentia Virginis, tomo 2. cap. 9. q. 9. sentiant in contrarium) nihil est aliud, nisi volitio quædam; per quam, Angelus vnus ordinat conceptum suæ mentis, vt manifestetur alteri. Vnde, quamcitò vult manifestare suum conceptum; statim alter cognoscit: maximè, cùm neutrum adsit ex illis impedimentis, & obstaculis, quæ in hominibus viatoribus quasi claudunt interiorem mentis conceptum; quin ab alijs videatur: & sunt primò, crassities: secundò, ipsa voluntas; quæ quidem, sicut potest illud, ad extra, ordinare; sic potest retinere interiùs. Non adest voluntas obstans, & impediens; quia supponitur, Angelum velle manifestare suum conceptum: neque crassities corporis; quia sunt Angeli spirituales creaturæ.

56 Iam

56 Iam verò: locutionem Beatissimæ Virginis ad Angelos; modum vtique habere oportet Angelicæ locutionis. *Omne* nanque, *quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*: vt habemus, nedum ex Sancto Thoma, sicut alibi supra dicebatur; sed & ex ipso libello, De Causis, propositione decima: qui libellus ponitur, in fine sextæ partis Operum omnium Aristotelis; vt docti sciunt. Atque ita: locutio istiusmodi non erit, nisi volitio quædam, qua Beatissima Virgo conceptum suæ mentis ordinet, vt manifestetur Angelo cuipiam; quamcitissimè vult. Quod certè præstare potest, quamfacillimè.

Quandoquidem, licèt sit ipsa corporalis, vt supra diximus: cùm tamen sit corpus eius gloriosum, & dote claritatis præditum, ac subtilitatis; impedimentum, & obstaculum crassitiei nequaquam habet. Vnde Sanctus Thomas, 1. p. q. 57. a. 4. ad 1. docet: post resurrectionem, in corporibus gloriosis obstaculum crassitiei non impediturum, quò minùs Angeli cognoscant cogitationes cordium; modò non impediat voluntas. Quamobrem potest Virgo Beatissima, quandocunque vult; per simplicem suæ voluntatis actum, quemcunque suæ mentis cóceptum Angelorum cuicunque manifestare. Et vlteriùs hoc facere potest, in quacunque distantia. Cùm enim talis locutio in operatione consistat intellectuali, ac voluntaria, & proinde à loco, ac tempore abstracta sit; sequitur, vt loci distantia nullum, hac in re, præstet impedimentum. Sanctus Thomas, 1. p. q. 107. a. 4. c.

57 Ex quibus omnibus clarè satis apparet: & quid sit illuminatio, qua illuminat Angelos Virgo Beatissima; & modus illius. Est nanque manifestatio veritatis alicuius nescitæ ab illis antea (quandoquidem illa propriè manifestari dicuntur alicui, quæ ab illo nesciebantur) cum ordine ad Deum, qui illuminat primordialiter omnem intel-

tellectum. Et modus illius in eo consistit: vt Virgo illuminetur à Christo, & per consequens à Deo; & ipsa sic illuminata, per actum suæ voluntatis ordinet conceptum suæ mentis, vt alicui manifestetur Angelorum, quod etiam est alloqui; quem conceptum Angelus percipiat, in quacunque ab ipsa Virgine, reperiatur esse, distantia.

Et propterea: quandocunque contingit, vt aliquis Angelus Custos, intuitu maximè Beatissimæ Virginis, aliquid circa homines, & humana in hisce inferioribus, quod antea nesciebat, quomodocunque (sed præsertim præter legem communem, & solitum naturæ cursum) exequatur; istud ipsum equidem, eadem illuminante, & alloquente Virgine, semper exequi, dicendus est.

58 Vnde fit: vt, quando erat exequenda lucidi Corporis efformatio, in cuius nunc examine versamur; iuxta congruentiam, de qua iam supra, dicere debeamus: quòd Beatissima Virgo, cuius illud erat efformandum intuitu, ab ipso Christo illuminata, illuminauerit hac de re, ac proinde allocuta fuerit Angelum Pinnæ Billorum Custodem; qui, vt vidimus antea, secundùm Doctorum communiorem opinionem, illius futurus erat executor. Et propterea dixi, *Illuminante, & alloquente*. Verùm, An hæc Virginis ad Angelum huiusmodi illuminatio, & allocutio contingerit immediatè, an verò mediatè; deducant, qui volunt, ex principijs, tum Sancti Dionysij, 10. cap. Cælestis Hierarchiæ, tum Sancti Thomæ, 1. p. q. 107. a. 4. & 5. c. & q. 112. a. 2. c. cum Caietano, ibi.

59 Quoniam autem ex eo, quòd eadem Virgo illuminando, & alloquendo dictum Angelum, illi etiam imperauit; allocutio siquidem manifestans, & intimans aliquid alicui, mouénsque, ad idipsum exequendum, qualis fuit allocutio, de qua loquimur, profectò imperium est (vt docet Sanctus Thomas, 1. 2. q. 17. a. 1. 2. & 5. c. qui videndus

dendus est, etiam 1. p. q. 109. a. 3. in fine corporis) idcirco dixi, non solùm, *Illuminante, & alloquente*; sed etiam, *Ac proinde imperante*.

Addidi etiam, *Sed priùs tamen Deum, vel manifestè, vel nutu, circa illud idem Corpus efformandum, deprecante*. Quia illuminationi, allocutioni, & imperio (iuxta doctrinam Sancti Gregorij, lib. 2. Dialogorum, cap. 30. & Sancti Thomæ, 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. quæ doctrina communis est quidem, ad omnia Miracula Sanctorum) credendum est; præcessisse, circa talem efformationem, vel preces, vel nutus eiusdem Virginis ad Deum: quibus permotus ipse Deus, principaliter, siue, vti causa principalis, Corpus illud sit operatus. Videantur citati Sancti Doctores.

Dixi tandem, *Atque adeò moraliter causante*. Quia illuminatio, allocutio, & imperium, quin etiam, & preces, vel nutùs, cùm per conuenientis obiecti propositionem, ad inclinandam, ac mouendam voluntatem, fiant; inter causas morales, non physicas computantur: vt (præter Aristotelem, lib. 1. Politicorum, cap. 1. & Sanctum Thomam, De Malo, q. 3. a. 3. c.) videri potest apud Didacum Aluarez, De Auxilijs diuinæ gratiæ, lib. 3. disp. 22. num. 1. & 2.

Prædictus igitur Angelus Pinnæ Billorum Custos (vt Distinctioni finem imponamus) Beatissimæ Virginis illuminatione, allocutione, atque imperio percepto; Corpus illud lucidum immediatè, physicè, ac per se ipsum (sibi, videlicet, conueniente modo, quem suo iam explicauimus loco) perfecit. Quod nihilominus dici potest, ac debet, effectum esse ab ipsa quoque Virgine, & Deum deprecante, & Angelum illuminante, atque alloquente, illique imperante; ac proinde, per eundem, operante. Tum, ex illa tritissima Regula Iuris, *Qui per alium facit*,

per seipsum facere censetur: tum, quia, si illuminationi, allocutioni, & imperio preces, vel nutus eiusdem Virginis ad Deum praecesserunt (vt, ex Sanctis Gregorio, & Thoma, dictum est) quibus permotus ipse Deus, principaliter idem Corpus est operatus; propter huiusmodi preces, vel nutus (ex ijsdem, iam citato loco) dicenda est etiam ipsa, illud effecisse: quia sic, instrumentaliter (vt morale tamen instrumentum) illud effecit. Atque hæc sibi voluit Martinus, cùm cecinit;

Tu, Pia, Ignitis oculos furentum
Percutis dulci Radijs, &c.

quorum occasione verborum, est mota præsens Quæstiuncula.

DISTINCTIO QVINTA.

Ponitur argumentum in contrarium, & solutio ipsius: deinde contra solutionem, instantia quædam, & eius pariter solutio. Ex quibus addiscitur: Quid, & Quo modo vnusquisque Beatus videat in Verbo; & Quænam ex ijs, quæ facit Angelus Custos, circa custoditum, sint dicenda Miracula; quæ verò non.

60 Contra id, quod positum, ac declaratum est, circa particulam illam Conclusionis, *Illuminante, alloquente, ac proinde imperante, &c. Virgine Beatiss.* duabus in proximis Distinctionibus; dicet aliquis. Huiusmodi illuminatio, allocutio, & imperium Beatissimæ Virginis, respectu Angeli Custodis Pinnæ Billorum, in ordine ad efficiendum prædictum Corpus lucidum, sicut alia quæuis eius-

eiusdem illuminatio, allocutio, & imperium, respectu quorumcunque Angelorum Custodum, in ordine, ad illa, quæ spectant ad eorum custodiendi officium; est omnino superflua. Quia, *Vnusquisque Beatus cognoscit, ac videt illa omnia in Verbo, quæ ad ipsum spectant*: ex Sancto Thoma, 3. p. q. 10. a. 2. c. Ergo ponenda non est.

Respondetur. Quòd propositio illa, *Vnusquisque Beatus videt in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant*, dupliciter, ex Caietano ibidem, intelligi potest: nimirum, vel formaliter tantùm, vel formaliter, & causaliter simul. Si formaliter tantùm intelligatur; sensus est: quòd ipsa visio Verbi est etiam visio formalis omnium spectantium ad Beatum. Et sic sumpta propositio intelligitur de spectantibus ad Beatum tunc tantùm, cùm primò fit Beatus: ita vt tunc videat formaliter in Verbo omnia, quæ tunc ad ipsum spectant; non autem etiam ea, quæ deinceps ad ipsum spectabunt.

Omnia quidem, quæ tunc ad ipsum spectant, videt formaliter Beatus; quia cognoscens causam, oportet, vt cognoscat etiam effectum aliquem illius causæ in illa. Cùm enim causa sit relatiuum quoddam, secundùm dici, seu transcendentale, eoquòd tale nomen, *causa*, primò significat rem, quæ causat, deinde respectum, siue habitudinem ad causatum, vel effectum (qua de re videri potest Sanctus Thomas, 1. p. quæst. 13. a. 7. ad primum) necesse est: vt talis respectus, aut habitudo sit differentia, siue ratio essentialis constituens causam in esse causæ. Vnde talis habitudo, siue respectus definitionem intrat cuiuscunque causæ; vt videri potest apud Aristotelem, 2. Phys. tex. 28. & De Somno, & Vigilia, cap. 3. Et ideo, qui cognoscit essentiam causæ; necesse est, vt etiam talem habitudinem, siue respectum, tanquam illius essentiæ partem, cognoscat. Et cùm talis habitudo, siue re-

spectus intrinsecè terminetur ad quandam similitudinem speciei, secundùm quam effectus est in causa vniuoca; siue ad quandam formam propriam, & permanentem proportionatam ad effectum, secundùm quam sunt effectus in causis non vniuocis, putà, res generatæ in Sole (iuxta Sanctum Thomam, 3. p. q. 62. a. 3. in corpore) propterea Medicus, v. g. qui acutè cognoscit causas ægritudinis, & Astrologus, qui perspicaciter in astris videt causas pluuiarum, & serenitatum; prognosticantur, alter de futuro statu ægritudinis, alter de futuris pluuijs, & serenitatibus: ex eodem, 1. p. q. 57. a. 3. c.

Licèt autem in Deo talis habitudo, siue respectus, qui est differentia, & essentialis ratio constituens causam in esse causæ, realis non sit; cùm Deus extra totum ordinem sit creaturæ, & ad ipsum creturæ omnes ordinentur, & non è conuerso; quia, tametsi creaturæ, tanquam effectus, referantur realiter ad ipsum Deum, & in Deo tamen aliqua relatio realis ad creaturas non sit, sed relatio secundùm rationem tantùm, in quantùm, scilicet, ad ipsum eædem creaturæ referuntur (ex eodem 1. p. q. 13. a. 6. in corpore) est nihilominus in ipso Deo (vt idem habet, ibidem, ad primum) id, quod directè, ac primò, & principaliter significatur eo nomine, *causa*; nimirum, actio Dei, quæ est ipsius Dei essentia.

61 Cùm autem actio Dei, qua creaturæ factæ sunt, ipsius Dei sit vlteriùs intellectio, quia Deus per intellectum agit; necesse est: vt in Dei mente sint formæ creaturarum, ad quarum similitudinem creaturæ factæ sunt: sicut in mente ædificatoris domus præexistit forma, & idea domus; ad cuius similitudinem ab ædificatore fit domus. Sic idem Sanctus Thomas, 1. p. q. 15. a. 1. c. Hæ verò formæ creaturarum existentes in diuina mente non sunt, nisi diuina essentia; in quantùm est similitudo huius, vel illius

crea-

creaturæ. Idem, ibidem, a. 2. ad 1. Et ex alia parte sunt id etiam, secundùm quod creaturæ sunt in Deo, tanquam effectus in sua causa. Idem, quæst. 12. art. 9. c.

62 Idcirco: quilibet Beatus, videns diuinam essentiam; necesse est, vt in illa videat, & cognoscat creaturas, dicto modo in eadem existentes. Non omnes quidem: quia sic Deum comprehenderet, quod fieri non potest. Idem, q. 12. a. 7. Igitur aliquas: & tantò plures, quantò perfectiùs Deum videt. Ibidem, a. 8. c. Et inter has, necessariò ponendæ sunt creaturæ, spectantes tunc ad proprium vniuscuiusque statum; cùm primò incipit esse Beatus: quia secùs, ex Caietano, loco citato, non esset perfectè Beatus: cùm angi, & tristari propterea posset; &, *Beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus*.

Ex his colligitur facilè ratio; quare vnusquisque Beatus videt omnia formaliter in Verbo; quæ ad ipsum tunc spectant, cùm primò fit Beatus: quam (ne ampliùs hîc morer) colligendam Lectori relinquo.

63 Tunc autem non videt formaliter in eodem Verbo, etiam ea, quæ deinceps ad ipsum spectabunt; quia contrarium (maximè de Angelis loquendo) Scripturis repugnat, Patribus, ac Theologis.

Et Scripturis quidem repugnat. Quoniam, Psal. 23. Angeli Custodes cælestium portarum, dum Dei Filius assumeretur humana forma in Cælum; ab Angelis alijs triumphum illius comitantibus, ipsum esse virtutum Dominum, Regémque gloriæ; perdiscunt. Audierant enim primò, *Attollite portas, Principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Deinde, rerum auditarum tanquam ignari, interrogantes, *Quis est iste Rex gloriæ?* responsum tandem accipiunt, *Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* En Angelos Beatos, non vi-

 den-

dentes antea in Verbo; quod postmodum ab alijs Angelis didicerunt. Et videndus est, in hunc Psalmi locum, Genebrardus.

64 His persimiles illi sunt, qui, Isaiæ 63. percontantur in hunc modum. *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Vbi Lyranus, addens, hanc esse communem expositionem Catholicorum omnium: *Verbum est*, inquit, *Angelorum Christum ascendentem admirantium, & de eius mysteriis pleniùs doceri, & illuminari petentium.* Quorum petitioni, ex eodem Lyrano, satisfecit ipse Christus per se, dum dixit, ibidem; *Ego, qui loquor Iustitiam, & propugnator sum, ad saluandum.* Discunt ergo Angeli ab ipsomet Christo, quæ priùs in Verbo non videbant.

65 Quin, & discunt ab Apostolo Paulo: qui propterea scribens ad Ephesios, cap. 3. hæc habet. *Mihi autem omnium Sanctorum minimo data est gratia hac, In Gentibus Euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit. Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei, secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Vbi, apud Cornelium à Lapide, Sanctus Ioannes Chrysostomus, *Paulus*, inquit, *Angelorum Euangelista hic eos illuminauit.*

66 Patribus verò repugnat. Quandoquidem, Sanctus Dionysius Areopagita, qui sanè in hisce rebus dicendus est Magister ceterorum, suæ Cælestis Hierarchiæ cap. 7. præterquam quòd, Scripturas ex iam allatis duas in eum sensum explicat, quem secuti sumus: apponit insuper hæc verba. *Dignum verò Miraculo est: cur prima illa quoque Virtutes Angelicæ, quæ ceteras tanto celsitudinis honore transcendunt diuinarum intelligentias rerum, quasi non sum-*

summæ, sed media sint, à Deo reuerenter addiscere, cupiant.

Et Sanctus Ioannes Chrysostomus, qui ad rem nostram, scripserat, quæ paulò ante notauimus, in Prologo in Ioannem, hortatus, vt eidem Ioanni summam præstemus attentionem; subiungit sequentia. *Nihil enim nobis humanum, sed à Spiritus Sancti profundis, & abditis thesauris omnia proloquitur: quæ, neque Angeli, priùs quàm hic diceret, nouerunt.*

Et Sanctus Anselmus, in Epistolam ad Ephesios, capite 3. sic loquitur. *Dum* (Ecclesiam) *Christus, vel per se, vel per Apostolos instrueret; plurima secreta didicerunt Angeli, quæ ignorabant.*

Alios Patres leges apud Molinam, 1. p. q. 57. a. 5. disput. 1. Sed, ijs omissis, consulantur interim Lyranus, & Cornelius à Lapide, tum in hunc locum, ad Ephes. 3. tum in illud Danielis 10. *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus.*

67 Theologis demum repugnat. Quia, licèt Scotus in 4. dist. 10. q. 8. tribuat Angelis naturalem facultatem cognoscendi mysteria gratiæ, saltem quando actu illa contingunt, quam sententiam Gregorius à Valentia, Commentariorum Theologicorum tomo 1. disp. 4. q. 8. puncto 4. putat singularem, & falsam; & Becanus, 1. p. suæ Summæ, tract. 3. cap. 1. q. 12. partim concedendam, partim verò negandam; & ex ea contra positionem nostram, quæ non de cognitione Beatorum naturali procedit, sed de illa, quam habent, videndo creaturas in Verbo, nihil potest inferri; communiter tamen reliqui omnes cum Sancto Thoma, 1. p. q. 57. a. 5. c. concludunt: Angelos mysteriorum gratiæ quædam à principio suæ creationis, siue tunc, cùm primò fuerunt Beati, cognouisse; quædam verò postmodum, secundùm quòd eorum officijs congruit,

gruit; edoceri. Qui Sanctus Thomas videri etiam potest, q. 113. a. 8. c. vbi tractans illud ipsum Danielis, 10. quod retulimus supra, *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus*; docet: Angelos, in quantùm de contrarijs hominum meritis inter se, quibus contingit quandoque, vt vnus alteri subdatur, aut præsit, diuinam consulunt voluntatem; in tantùm sibi inuicem resistere. Necesse autem eos habere, super his diuinam consulere voluntatem; quia, quod super ijsdem diuinæ sapientiæ, aut voluntatis habeat ordo, cognoscere non possunt; nisi Deo reuelante. Ecce ergo: per Sanctum Thomam, quædam cognoscunt Angeli, non quidem videntes illa iam inde, siue ex eo tunc in Verbo, cùm primò facti sunt Beati; sed ipso Deo, cùm congruit, reuelante. Videri potest insuper Caietanus (præter locum iam adductum) in citatum etiam Articulum Quæstionis 57. Molina, & Valentia, locis allegatis, Becanus 1. p. suæ Summæ, tract. 3. cap. 3. q. 6. & 7. & alij.

Ex quibus omnibus apparet manifestè nostrum intentum: repugnare, nimirum, Scripturis, Patribus, ac Theologis, quòd aliquis affirmet, videre tunc Beatos, & maximè Angelos formaliter in Verbo, cùm primò Beati fiunt; quæcunque spectabunt ad ipsos deinceps.

68 Atque ita ostensum est: quare Beatus vnusquisque tunc temporis, cùm primò fit Beatus, videt omnia formaliter in Verbo, quæ tunc tantùm ad ipsum spectant; non autem etiam ea, quæ ad ipsum spectabunt in futurum: quo modo duntaxat, diximus, veram esse propositionem adductam in contrarium, si sumatur formaliter; scilicet, eo sensu, vt visio Verbi sit etiam formalis visio omnium spectantium ad Beatum.

Si verò sumatur eadem propositio formaliter, & causaliter simul, quæ erat altera pars distinctionis, quæque restat

restat explicanda; tunc sensus est: quòd Beatus tunc temporis, cùm primò fit Beatus, quædam videt formaliter in Verbo, & sunt ea tantùm, quæ tunc ad ipsum spectant, & non alia, propter iam allatas rationes; quædam autem videt causaliter, & sunt ea, quæ ad ipsum spectabunt in futurum.

Dicitur porrò Beatus, hæc vltima tunc temporis videre causaliter; quia visio Verbi causa est, vt suo tempore Beato reuelentur, quæcunque spectabunt ad ipsum in futurum. Et ideo scribit Caietanus, citato loco Tertiæ Partis, hæc verba. *Ex hoc ipso, quòd aliquis videt Verbum, debetur sibi, quòd suo tempore innotescant sibi spectantia ad se: aliter visio illa non substantialiter constitueret Beatum. Beatitudo enim est status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Atque hoc sensu propositio est absolutè, & vniuersaliter vera; ac proinde absolutè, & vniuersaliter conceditur à nobis: quia sic positioni nostræ nihil contradicit, cùm supponat reuelationem, & reuelatio (quemadmodum tradit Sanctus Thomas, 1. p. q. 57. a. 5. c.) per illuminationem fiat; cuius ordo, modus, & cursus iam explicatus est supra. Et sic obiectioni, & argumento sit factum satis.

69 Instabit adhuc aliquis. Si prædicta vera sunt; ergo quæcunque facit quilibet Angelus Custos circa custoditum, erunt Miracula. Conuincit ratio ex dictis conflata. Quia huiusmodi omnia, antè quàm fiant, sunt vtique futura. Cùm sunt futura, etsi pertineant ad Angelum Custodem; in Verbo formaliter non videntur: sed tantùm causaliter. Causaliter videri in Verbo, est ex hoc ipso, quòd videtur Verbum, deberi Beato illa suo tempore per illuminationem reuelari. Per illuminationem reuelari, est reuelari per locutionem.

Lo-

Locutio, quæ mouendo fit, est imperium: præterquam quòd, omnis actio Angeli fit in corpora per imperium. Illud imperium reducitur primordialiter, iuxta ordinem illuminationum Angelicarum, ad ipsum Deum. Imperium Dei, ex firmatis in Quæstione præcedente, est virtus Dei. Si ergo quæcunque facit quilibet Angelus Custos circa custoditum, necessariò fiunt, ex tali Dei virtute, nec aliter fieri possunt; certè fiunt, supra facultatem totius naturæ creatæ. Et hoc est illud, quod constituit Miraculum in esse Miraculi; vt itidem supra suo loco, ex Sancto Thoma, definitum est. Dicere autem, quòd omnia, quæ facit quilibet Angelus Custos circa custoditum, sint Miracula; nouum sanè, atque absurdum poni debet. Ergo, & illud etiam, ex quo sequitur, tali nota venit omnino censurandum.

70 Respondetur: quòd, quæ facit Angelus quilibet Custos circa suum custoditum; vel facit secundùm legem communem, & consuetum ordinem; vel præter legem communem, & consuetum ordinem. Facit quidem secundùm legem communem, & consuetum ordinem; quando illuminat hominem inuisibiliter, & absque eo, quòd homo aduertat, & cognoscat illuminationem istiusmodi: licèt rem aduertat, & cognoscat; quæ sibi per illuminationem innotescit. Quod accidit, cùm proponit homini veritatem intelligibilem sub sensibilium similitudinibus, vel (quod idem est) mediantibns phantasmatibus, quæ, non dicam, de nouo impresserit (hoc enim non potest) sed per mediocrem localem motum spirituum, & humorum, quibus talia phantasmata insunt, ad sensum communem, vt inde incipiat cognitionis processus, reuocauerit, quod infra meliùs explicabitur; & præterea per suam præsentiam, eiusdem hominis intellectum fortificat, & confortat. Videri potest Sanctus Thomas, 1. p. q. 111. a. 1.

a. 1. & 3. & q. 113. a. 1. ad 3. Facit verò præter legem communem, & consuetum ordinem; quoties hominem illuminare quærit, vel, per efformationem alicuius corporis, vel, per apparitionem aliquam, quæcunque illa sit. Ex eodem Sancto Thoma, eadem q. 113. a. 1. ad 3. Quæ facit primo modo; Miracula non sunt. Quæ facit autem secundo modo; certissimè sunt Miracula, per ea; quæ idem Sanctus Thomas tradit, loco proximè citato. Non enim, fieri sola virtute Dei, Miraculum arguit; sed fieri, & virtute Dei, & præter legem communem, & consuetum ordinem: vt patet de creatione rerum, & iustificatione impiorum, ex vna parte; & incarnatione Verbi, & transubstantiatione panis in Corpus Christi, ex altera parte. Quæ omnia, quanquam Dei virtute fiant; eorum tamen secunda solummodo Miracula sunt, non prima. Quia secunda, & virtute Dei, & præter communem legem, & consuetum ordinem; prima verò sola Dei virtute fiunt. Legendus est Sanctus Thomas, tum alibi, tum 1. p. q. 105. a. 7. ad 1. & ibi Caietanus; & recolenda sunt, quæ de Miraculis, in Præfatione huius primæ partis, adnotauimus.

APPENDICVLA PARAGRAPHI SEXTI.

Ponitur protestatio quædam Auctoris, circa dicta in sexto Paragrapho.

PLacet autem, ad huius Paragraphi calcem illud appendere: quòd, si de omnibus, quæ scripsi adhuc, súmque scripturus deinceps Dissertatione hac in tota, libens vsurpabo semper illud Sancti Augustini, libro secundo De Trinitate, capite nono, Sum *paratus corrigi, si fraternè, ac rectè reprehendar, paratus, etiam, si ab ini-*

mico

mico, vera tamen dicente, mordeat; quamlibentissimus tamen de ijs vsurpo, quæcunque, ad nostri lucidi Corporis effectorem indagandum, hic mihi prodere venit in mentem. Ita vt: si quis habeat meliora, quæ, nimirum, & magis Eminentissimam ipsius Virginis deceant Maiestatem, & magis nostram Deuotionem, ac Pietatem in illam allectet, eorum tamen Doctorum doctrinis congruentia, qui communi iudicio summos inter Magistros hisce in rebus habentur, à quibúsque, ne latum quidem vnguem, sensa cũcta mei capitis omnino postponens, ego discedere profiteor, vti quisque notans illorum, quæ allego loca, facilè poterit habere compertum; non sanè repugnanter, imò potiùs, & manibus, & pedibus (vt aiunt) in eorum sententiam sim iturus. Maximè, cùm, quicquid hac in re dicatur, nihil nostro principali proposito possit officere.

§. VII.

Respondetur tertiæ Quæstiunculæ, quæ illa erat: Num aliquid Miraculi contigerit, in effectione lucidi Corporis, de quo disceptamus: & Responsio probatur, & ab vnico vindicatur obiecto.

SEquitur ex jis, quæ proximè dicta sunt in fine Paragraphi, siue Distinctionis ipsius quintæ; Conclusio quædam immediatè respondens tertiæ prædictæ Quæstiunculæ.

17 Arbitror enim, circa illam ita resoluendum. Effectio, siue efformatio Corporis adeò lucidi, vt tam validos Radios posset emittere, quàm subsecutus effectus requirebat; verè, ac propriè fuit Miraculum.

Pro-

Probatur. Quia Corpus illud lucidum ab Angelo quidem, & partim sua naturali virtute, sed tamen illuminante, alloquente, ac iubente ipsa Deipara, atque adeò ipso Christo, & proinde ipso Deo, & propterea, partim etiam virtute ipsa Dei effectum, & efformatum est; nec aliter effici, aut efformari potuisset: & vlteriùs, effectum, & efformatum est præter legem communem; & præter solitum naturæ ordinem, & cursum omnino: quæ omnia satis, superque patent ex dictis;& ex dicendis patebunt etiam magis. Sed, quæ fiunt, & diuina virtute, & præter legem communem, & solitum naturæ ordinem, & cursum, verè, & propriè Miracula sunt; vt constat ex ijs, quæ, suo loco, de Miraculis in communi diximus; ergo, &c.

72 Insurgit hîc scrupulus non contemnendus. Impotentia in Angelo prædicto, qua, diximus, efficere Corpus lucidum, de quo currit sermo, nisi illuminante, alloquente, ac iubente Virgine Deipara, atque ita ipso Deo, illum non potuisse; fuit, non quidem naturalis, sed voluntaria. Quia potuit profectò, ex vi naturæ suæ, illud efficere: sed, si non effecit absque diuino iussu, hoc ideo fuit; quia sunt Angeli diuinæ legi, ac voluntati obedientissimi, vt Quæstione præcedente ostendebatur: & solitus naturæ cursus, & ordo diuina sanè lex, & voluntas est; iuxta illud Prouerbiorum 8. *Quando certa lege, & gyro vallabat abyssos; quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum; quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, &c. Obedientia vero, cùm sit moralis virtus; ad voluntatem, non ad naturam spectat, vt est clarum. Quare ex voluntate, non ex natura processit prædicta impotentia. Atque adeò, præter solitum voluntatis, non naturæ ordinem, effectum fuisse dictum Corpus; dicendum est. Non ergo Miraculum fuit eius effectio.

73 Respondetur tamen: quòd, si diuinæ legi obedientissimi Angeli non essent, vtique peccarent. *Peccatum* enim *est prauaricatio legis diuinæ, & cælestium inobedientia mandatorum*, ex Sancto Ambrosio, libro, De Paradiso, cap. 8. At verò: Angeli Beati naturaliter, non voluntariè, sunt impeccabiles: quia naturaliter, non voluntariè, voluntas eorum adhæret bono, in quantùm est bonum, hoc est, ipsi Deo, quem vident esse ipsam essentiam bonitatis; cùm in bonum voluntas naturaliter ordinetur. Sic ex Sancto Thoma, 1. p. q. 62. a. 8. c. & ad 2. & ex Sãcto Augustino, lib. 2. super Genesim ad litteram, cap. 7. tomo 3. Vnde Angelorum impotentia, ad non obediendum diuinæ legi, & voluntati; est naturalis, & non voluntaria. Et sic: impotentia in prædicto Angelo, qua non potuit, nisi illuminante, alloquente, ac iubente Virgine Deipara, atque adeò ipso Deo, Corpus illud efficere; fuit naturalis, & non voluntaria. Quocirca non sequitur: quòd, præter solitum voluntatis, non naturæ ordinem, illud ipsum fuerit efformatum; sed totum contrarium. Et inde fit, vt iam resolutis nihil obstet argumentum.

§. VIII.

Respondetur quartæ Quæstiunculæ, qua quærebatur: In quonam gradu Miraculorum sit ponenda nostri lucidi Corporis efformatio.

OPortet autem, hunc Paragraphum distinguere; sicut in alijs iam factum est supra: quæ sanè distinctio triplex erit.

DISTINCTIO PRIMA.

Primò ponitur Quæstiunculæ Solutio. Tum declaratur, & ostenditur Solutionis prima pars. Demum infertur ex declaratione, sed breuissimè; Quis gradus assignari debeat Miraculo quoque Lacrymarum, respectu Angelicæ naturæ; quod supra fuit in hunc locum reseruatum.

74 CEterùm: cùm ex dictis, maximè in probatione proximè positæ Conclusionis, appareat satis clarè; quòd prædictus Angelus efformauerit illud Corpus, partim sua naturali virtute, partim supra facultatem suæ naturalis virtutis; quatenus, ad ipsum efformandum, non satis fuit ipsius Angeli naturalis virtus, sed necessariò requisitum est etiam imperium, atque adeò virtus Dei; & cùm ex alia parte, præter omnem solitum naturæ corporalis, vel Angelis inferioris ordinem, saltem quò ad efficiendi modum, omnino, ex supradictis, efformatum sit; hinc sanè aperitur aditus, ad resoluendum: Quisnam gradus, inter Miracula, sit assignandus Miraculosæ huiusmodi efformationi.

Dicitur ergo: quòd, Respectu eiusdem Angeli; tale Miraculum ex aliqua parte ponendum est inter Miracula supremi gradus: respectu verò naturæ corporalis, seu Angelis inferioris; ponendum est, inter Miracula infimi gradus, absolutè.

75 Declaratur, & ostenditur prima pars. Supremum inter Miracula gradum tenent illa (quemadmodum ex Sancto Thoma prænotauimus, in Præfatione primæ Partis) quæ facultatem excedunt naturæ, quò ad substantiam

facti:

facti: hoc est, quorum facti substantia non potest effici ab agente aliquo naturali sua sola facultate, vel virtute; sítque præter hæc insolita. Iam verò: id, quod est *effectum esse* prædicti lucidi Corporis, tanquam substantia facti Miraculi talis; potuit equidem, secundùm aliquam partem, à naturali facultate, vel virtute prædicti Angeli procedere: sed tamen non totaliter. Est enim illa facultas, aut virtus actus quidam naturalis primus incompletus: qui ad hoc, vt exeat in actum secundum, & operationem; requirit suum complementum: non solùm generale, quod est diuina motio; verùm etiam speciale, quod est diuina illuminatio, & diuinum imperium, seu diuina virtus quædam specialis, intento effectui proportionata: qua de re videri potest Sanctus Thomas, tum alibi, tum præcipuè 3. Contra Gentes, cap. *66.* ratione 7. & De Potent. q. 3. a. 7. ad 7. Quare: vt haberet, vnde totaliter procederet; necesse fuit: vt, cùm per se non sufficeret ad hoc dicta naturalis facultas, aut virtus; compleretur hæc eadem naturalis facultas, aut virtus, non solùm per generalem diuinam motionem (id quod requiritur in quacunque operatione cuiuscunque creaturæ) sed etiam per diuinam illuminationem, imperium, & virtutem specialem: quæ, vna cum dicta naturali facultate, vel virtute, tali *effectum esse*, seu tali substantiæ facti esset adæquata. Id quòd requirebatur ex eo; vt dictus Angelus, per talem naturalem facultatem, seu virtutem ita completam, operando; non faceret contra legem communem, siue contra communem rerum naturalium ordinem, & cursum. Quod, quia sine tali complemento inobedientia fuisset (vt supra dictum est) tanquam Beatus facere, ex ipsamet natura Beati; omnino non poterat. Quatenus igitur id, quod est *effectum esse*, siue substantia facti Miraculi talis, ita facultatem, vel virtutem naturalem excessit Angeli; vt opus

fuerit

fuerit illuminatione, imperio, & virtute diuina, tanquam facultatis, vel virtutis naturalis complemento, ad hoc, vt procederet ad esse; eatenus Miraculum ponendum est inter Miracula supremi gradus: vtpote, secundùm hoc facultatem excedens naturæ; quò ad substantiam facti. Et sic, declaratum, atque ostensum remanet; quare hoc Miraculum ponendum sit, secundùm aliquam partem, inter Miracula primi gradus.

76 Et hinc patet: idem quoque dicendum esse de Miraculo Lacrymarum, in ordine ad eandem naturam Angelicam; quod huc supra consultò reseruauimus.

DISTINCTIO SECVNDA.

Proponuntur, & soluuntur tres Difficultates: prima circa illud, quod aditum aperuit, ad resoluendum, quod est resolutum in proxima Distinctione; ceteræ circa idem resolutum.

ORiuntur ex dictis quædam Difficultates non prætermittendæ.

77 Prima. Si verum est, quòd *effectum esse*, siue substantia facti prædicti Miraculi processit, non totaliter à facultate, vel virtute naturali dicti Angeli, sed partim ab illa, & partim ab illuminatione, imperio, & virtute Dei; ergo causa secunda, qualis fuit prædicta facultas, vel virtus naturalis, & causa prima, qualis fuit prædicta illuminatio; non fuerunt, vnaquæque per se, causæ totales huiusmodi effectus: sed partiales. Hoc autem est inconueniens: quia concedunt omnes, causam, tam primam, quàm secundam esse, vnamquanque per se, in suo genere,

 cau-

causam totalem sui effectus; & effectum totaliter ab vnaquaque illarum procedere: à prima, scilicet, in genere causæ primæ, à secunda, in genere causæ secundæ; vt patet de Sole, & homine, respectu generationis hominis: quod videri potest apud Aristotelem, & Peripateticos, 2. Physicorum, tex. 26. Ergo, & inconueniens est etiam illud, ex quo sequitur.

78 Respondetur. Quòd prædicta facultas, vel virtus naturalis dicti Angeli, & prædicta illuminatio, & imperium, vel virtus Dei non se habuerunt ad inuicem, tanquam causa secunda, & causa prima: sed, tanquam aliquid incompletum cum suo complemento: concurrendo, tam incõpletum, quàm cõplementum, ad constituendam, quasi partes, completam, ac totalem causam secundam, & sufficientem, per modum actus primi, ad exeundum ad actum secundum, & operationem; & suo effectui totaliter proportionatam, seu meliùs, adæquatam. Et hæc est causa: quare diximus, *effectum esse*, siue substantiam facti prædicti Miraculi non processisse totaliter à facultate, seu virtute naturali dicti Angeli; sed partim ab illa, & partim ab illuminatione, & imperio, vel virtute Dei. Causa autem prima huius effectus fuit ipse Deus: non quatenus illuminauit, imperauit, ac dictam virtutem tribuit (quia complementum, quod sic dedit, à solo ipso Deo processit) sed quatenus ab ipso, per simultaneum concursum, processit illa met effectio, siue efformatio Corporis lucidi; quæ processit in genere causæ secundæ à facultate, vel virtute dicti Angeli; per illuminationem, imperium, & virtutem Dei (prout dixi) completa. Et his de rebus videri potest Didacus Aluarez, De auxilijs diuinæ gratiæ, lib. 3. disp. 18. & 19. per totas.

80 Secunda. Si hoc Miraculum, secundùm aliquam partem tantùm, ponendum est inter Miracula supremi gra-

dus, ideſt, quatenus tantùm requiſiuit complementum à diuina virtute, qua parte excedebat naturalem facultatem, & virtutem ipſius Angeli; ergo aſſignãdum eſt, quem locum teneat, inter Miracula, ſecundùm aliam partem; qua virtutem, & facultatem naturalem Angeli non excedebat.

81 Reſpondetur. Quòd ſecundùm illam partem, qua virtutem, & facultatem naturalem Angeli ſubſtantia facti, ſiue *effectum eſſe* huius Miraculi non exceſſit; de ſe nullum locum tenet inter Miracula. Cùm, licèt fuerit præter ordinem naturæ inferioris Angelis, imò, & ſupra talis naturæ facultatem; non tamen fuit ſupra facultatem, & præter ordinem totius naturæ creatæ, ex quo aliquid dicitur abſolutè, eſſe Miraculum. Atque hoc ſibi voluit Sanctus Thomas, tum 1. p. q. 110. a. 4. tum q. 6. De Potent. a. 3. vbi docuit, Angelum non poſſe facere Miracula propriè dicta, & abſolutè, ſeu ſimpliciter. Sed, quò ad nos, tenet (ſecundùm eandem partem) inter Miracula, gradum infimum: ideſt, inter illa poni debet; quæ facultatem excedunt naturæ, quò ad modum efficiendi; quod infra patebit. Dicitur nihilominus huiuſmodi facti ſubſtantia, ſiue tale *factum eſſe*, ſimpliciter, & abſolutè Miraculũ; quia (quod habet idem Sanctus Thomas, ſuper cap. 1. ad Coloſſen. lect. 4. littera E) *Vnumquodque denominatur ſolùm ab eo, quod illi conuenit eſſentialiter*: & (ex eodem, tum alibi, tum 1. p. q. 79. a. 1. ad 1. & ex alijs communiter) *Omnis denominatio fit à nobiliori*. Cùm autem, factum eſſe virtute diuina, eſſentialiter conueniat huic ſubſtantiæ facti, ſiue dicamus, huic *effectum eſſe*; quia, ſi definiatur, dicendum eſt; Eſſe aliquid, per illuminationem, imperium, & virtutem diuinam effectum ab Angelo, nec ſola virtute ſua naturali; & nobilius incomparabiliter ſit, effectum eſſe virtute diuina, quàm virtute pro-

pria ipsius Angeli; & secundùm quod effectum est virtute diuina, & præter solitum naturæ ordinem, simpliciter, & absolutè miraculum sit; propterea: facti eadem substantia, vel idem *effectum esse*; ab eo, quòd effectum est virtute diuina, quod sibi essentialiter conuenit, & est nobilius, & secundùm quod est Miraculum simpliciter, & absolutè; denominari debet simpliciter etiam & absolutè Miraculum: tametsi secundùm se, ex vna parte, Miraculum nullum sit; vt est dictum.

82 Tertia. Si ex eo, quòd effectio prædicti Corporis lucidi requisiuit illuminationem, imperium, & virtutem diuinam præter virtutem naturalem Angeli, ponitur inter Miracula primi gradus; ergo etiam, quæ fiunt à Dæmonibus præter solitum cursum, & facultatem naturæ corporalis, vel Angelis inferioris; erunt ponenda inter eiusdem gradus Miracula: quia etiam illa requirunt, vltra virtutem naturalem Dæmonum, diuinam permissionem, vt supra diximus, Quæstione præcedente. Sed huiusmodi facta per Dæmones nullum vllo modo secundùm se locum tenent in Miraculis, vt item ibi ex Sancto Thoma dictum est; ergo, &c.

83 Respondetur. Quòd, inter illuminationem, imperium, & virtutem Dei ex vna parte, ac permissionem eiusdem ex altera; disparitas est, ac differentia non exigua. Siquidem imperium est positiuum aliquid: inductio, scilicet, necessaria, siue dicas, modo suo necessitans, ad operandum: Sanctus Thomas, 1. p. quæst. 19. art. 12. in corpore. Permissio verò negatiuum, seu priuatiuum aliquid est. Vnde (ex eodem Sancto Thoma, in Supplemento, q. 67. a. 3. c.) ponuntur quatuor modi permissionis, quorum singuli, in priuatione quadam, consistunt; vt ex eorum descriptione singulorum clarissimè constat. *Primus* enim *est*, vt ait, *per priuationem praceptionis*: *secundus*, *per*

per priuationem prohibitionis : tertius , per priuationem cohibitionis : quartus , per priuationem punitionis. Imperium ergo Dei posuit in virtute, siue super virtute naturali Angeli, in ordine ad effectionem dicti lucidi Corporis; inductionem necessitantem, vti supra, ad illud efficiẽdum: & sic talem virtutem naturalem compleuit, per modum actus primi sufficientis, ad exeundum in actum secundum, & operationem, vel effectionem iam dictam. Et, cùm hoc imperium fuerit ipsius Dei, atque insolitum, nẽpe, præter communem legem, & solitum rerum naturalium cursum; idcirco, quæ inde processit effectio, verum, ac proprium fuit Miraculum. Permissio autem Dei, qua Dæmones aliquid interdum operari permittit præter communem legem, & solitum naturæ corporalis cursum; super virtute naturali Dæmonum eorundum, in ordine ad efficiendum illud ipsum, nihil omnino ponit: sed est solùm priuatio, seu negatio quædam præceptionis, vel prohibitionis, vel cohibitionis; ne sic efficiant, aut operentur. Ac proinde: cùm tota effectio, aut operatio illa, præter communem legem, & solitum cursum naturæ inferioris, à Deo Dæmonibus permissa, procedat à sola virtute naturali ipsorum Dæmonum; talis effectio, siue operatio, secundùm se, nullum est Miraculum. Necessitas porrò, ponendi super virtute naturali Angeli boni imperium Dei complens, ac necessitans, vt dixi, non autem super virtute naturali Dæmonum; pendet ab obedientia bonorum Angelorum, & inobedientia malorum; de qua supra dictum est. Requiritur quidem aliquod complementum virtutis naturalis, etiam Dæmonum; quo compleatur, per modum actus primi sufficientis, ad exeundum in actum secũdum, & operationem: sed hoc complementum est diuina motio generalis, requisita ad quamcunque creaturæ cuiuscunque operationem: & propterea, cùm sit omnino soli-

solita; non potest vllo modo aliquod arguere Miraculum.

DISTINCTIO TERTIA.

Declaratur, & ostenditur pars altera Solutionis, in prima Distinctione supra posita.

84 SEd iam declaranda est etiam, atque ostendenda pars altera Solutionis, qua responsum est quartæ Quæstiunculæ superiùs; & breuissimè. Igitur (vt à principio cum Sancto Thoma prænotauimus) illa gradum infimum inter Miracula possident; quæ naturæ facultatem excedunt, quantùm ad modum, & ordinem faciendi duntaxat. Natura verò, quæ corporalis est, & Angelis inferior; potest quidem sua solita virtute, Corpus hoc, aut illud lucidum efficere: & potest hoc ipsum in vaporibus cum exhalationibus admistis, in subliméque ascendentibus, aut prope terram existentibus efficere: quorum duorum, ad substantiam facti pertinet primum; secundum autem ad illud, in quo fit. Efficere verò Corpus lucidum, quod luceat tanta luce, quanta luxit Corpus illud, quod sua luce perstrinxit oculos hostium, vt in superioribus est visum; nulla sua virtute vnquam potest. Sed lucere tanta luce pertinet ad modum. Idem enim est dicere, lucere tanta luce; quam lucere tam lucidè: & modus, qui est determinatio adiacens rei; si res per verbum significetur, fit per adiectionem aduerbij, quod determinat verbum; vt docet idem Sanctus Thomas, Opusculo 40.

49 Item. Natura corporalis, & Angelis inferior potest

test quidem (vt, quod iam dixi, repetam) efficere corpora lucida, & in vaporibus cum exhalationibus admistis: sed cum consueto processu naturæ: ita vt, vi Solarium radiorum calefacta, v. g. terra, vapores cum exhalationibus emittantur; quæ vi caloris eiusdem postmodum eleuentur, ac disponantur; & demum, per suas debitas, ac proportionatas causas, accendantur; quemadmodum aliàs explicuimus. Quæ sanè omnia successiuè fiunt, & in tempore; non autem statim, ac subitò. Corpus autem lucidum, de quo differimus: cùm ab Angelo fuerit effectum, qui ex supradictis celerrimè operatur, & imperceptibili tempore; statim proinde, ac subitò effectum esse, dicendum est. Et id pariter ad modum pertinet: quin etiam est ipsemet modus, in quo Sanctus Thomas exemplificat; vbi, vt suo loco vidimus, de gradibus loquitur Miraculorum.

Igitur: si effectio prædicti lucidi Corporis non excessit facultatem naturæ corporalis; & inferioris, quò ad substantiam facti, quia hæc sua virtute Corpora lucida potest efficere; nec quò ad illud, in quo facta est, quia eadem natura corporalis, & inferior Corpora lucida efficere potest in vaporibus, & exhalationibus; excessit certè, quò ad modum, & ordinem faciendi: quia natura corporalis, & inferior Corpora lucida, quæ luceant tanta luce, quæque fiant tam subitò, ac statim, efficere sua solita virtute non potest. Atque hinc apparet; quare Miraculum præsens, respectu naturæ corporalis, & inferioris, inter infimi gradus Miracula collocandum sit. Et hæc sit clausula primæ sectionis.

SECTIO SECVNDA.

Examinatur percussio oculorum hostium per Ignitos Radios; vnde factum est, ne possent videre Pinnenses propriæ Patriæ defensores.

1 QVòd huiusmodi Radij recti, & non reflexi è Corpore lucido procedentes, itidem recti, & non reflexi percusserint oculos hostium; constat manifestè, tum ex narratione ipsa Mastini, & in Procemialibus relata, & supra sæpe repetita, & mox iterum repetenda; tum ex dictis etiam, Sectione præcedente.

Quare, videndum restat in præsentia illud vnum: An, videlicet, effectus percussionis Ignitorum Radiorum, perstrictio, nimirum, & obfuscatio illa oculorum hostium, ex qua illorum actualis visio remansit impedita; fuerit Miraculum.

Potuit igitur (vt breuiter, & immediatè dubium resoluamus) talis perstrictio, & obfuscatio dupliciter accidere: paulatim, scilicet, vel successiuè; & subito, vel statim.

Si primo modo accidisset; ea Miraculum fuisse, dici vtique non posset. Positis enim validissimis Radijs oculos aliquorum percutientibus; oculorum perstrictio, & obfuscatio, quæ paulatim, vel successiuè contingat; omnino sequitur naturaliter. Quod patet, si quis, exempli gratia, Solare corpus velit inspicere. Hic nanque, primò incipit ægre cernere, & cum difficultate: deinde verò paulatim, & successiuè obfuscatur adeò; vt postea nihil penitus cernere valeat. Et, cùm hæc sint prorsus naturalia; Vegetius

Digitized by Google

getius etiam monitum dabat exercituum Ductoribus, de quo in superioribus meminimus.

Si autem accidisset secundo modo; pro Miraculo vero, & proprio sanè ponenda esset. Etenim : quæ successiuè, & paulatim nata sunt fieri; si statim, & subitò fiunt, excedunt profectò in hoc naturæ facultatem: vt patet ex ijs, quæ paulò ante in fine Sectionis præcedentis dicta sunt; & quæ in huius primæ Partis Præfatione de Miraculis in genere præmisimus. Vnde, & veram quoque, & propriam habere Miraculi rationem; ex ijsdem dicendæ sunt.

2 Iam verò: percussio, atque obfuscatio ista oculorum hostium, de qua loquimur; primo quidem modo non accidit: sed secundo. Id quod non obscurè insinuant ipsius verba Mastini, dum dicit.

Tu, Pia, Ignitis oculos furentum
Percutis dulci Radijs domo pro
Quo minùs mortem cupidos obire,
Cernere possent.
Castra, quod Mirum patuit, per ipsa;
Ignibus visis: inimica testis
Est fides: flammas rutilare, Pinnis
Vidit ab altis.
Inscius tanti populus fauoris,
Tunc minùs cessat iaculis, cadenti ac
Imbre telorum, assiduis & hostem
Pellere bombis.
Is cadit læsus lapide, &c.

Vbi duo potissimùm notanda sunt: illud, nempe, *minùs cernere possent*; & illud aliud, *tunc*. Primum negat, vt pater, omnem cernendi actum, saltem secundum: non autem asserit, actum eundem infirmatum; sicuti, si dixisset Mastinus; *agrè cernere possent*. Secundum verò tempo-

ri

ri respondet, quo Radij percusserunt ipsorum hostium oculos; & cadit super cædem eorundem hostium, significatam per illa verba; *Is cadit*, &c. Quocirca: vti hoc modo dicendi, perinde fuit; ac si dixisset Mastinus: Tunc, cùm oculi hostium Radijs Ignitis percussi sunt, non cessante Pinnensi populo pellere illos, & iaculis, & bombis; ijdem hostes cæduntur. Cæduntur autem tunc: quia, cùm tunc oculi eorum Radijs Ignitis percussi essent; minùs cernere poterant: hoc est, omnem cernendi actum secundum habebant impeditum: propter quod impedimentum consequenter fiebat; vt aduersarios non possent offendere, nec se defendere ab illis.

3 Hinc desumitur tale argumentum. Tunc cæduntur hostes à Pinnensi populo; cùm oculi eorum Radijs Ignitis percussi sunt: & ideo cæduntur tunc, quia tunc omnem cernendi actum secundum habentes impeditum; cernere minùs poterant ipsos Pinnenses: & ob id, minùs etiam poterant eos offendere, & se ab illis defendere. Ergo, in eodem tunc (vt ita loquar) oculi hostium percussi sunt Ignitis Radijs; & ipsi minùs cernere poterant, & omnem cernendi actum secundum habebant impeditum; & eorum oculi perstricti, & obfuscati sunt: quæ tria sunt vnum, & idem. Sed oculorum per Ignitos Radios percussio statim, ac subitò facta est ex eo; quia luci, cùm sit qualitas naturalis primi corporis alterantis, nihil est contrarium. Ex Sancto Thoma, 1. p. q. 67. a. 3. ad secundum. Ergo, pariter statim, ac subitò facta est illa oculorum perstrictio, & obfuscatio; quæ contigit in eodem tunc. Atque adeò talis perstrictio, & obfuscatio verè, ac propriè fuit Miraculum: vtpote statim, ac subitò facta, quæ aliàs paulatim, ac successiuè nata est fieri; quemadmodum ostendit supra positum exemplum illius, qui velit Solare corpus inspicere.

Quod quidem Miraculum, quem gradum obtineat inter

ter Miracula; non eſt, cur alia declaratione, ac diſcurſu modò aperiatur. Conſtat enim ex iam dictis in fine Sectionis præcedentis, & in Præfatione huius primæ Partis; gradum tantùm infimum obtinere. Et hæc ſatis in Sectione breui, quæ proinde in Paragraphos non fuit diuidenda.

APPENDIX

Ad Sectionem vtranque ſecundæ huius Quæſtionis.

Afferuntur argumenta duo, ſimul confirmantia Miraculum vtrunque: tum, ſcilicet, efformationis lucidi Corporis; tum ſubitæ perſtrictionis oculorum hoſtium.

1 SIngula Miracula, quæ in hac ſecunda Quæſtione diſcuſſimus; tam, ſcilicet, Miraculum efformationis lucidi Corporis, quàm alterum ſubitæ perſtrictionis, & obfuſcationis oculorum hoſtium; in ſingulis è Sectionibus duabus eiuſdem Quæſtionis proprijs, peculiaribuſque argumentis comprobata ſufficienter eſſe; profectò videntur. Alia tamen argumenta duo, Miraculum vtrunque ſimul ampliùs confirmantia, & nullo prorſus modo prætermittenda; poſſunt in eum, qui ſequitur modum, explicari.

Primum argumentum eſt. Euentus, qui Miraculoſi ſunt; vt plurimùm antecedere, comitari, vel ſubſequi ſolent Mira quædam alia: quemadmodum accidit, poſtpoſitis ceteris, in Miraculo illo; quod, Sancto Philippo Nerio intercedente, atque apparente, Romæ, in Monaſterio

San-

Sanctorum Cosmæ, & Damiani, quod, vulgò, Sancti Cosmati appellant, anno 1644. die 5. Ianuarij, circa Monialem quandam nomine Mariam Electam Radiam; patratum est. Hæc enim (sicuti narrat Vbaldus Vbaldius Medicus, & in Romano Gymnasio Medicinæ Lector primarius, in Relatione de hac re) non solùm subitò reualuit ab hydrope inueterato, & incurabili, cuius tumor in ventre, maximè verò à sinistro latere tantus erat, vt illi pro puluino, ad Breuiarium, aliúmue librum, in psallendo, vel legendo, sustinendum deseruiret (& hoc est illud, in quo principale Miraculum consistit) sed antecessit prætereà iam demortuæ matris apparitio, qua Monialis eadem dignata est in somnis, & ex qua cognouit, se, Sancti Philippi precibus, omni morbo fore liberandam; éstque tandem comitata prænotio Miraculi huius, quam in eo Monasterio diuinitus duæ Moniales in somnis pariter tunc acceperunt, cùm re ipsa illud contigit. Atqui Mirum, saltem vnum antecessit efformationem lucidi Corporis, & obfuscationem oculorum hostium; qui sanè sunt euentus examinati à nobis in præsenti Quæstione: & Mirum hoc audiendum est ex Mastino per ipsius verba, quæ retulimus etiam supra; & sunt hæc:

Annuit Cælum, geminata Solis
Omnibus visa est facies, sereno
Aethere, &c.

Deinde subsecuta sunt eosdem euentus Mira illa non pauca; quæ in Procemialibus, cum apponerentur ad Mastinum Notulæ, fuerunt obseruata: cuiusmodi est: Neminem ex Pinnensibus in toto bellico tumultu cecidisse, aut, aliquid è suis rebus amisisse; item, Neminem, præter vnum, ob sui stultitiam ab hostibus fuisse captum; item, Ventis fuisse pulsos, & ignes & hostes; & similia. Ergo, quemadmodum euentus ab Vbaldio narratus, habens ante-

antecedentia, & comitantia Mira, inter Miracula ponitur; sic & ponendi sunt euentus examinati à nobis, habentes eadem antecedentia, & subsequentia.

2 Secundum argumentum est. Datis duobus euentibus perquamsimillimis: si vnus ex ijs Miraculosus dicitur; Miraculosus planè dici debet, & alter. Porrò autem (vt omittam, quæ faciunt ad hanc rem, non pauca; maximè verò, quod legitur apud Ioannem Petrum Maffæium, Historiarum Indicarum lib. 13. duabus fere paginis ante finem; & quod apud Messanam Vrbem, cùm à Ruperto Duce Calabriæ forti obsidione cingeretur, contigisse, scribit Angelus Giardina, & Bancheri, in suo Sacro Stagno, titulo; De Mariæ Protectione, circa finem; quod nuper editum Opus mihi factum est obuium, vbi hæc mea iam litteris consignaueram, & hac de re, si possit, à meo quoque Lectore, quæso, videatur, quemadmodum & Maffæij citatus locus) narrat Baronius in suis Annalibus euentum, qui perquamsimillimus in omnibus est illi euentui, quem narrat etiam Mastinus, in Carmine, De primo Incursu, quémque nos hactenus examinauimus; & euentus, quem narrat Baronius, dicitur præterea Miraculosus. Ergo, & Miraculosus dici etiam debet euentus, à Mastino enarratus.

Sed, vt similitudo inter euentus huiusmodi bene appareat: referre primùm libet euentum Baronij; deinde particulatim vtrunque conferre.

3 Ex Roberto igitur de Monte, in Appendice ad Sigebertum, Baronius, in Annalium tomo duodecimo, anno 1124. num. 9. sic habet.

***Sarraceni ob captum Balduinum** (Ierosolimorū Regem) **redditi audaciores, & mente excedentes, vndique euocati, ad quadraginta millia conglomerantur; vt Christianos à finibus suis exterminent: & apud Ascalon impedimenta sua** com-*

commendant. Christiani verò, exemplo Niniuitarum, vtrique sexui ieiunium indicunt; pueris etiam lactentibus, infantibus, vniuerso quoque pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur: procedunt Christiani cum militibus, & peditibus; vix ad tria millia æstimati. Principes in fronte gradiuntur: scilicet, Patriarcha, vexillo efferens Crucem Christi: Abbas Cluniacensis Pontius, præferens Lanceam transfixam in latere Christi: Episcopus Bethlehemita, ferens in pyxide Lac Sanctæ Mariæ Virginis. Sarraceni verò quaquauersum effusi, ex omni latere in orbem circumcingunt Christianos; ne quis possit euadere. Dum ita in procinctu hærent Christiani: vident, Deo sibi auspice, splendorem, scisso aere, super Paganos subitò cecidisse; sed non prosperum, verùm satis nociuum: quamuis hunc ipsi Sarraceni non viderunt. Illico enim, omnium virium robore eneruati, passim fugientes caduntur, non solùm à viris; sed etiam à pueris, & fœminis. Perierunt in bello septem millia: submersi sunt in aquis quinque millia. Omnes verò Christiani incolumes reuersi, summum, & dulce Epinicium reboant Deo in excelsis. Hucusque Baronius.

4 Transeamus porrò ad collationem. Sed patiare quæso, benigne Lector, æquo animo, cùm versus quosdam alibi à me relatos, hîc me rursus referentem aduerteris. Hoc est quippe (fateor) *Eandem*, vt aiunt, *cantilenam canere*. Nec semel hæc mea qualiacunque percurrens, hactenus adnotaueris, adnotabísque deinceps id genus Tautologiæ; quin & Macrologias etiam non paucas. At hîc Tautologiæ in causa est ipsa collatio: Quæ, cùm rem, vt bene nosti, conferat, hoc est, simul ponat cum re, vt vtriusque appareat similitudo; repetitionem dictorum videtur exigere. Tautologiarum ceterarum causas, & Macrologiarum, si candidè legeris, non criticè nimium; per te satis, ipse dignosces.

Dicit

Dicit itaque Baronius. Christianos Ierosolymitas, in arcto positos, ad Deum confugisse: eósque, qui Sacris præerant; per Sacra diuinam opem implorasse.

Similiter fecerunt, & Pinnenses: sic, vbi iam agmine denso furebant hostes in eorum mœnia; narrante Mastino.

Tota Res hinc publica, plebs, Senatus,
Et tremunt matres, pueri, ac puellæ,
Nec sibi quisquam potis est cauere,
Territus hoste.

Curritur Sacrum, Speciosa, Numen
Ad tuum, Custos Vigil ò popelli,
Oppidi, ac Virgo Veneranda, nostri
Sedula Tutrix.

Fundit hic supplex sua vota quisque,
Quisque profusis precibus fatigat,
Quem magis Diuum timuit; daturus
Grandia quisque.

Vocibus sed concita sola castis,
Diua tu, nostros miserata casus,
Aure non surda, gemitus trementum
Sumis ab alto, &c.

Et post pauca.

Mystica at postquam pius hic Sacerdos
Sacra, de ritu, taciens peregit,
Primus & plena Superis acerra
Imbuit Aras;

Rore poscentum veniam salubri
Sparsit: & cœtum, lacrymis madentem
Ora, signauit Cruce: & inquit, Eia
Impauidi este, &c.

Addit Baronius: splendorem, scisso aëre, super Paganos cecidisse.

Idem

Idem accidit, & hostibus Pinnensium, cantante Mastino;

Tu, Pia, Ignitis oculos furentum
Percutis dulci Radijs domo pro
Quominùs mortem cupidos obire,
Cernere possent.

Prosequitur Baronius: Sarracenos ob splendorem, qui super eos cecidit, viribus eneruatos; in fuga cæsos esse.

Hoc idem euenit, & Etruscis, Pinnensem Populum oppugnantibus. Cùm enim percussi Radijs Ignitis à Dei Genitrice in suis oculis, murorum defensores cernere non possent; narrare de ijs pergit Mastinus hoc modo.

Inscius tanti populus fauoris,
Tunc minùs cessat, iaculis, cadenti ac
Imbre telorum, assiduis & hostem
Pellere bombis.

Is cadit læsus lapide, hic sagitta,
Ille transfixo pectore, alter extis
Oppetit fusis, alius iacentem
Irruit armis.

Vidit hoc Ductor simulac, recedi
Iussit à pugna, &c.

Sarraceni partim in prælio perierunt, partim aquis submersi sunt, ex Baronio.

Quid autem acciderit Pinnensium hostibus, audiatur ex Mastino: qui, narrata illorum fuga, & accessu ad eum locum inter flumen Ariminum, & Riuum Cauum, qui locus, vulgò, dicitur *Planum de Cerbaria*, & ab ipso Mastino *Campus Acerbus*; ita canendo procedit.

Omnis hic miles positis parat se
Calceis, Ladan superare, nudo
Ac pede, spreta glacie, caballum
Bellorophontis.

Nec

Nec timet lædi niue, nec rapaci
Flumine, aut vepras metuit, malum omne
Sponte passurus, modò possit atram
Euadere mortem.
Interim, secto capite, hic supinus;
Alter, effosso in faciem cadit trux
Lumine; effusis alius stat extis;
Dum tepet ictus.
Is labat, fracto iugulo; suaque
Mole percussum enecat, ille cæsis
Corruit, vultu moriens minaci,
Crure, genuque.
O quot admissis scapulas per hastis,
Dum fugæ incumbunt, cecidere! quotque
Cursu anhelantes crepuere, apertis
Ilibus, ipso! &c.

Et in eiusdem Mastini Carmine, De secundo Incursu; Ductor ille, cui se visendam præbuit ipsa Deipara, fugæ suorum huic, & ijs, quæ per eam passi sunt, alludens; alloquendo illos, (quod & in Procemialibus quoque relatum est) hæc verba facit.

—— At nostis, tetro quot carcere trusi,
Actus Arimineis quotus & se secerit vndis.

Longè plures erant Sarraceni milites, quàm Christiani, vt habet Baronius.

Sic hostes Pinnensium, quàm ipsi Pinnenses, vt habet Mastinus; vnde canit.

Nempe, congressu, pedites fuerunt,
Quærat hic si quis numerum; ducenti,
Primo in, nostrates, equites duo ac de
Septuaginta.

Sensus est. Si quis hic quærat numerum; in primo congressu pedites nostrates fuerunt ducenti, & equites duo

N de

de septuaginta. Deinde sequitur.

Bis duo & qui millia, tot Duces tot
Martis insignes Proceres fugarunt,
Robur & cuncta validum iuuenta
Gentis Etrusca.

Sensus est. Qui (nostrates) fugarunt, & bis duo milia, tot Duces, tot Martis insignes Proceres, & validum robur cunctæ iuuentæ Gentis Etruscæ.

Viri, & fœminæ pugnarunt contra Sarracenos, narrante Baronio.

Viri pariter, & fœminæ Pinnenses pugnarunt contra suos hostes, narrante Mastino: qui proinde fatur:

Cerneres longo innumeras phalanges
Agmine, ob Rus Pinnicolarnm adustum, hos
Trusit in fætens graue tullianum
Fœmina, masue.

Omnes Christiani euaserunt incolumes è Sarracenorum manibus, vt scribit Baronius.

Et omnes Pinnenses, præter vnum, euaserunt incolumes è manibus hostium suorum, vt scribit Mastinus; en eius verba.

Quas tibi ò laudes meritis popellus,
Diua, pro tantis referet tuus, &c.

Et post pauca.

Cuius in tanto cecidit tumultu
Nullus, & bello minuit rem, opesue,
Captus & nemo, voluit nisi vnum ob
Stultus asellum.

Reuersi Christiani dulce Epinicium Deo cecinerunt, quemadmodum recenset Baronius.

Ita, & reuersi Pinnenses, quemadmodum recenset Mastinus aiens.

——————— *Gemuere lato*
Classica cantu.

Hic

Hic dies Fastis nitido lapillo
Nempe signandus, veneranda lux est,
Numen ò Trinum, tibi Sacra debet
Pinna quotannis.

Tandem illud vnum intereſt, inter euentum vtrunque: quòd ſplendorem viderunt Chriſtiani, non Sarraceni, apud Baronium; apud Maſtinum autem è contra, viderunt ipſi hoſtes non Pinnenſes in Arce Pinnenſi rutilantes Ignes. Repetitum eſt enim ex Maſtino ſæpe ſupra;

Castra quod Mirum patuit per ipsa,
Ignibus visis: inimica testis
Est fides: Flammas rutilare, Pinnis
Vidit ab altis.

Qua idcirco in re, illud eſt profectò pro Pinnenſibus compendij: quòd viſorum in Arce Pinnenſi, non quidem à Pinnenſibus, at ab eorum hoſtibus Ignium, & Flammarum rutilantium, teſtis eſt, non amica; ſed inimica fides. Cui fidei ab inimicis, aut ab hoſtibus factæ, quanta fides ab omnibus tribuenda ſit, effatum Sancti Ioannis Chryſoſtomi, homil. 91. in Matthæum, præclarè oſtendit; vbi, *Veritas*, inquit, *ab aduersarijs declarata illustris est*: & quod ad Pamachium, Epiſt. 61. ſcripſit Sanctus Hieronymus aiens; *Illud verum est testimonium, quod ab inimica voce profertur*: præter illa multa, quæ congerit ad hanc rèm Franciſcus de Mendoça, tomo 2. in lib. 1. Reg. cap. 6. num. 12. annot. 20. circa litteram, ſect. 3. per totam.

Et hactenus collatio.

5 Iam verò, certum eſt: quòd in euentu, qui refertur per Baronium, quíque Miraculoſus agnoſcitur (vt eſt videre apud Odoricum Rinaldium, in Tabula ſuorum Annalium, quos Etruſca lingua contraxit, & extraxit ex Annalibus Baronij, verbo (*Vittoria Miracolosa*) Miracu-

 lum

lum ſanè, & in illo ſplendore, qui, ſciſſo aëre, ſuper Paganos cecidit; & in illa ſubita roboris virium eneruatione conſiſtit. Hæc enim potiſſimùm naturæ facultatem excedunt, ac ſunt inſolita, vt patet; ac proinde, propter hæc, euentus agnoſcitur Miraculoſus.

Sed in euentu quoque, quem deſcribit Maſtinus, reperiuntur tranſcendentia facultatem, & conſuetudinem naturæ, vt fusè iam probatum eſt; dictiſque perquamſimillima, vt paulò ante conſpeximus: cuiuſmodi ſunt, Corporis lucidi, ſplendidóſque Radios in oculos hoſtium emittentis, efformatio; & ſubita per eos Radios oculorum hoſtium perſtrictio.

Ergo: quemadmodum, propter excedentia facultatem, & conſuetudinem naturæ in illo reperta, Miraculoſus agnoſcitur euentus relatus à Baronio; ſic, propter eadem, Miraculoſus agnoſcendus pariter eſt euentus deſcriptus à Maſtino. Atque hunc finem habeat ſecunda Quæſtio primæ Partis.



QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

An Liberatio Pinnæ Billorum ab armis hostilibus, per Apparitionem Dei Genitricis per propugnacula incedentis; fuerit Miraculum.

RESPONDETUR, dicendum: quòd, Quatuor potissimùm hîc veniunt omnino examinanda. Primum est, ipsa Dei Genitricis Apparitio. Secundum est, Persuasio Ducis, vel Vigilis illius, cui Apparitio fuit exhibita; qua Persuasione, suos efficaciter, & nullo contradicente, mouit, ad discedendum; id quod Apparitionis fuit effectus. Tertium est, Percussio plumbearum baccarum è sclopis explosarum, etiam pannis illæsis; quod accidit in ipso belli tumultu. Quæ omnia, in hac Liberatione, contigisse; per ipsam Historicam seriem, supra ex Mastino in Procemialibus relatam; euidenter apparet. Et Quartum erit, ipsamet Liberatio præcisè. Quare, tota Quæstio in Sectiones quatuor, iuxta quatuor examinanda, distribuetur.

SECTIO PRIMA.

Examinatur ipsa Dei Genitricis Apparitio.

PArtiemur Sectionem hanc in Paragraphos quatuor: qui multipliciter distinguentur.

§. I.

Supponuntur quædam de Apparitione in genere: Quid sit Apparitio, scilicet, & quotuplex.

1 SVpponendum est ante omnia: quòd Apparitio nihil aliud esse videtur, nisi ***Manifestatio quædam, qua se res illa secundùm suam naturam inuisibilis aliquando manifestet; in cuius potestate sit, videri, & non videri.***

Scio: Petrum Thyræum, in libro De Spirituum Apparitionibus, cap. 2. num. 1. consulendum, aliter Apparitionem definire: & Consaluum Durantum Episcopum Feretranum, in Sanctæ Birgittæ Reuelationes, tractatu, De Visionibus, cap. 1. multas definitiones Apparitionis congerere; nihil tamen determinando, quænam ex ipsis, vt ceteris melior, acceptanda sit: quemadmodum, nihil etiam hac de re determinat, capite 4. vbi refert iterum Apparitionis definitionem à Thyræo, & ab alijs traditam; additque aliam, quam tradit Suarez, De Statu Beat. Sanctorum, lib. 6. cap. 21. num. 7. vt refert.

2 Quam tamen definitionem nos attulimus, eam sanè bonam ipse reputo: quippe quæ declarat adæquatè ipsius Apparitionis essentiam vniuersam. Ea siquidem dicuntur, apparere nobis, quæ, cùm, tanquam occulta, priùs oculorum nostrorum effugerent obtutus; nunc sese, tanquam patentia, in oculis nostris constituunt. Hæc enim prorsus huius dictionis, vel verbi, *apparere*, vis est. Vnde Genebrardus explanans illud Psal. 16. ***Cum apparuerit gloria tua;*** scribit: hoc esse perinde, ac si Propheta dixisset; ***Cùm emerserit gloria tua, quæ hodie obscurata est:*** videlicet, cùm glo-

gloria tua, quæ nunc, in obscuro manens, conspici non potest; ad lucem, vt oculis innotescat intuentium; redierit. Quandoquidem, illud emergit, quod quasi de subter aquam, & de obscuro, atque occulto loco, vbi aspectu sentiri non poterat; in lucem redit, quæ cuncta propalat, ac manifestat. Videri possunt ij, qui de vi dictionum tractant. Quare, clarum relinquitur; Apparitionem in manifestatione quadam consistere: cùm, quod occultum est, manifestatione indigeat (vt docet Sanctus Tho. 3. p. q. 36. a. 5. ad 1.) &, quod occultum est (vt est visum) apparere dicatur. In manifestatione autem conuenit Apparitio cum multis: nimirum, cum publicatione secreti, cum publicatione delicti, & similibus; quæ manifestationes quidem sunt, non sunt verò Apparitiones. Igitur, manifestatio, in definitione allata, tenet locum generis. Sed è contra: differt Apparitio à publicatione secreti, à publicatione delicti, & similibus, in eo; quòd Apparitio sit eius rei de sui natura inuisibilis, in cuius est potestate, videri, & non videri; illa verò non sic. Et ideo, quod, per huiusmodi particulam, differentiam denotantem, significatur; in definitione posita, locum tenet differentiæ. Quapropter, concludendum est prorsus; definitionem hanc vtique bonam esse: cùm duo hæc, genus, videlicet, ac differentiam, tanquam essentiales rei definitæ partes, omnis bona definitio debeat explicare; prout ex Logicis est notum.

3 Definitionem hanc, quæ iam declarata, & comprobata est; insinuat Petrus Bergomensis, in Aurea Tabula, quam ad omnia Sancti Thomæ opera confecit; verbo, *Apparitio*, num. 1. vbi (nullum tamen exprimendo Sancti Thomæ locum, in codice præsertim, quem ego vidi) sic ait. *Apparere propriè est rei, secundùm naturam eius, inuisibilis; & habentis potestatem, vt videatur.* Quin, ibidem addit etiam, quænam sint illa, quæ, secun-

 dùm

dùm ſuam naturam inuiſibilia, poteſtatem tamen habent, vt videantur; ſiue, quænam ſint illa inuiſibilia de ſe, in quorum poteſtate eſt, videri, & non videri, quod eſt idem; dum ſubdit: ***Vt Deus, & Angeli.*** Sed Deo, & Angelis adiungendæ ſunt etiam Animæ glorificatæ: quæ poteſtatem ſaltem habent, vt ſuum corpus glorioſum, cui rurſum ſint coniunctæ; videatur, & non videatur: quemadmodum docet, & probat Sanctus Thomas, in Supplem. 3. p. q. 86. a. 3. c.

Apparere itaque poſſunt, tanquam res naturaliter inuiſibiles, & in quarum poteſtate tamen eſt, videri, & non videri; & Deus, & Angeli, ſiue boni ſiue mali, & Animæ glorificatæ, quantùm ſaltem ad glorificatum corpus, vt iam dixi.

4 Ceterùm: dupliciter in primis, & Deus, & Angeli, & Animæ dici poſſunt apparere. Primò, **αὐτοπροσώπως**, hoc eſt, perſonalitér: & ſecundò, **ἑτεροπροσώπως**, hoc eſt, imperſonaliter.

Atque hinc exoritur Apparitionis prima diuiſio: ſecundùm quam dicimus; Apparitionum aliam eſſe perſonalem, aliam imperſonalem.

Perſonalis Apparitio eſt, cùm, qui apparet, ipſemet, per ſe, immediatè, & in ſua propria perſona, ſe videndum exhibet.

Imperſonalis verò eſt, cùm eius, qui apparet, nihil ſe videndum exhibet; niſi exterior forma, & imago. Quibus de rebus conſuli poteſt citatus Petrus Thyræus, citato libro, De ſpirituum Apparitionibus, cap. 4. num. 24. cap. 11. num. 34. 35. & 37. & cap. 12. num. 7.

5 Deum perſonaliter, & imperſonaliter apparere poſſe; tradit idem Thyræus, lib. cit. cap. 4. nu. 17. & ſequent. vbi tamē (allatis primùm Apparitionibus Dei quibuſdam) hæc addit. *Certè nobis illorum probatur ſententia, qui om-*

nes

nes has Dei, de quibus egimus, Apparitiones Angelorum ministerio exhibitas esse, & perfectas, asserunt. Qua de re, videri etiam potest Consaluus Durantus, citato cap. 4.

Angelum autem, ego putarem, semper personaliter apparere; nisi cum *Satanas* (vt ait Apostolus, 2. ad Corinth. 11.) *transfigurat se in Angelum lucis.* Tunc enim Angeli lucis, & boni nihil exhibetur; nisi exterior figura, & imago: quemadmodum Satanæ, & Angeli mali adest persona, non figura exterior, & imago.

6 Quid verò dicendum sit de glorificatis Animabus (præter id, quod paulò ante tangebam) delibaui aliquid supra, quæst. 2. sect. 1. §. 6. num. 33. nonnullísque sequentibus deinceps; ac de ijs maximè, quæ suis rursum sunt corporibus coniunctæ. De alijs porrò: Petrus Thyræus, allegato capite 12. vbi, num. 9. dixisset, Animas, & Spiritus humanos elementa condensare, ex ijs efformare corpora, vsibus suis aptanda, vi sua non posse; neque sua corpora, quæ aliquando deposuerunt, valere in pristinam formam restituere, sed Angelorum opera fieri, quicquid in hoc negotio conspicitur; num. 10. subdit: *An verò, in iam Angelorum opera efformatis corporibus, ipsi Spiritus degant; fieri posse, non negamus. Factum quandoque, testatur B. Augustinus, exemplo Samuelis, & Moysi. An plerunque fiat; is scit, qui ad inferos ducit, & reducit: & (vt loquitur B. Augustinus) cui data est dyudicatio spirituum.*

Cui doctrinæ (tametsi nouerim, sentire nonnullos (vti legi potest apud Frãciscum de Mẽdoça, in Viridario, quod alibi citauimus, lib. 4. probl. 29.) posse Animas beatas vi sua corpora formare, quæ suis aptent vsibus) & ipse quoq; facilè subscribo: cum additionibus tamen ijs, vel explicationibus, quas in loco secundæ Quæstionis modò allegato iam apposui: nisi cum eodem Sancto Augustino, lib. De

cura

cura pro mortuis gerenda, cap. 16. tom. 4. fateri potiùs huiusce rei difficultatem humiliter velimus, ac dicere. *Res hac altior est, quàm, vt à me possit attingi, & abstrusior, quàm, vt à me valeat perscrutari: & ideo, quid horum duorum sit, an verò fortassis vtrunque, vt aliquando fiant, per ipsam præsentiam Martyrum* (loquitur enim de Sanctorum Martyrum Apparitionibus, in eo capite) *aliquando per Angelos suscipientes personam Martyrum; definire non audeo. Mallem à scientibus ista perquirere.* Sic ille.

7 Qui plura, de generis huius Apparitionibus, quin etiam, & de ceteris quibuscunque volet, quàm nos iam diximus, & deinceps dicturi simus; legere illum oportebit de ijs ex professo tractantes: vt maximè iam toties adductos Thyræum, & Durantum, adductis locis, eósque, quos allegant: non postponentes interim, & Sanctum Augustinum, allegato libro, & Sanctum Thomam, tum in 4. dist. 45. q. 1. a. 3. vel in suppl. 3. p. q. 69. a. 3. tum 1. p. q. 89. a. 8. ad 2. & alibi, & Sotum, item in 4. dist. eadem q. 1. a. 4. & Gregorium de Valentia, suorum Comment. tomo 1. disp. 4. q. 2. puncto 2. & tomo 4. disp. 11. q. 1. puncto 2. & Suarez, De Ang. lib. 6. cap. 20. & 21. & alios.

Nos, qui de Apparitionibus hîc specialem non instituimus tractatum; tangimus duntaxat, quæ ad rem nostram satis esse, iudicamus.

8 Proinde, præter iam dicta, sciendum est: Quòd ij, qui, apparendi potestatem habentes, apparent (siue appareant personaliter, siue impersonaliter) tripliciter apparere, seséque manifestare, consueuerunt: nimirum, vel corporaliter: vel spiritualiter, siue dicamus, per imaginationem: vel tandem intellectualiter. Idcirco (& hæc secunda sit Apparitionis diuisio) triplex etiam genus Apparitionum traditur: vt est videre, apud Sanctum Isidorum, lib. 7. Etymologiarum, quem affert Sanctus Tho-

mas,

mas, 2. 2. q. 174. a. 1. argum. 3. & apud eundem Sanctum Thomam, ibidem, & in Isaiæ caput primum, circa principium; à quibus ceteri similia didicerunt. Primum est earum, quæ secundùm oculos corporis, fiunt; & dicuntur Apparitiones corporales. Alterum est earum, quæ fiunt, secundùm spiritum imaginarium; & dicuntur spirituales Apparitiones, vel imaginariæ. Tertium demum est earum, quæ per intuitum fiunt mentis; & dicuntur Apparitiones intellectuales.

Sed notandum: quòd, tam Sanctus Isidorus, quàm Sanctus Thomas, citatis locis, non *Apparitionis* vtuntur termino; verùm *Visionis*. Eorum tamen doctrina, tam locum habet, si de Visione; quàm, si de Apparitione loquamur. Quandoquidem, Visio, & Apparitio realiter idem sunt; neque differunt, nisi tantùm, in modo: cùm Apparitio dicat relationem visibilis ad videntem; Visio autem, è contra, relationem videntis ad visibile. Sic Sanctus Thomas, loco citato, in Isaiam.

9 Rursum: Apparitio corporalis non est simplex: sed videtur subdiuidenda. Fit enim huiusmodi corporalis Apparitio, secundùm oculos corporis, vt dictum est. Cùm autem oculi corporis possint immutari dupliciter; videlicet, & ab extrinseco, sicuti accidit, quoties aliquod visibile, quod suis veris dimensionibus, hoc est, longitudine, latitudine, ac profunditate constet, oculis corporis opponitur; & ab intrinseco, sicuti accidit, quoties interiùs humores, ac spiritus oculorum commouentur (quæ doctrina est Sancti Thomæ, 1. p. q. 111. a. 4. in corpore) idcirco sequitur, quòd Apparitio corporalis duplex esse possit. Vna, secundùm primam oculorum immutationem; quæ fit ab extrinseco: Altera, cùm ita vehementer, per secundam immutationem, spiritus, & humores oculorum immutantur; vt aliquod corpus ab ipsis oculis percipi,

cipi, quod ſit extra imaginationem, & ipſos oculos, videatur. Hanc duplicem corporalem Apparitionem inſinuat Petrus Thyræus, lib. De Spirituum Apparitionibus, cap. 2. num. 6. & 15. & lib. 1. De diuinis Apparitionibus, cap. 11. num. 1. & 2. & videtur primam vocare veram, & realem; ſecundam verò phantaſticam.

10 Adhuc: aliquod viſibile poteſt oculis opponi, ab extrinſeco, multipliciter. Et inde fit, vt prima corporalis Apparitio ſit multiplex, etiam ipſa.

Viſibile igitur aliquod poteſt opponi oculis corporis, ab extrinſeco; & verè, ſeu realiter, & apparenter.

Verè quidem, ſeu realiter; ſi, quod opponitur, ſuis veris, & realibus dimenſionibus conſtet: hoc eſt, longitudine, latitudine, ac profunditate.

Apparenter autem, quadrupliciter. Primò, ſi, quod opponitur, appareat habere dictas dimenſiones, propter aliquam radiorum corporis alicuius lucidi reflexionem. Secundò, ſi ſic appareat, propter aliquam immutationem ipſius medij. Tertiò, ſi ſic appareat, propter aliquam imperceptibilitatem, ſiue ex diſtantia, ſiue ex alia cauſa prouenientem. Quartò, ſi ſic appareat, propter diuerſum ſitum eius corporis, vnde radij viſuales reflectuntur. De quibus omnibus videri poteſt aliquid, apud Conimbricenſes, in ſecundum lib. Ariſt. De Anima, cap. 6. q. 6. a. 1. & apud Caiet. 2. 2. q. 95. a. 3.

11 Atque ex his habemus quinque ſpecies Apparitionum corporalium. Et prima eſt, Apparitio corporalis vera. Secunda, Apparitio corporalis, apparens propter aliquam radiorum corporis alicuius lucidi reflexionem. Tertia, Apparitio corporalis, apparens propter aliquam immutationem medij. Quarta, Apparitio corporalis, apparens propter aliquam imperceptibilitatem. Et quinta, Apparitio corporalis, apparens propter diuerſum ſi-

tum

tum eius corporis, vnde radij visuales reflectuntur. Quibus, si addantur aliæ iam enumeratæ; nimirum, Apparitio corporalis phantastica; Apparitio spiritualis, vel imaginaria; Apparitio intellectualis (quæ, num possit, vel debeat subdiuidi, constabit ex dicendis) Apparitio impersonalis; ac tandem Apparitio personalis; resultant in vniuersum, species decem Apparitionum propriè dictarum: videlicet, earum, in quibus illa se inuisibilia manifestant; in quorum est potestate videri, & non videri. Nam, dantur etiam Apparitiones impropriè dictæ; in quibus, nempe, iam explicata se non manifestant: atque habent hæ cunctas enumeratas hucusque species; exceptis ijs, quæ, vel personales, vel impersonales appellantur; vt patebit infra: vbi addentur insuper earum propria vocabula.

§. II.

Ponuntur, ac probantur: quæ de modis, quibus fieri possunt Apparitionum singulæ species iam enumeratæ; certa sunt.

EST Paragraphus dispertiēdus in Distinctiones: quemadmodum semper facere solemus, cùm est opus.

DISTINCTIO PRIMA.

Ponitur, vt certum, ac probatur: Apparitiones propriè dictas; naturaliter, & vi naturæ inferioris, fieri non posse.

12 CErtum est itaq; primò: quòd, Apparitiones, quæ solæ sunt Apparitiones veræ, ac propriæ, nimirū, illæ,

in quibus ea se manifestant inuisibilia, in quorum est potestate videri, ac non videri, cuiusmodi sunt Deus, Angeli, & Animæ glorificatæ, vt dictum est; naturaliter, & vi naturæ inferioris, nequaquam fieri possunt; siue sint personales, siue sint impersonales.

Et ratio est.

13 Primò. Quia, Deus ad extra est agens voluntarium: Sanctus Thomas, 1. p. q. 19. a. 4. c. & q. 47. a. 1. ad 1. Pariter, agens voluntarium est Angelus: idem ibidem, q. 59. a. 3. c. Atque etiam Anima glorificata generis eiusdem est agens: idem, 3. p. q. 18. a. 4. ad 3. Et hæc ideo; quia, tam Deus, quàm Angeli, & Animæ sunt agentia per intellectum: & vbicunque est intellectus, ibi est voluntarium; idem, 1. p. q. cit. 19. a. 4. c. Ergo Apparitiones, quibus manifestant se, vel Deus, vel Angeli, vel Animæ glorificatæ; voluntariè fiunt. Ergo non fiunt naturaliter. Quia, cùm naturale sit determinatum ad vnum, & voluntarium ad vtrumlibet sit liberum (Sanctus Thomas, 1. 2. q. 10. a. 1. ad 1. & Caiet. ibi, vers. *In responsione ad primum*) quod naturaliter fit, contradistinguitur ab eo, quod fit voluntariè (Arist. 2. Physic. tex. 1. & tex. 45.) & è contra. Ac proinde: quod voluntariè fit; dici, quòd fiat naturaliter, nequaquam potest. Axioma siquidem illud, *Vnius inclusio alterius est exclusio*, maximè in contrarijs habeat locum; quæ mutuò se ab eodem expellunt.

14 Secundò. Quia, quæ naturaliter fiunt Apparitiones; ponendæ sunt (si loquamur præsertim de corporalibus, quæ oculis corporis opponuntur, ab extrinseco) inter ea, quæ naturaliter fiunt in elementis: quod patebit ex dicendis. Sed quæ naturaliter fiunt in elementis, pendent, veluti à causa (quemadmodum ex Aristotele, in Quæst. præcedenti, Sectione 1. §. 5. num. 22. dictum est) ab Astrorum coniunctione aliqua, & influxu. Summè verò im-

impium esset: illud ipsum asserere, quod impiè pariter; ac falsò censuerunt olim quidam Astrologi, inter quos Ptolemæus, Iulius Firmicus, Albumazar, & alij nonnulli Arabes, quin, & post illos Pomponatius, (vt est videre apud Delrium, Disquisitionum Magicarum lib. 2. q. 25. sect. 4.) quòd, nimirum, Dei Apparitiones, ac Spirituũ quorumcunque; ab Astrorum coniunctione aliqua, & influxu dependeant. Ergo, impium etiam esset, asserere; Apparitiones huiusmodi naturaliter fieri.

DISTINCTIO SECVNDA.

E contra, ponitur, vt certum: Apparitiones impropriè dictas, cuiuscunque speciei; naturaliter, & vi naturæ inferioris posse fieri: quod experientijs nonnullis demonstratur.

15 CErtum est secũdò; quòd Apparitiones corporales cuiuscunque speciei ex enumeratis, etiã phantasticæ; quin, & Apparitiones, quæ dicuntur spirituales, & imaginariæ; addo, & intellectuales; aliquo modo, fieri possunt naturaliter, & vi ipsius inferioris naturæ. Nulla tamen earum sic factarum est, aut dici verè, ac propriè potest Apparitio: (cùm in nulla earum sic factarum, neque personaliter, neque impersonaliter se illa inuisibilia manifestent; in quorum est potestate videri, & nõ videri:) sed est vnaquęq; Visum, siue Simulacrum, siue Idolum, siue Spectrũ, siue Phantasma quoddam, quod antea nõ videbatur. Vnde Apparitiones, hoc modo naturaliter factas, potiùs hîc iam allatis nominibus, vel similibus compellandas esse, putant nonnulli, quàm simpliciter Apparitiones; & rectè.

Hu-

Huiusmodi autem, quocunque nomine compellentur, naturaliter, & vi naturæ inferioris fieri posse, vt posuimus pro certo; declarare nunc, atque ostendere oportet.

16 Primò itaque. Fieri potest naturaliter Apparitio corporalis vera, seu realis.

Quia vapores aliqui, & exhalationes accensæ ita possunt admisceri, & affici ad inuicem in ipso aëre; vt diuersarum rerum, tum inanimatarum, tum animatarum, imò, & hominum etiam, figuram, ac speciem exhibeant: cùm hoc nihil prohibeat; concurrentibus ipsis Astris, & Cælo, & alijs causis inferioribus, siue per se, siue per accidens. Qua de re, videri potest Vicomercatus, in librum primum Meteororum Arist. comment. suo 32. & Delrius, Disquisit. Magic. lib. 2. q. 27. vbi afferunt plurima experimenta, & Historias: & illud maximè de Insulis fluctuantibus, de quo Plinius, Naturalium Histor. lib. 2. cap. 95. & ceteri multi; & aliud de duobus hircis, penes Ephæum montem conserere conspectis à Sylla, pridie quàm Campaniam ingrederetur; de quo, in ipso Sylla, Plutarchus. Quanquam difficilè admodum, omnia, quæ à Scriptoribus istis pro naturalibus Visis, ac Simulacris relata, seu enarrata sunt; naturaliter, vi natutæ inferioris tantùm, facta esse, existimarem: & præsertim, inter multa, quod scribunt de exercitibus in aëre visis, inter se conflictare, tanquam de re aliqua naturaliter, & vi naturæ inferioris effecta. Hæc tamen omnia (quando suis realibus dimensionibus constent) ad primam corporalium Apparitionum speciem pertinere, clarum est.

17 Secundò. Potest fieri naturaliter Apparitio corporalis, apparens propter aliquam radiorum corporis alicuius lucidi reflexionem.

Quia, sic fit Iris, Halo, seu Corona, & eius generis alia: in quibus apparent dimensiones, & colores ex eo; quòd

Sole,

Sole, seu Luna suis radijs percutiente nubem roridam, & translucidam; inde ad nostros oculos ijdem radij reflectuntur: ex Paulo Veneto, in summa Meteororum, cap. 20. & 22. Collegio Conimb. in lib. Meteor. Arist. tract. 5. cap. 2. & alijs.

18 Tertiò. Potest fieri naturaliter Apparitio corporalis, apparens propter aliquam immutationem ipsius medij.

Quia sic, qui conspiciunt matutinum Solem, rubrum illum, & grandioris magnitudinis apprehendunt; ob interiectos vapores in ipso medio, quod est aër. Colleg. Conimbricense, in secundum De Anima, loco supra citato.

Quartò. Potest fieri naturaliter Apparitio corporalis, apparens propter aliquam imperceptibilitatem.

Quia sic, qui quadratam turrim eminus vident, exempli gratia; rotundam ipsam existimant: cùm angulorum prominentiæ, ob iniustum interstitium, abscondantur. Idem Colleg. Conimb. ibidem.

Quintò. Potest fieri naturaliter Apparitio corporalis, apparens propter diuersum situm eius corporis; vnde radij visuales reflectuntur.

Quia sic, arbores, v. g. quæ sunt secundùm flumen, radios visuales in aquam immittentes, eos ad nos reflectunt ita; vt arbores ipsæ appareant inuersæ: vt ipsa quidem experientia patet. Et hoc sanè prouenit ex situ aquæ fluminis, respectu ipsarum arborum: cùm planum speculum præ se ferat aqua fluminis, quod speculum, secundùm horizontem, sit collocatum; ex situ autem speculi secundùm horizontem collocati fit multiplex reflexio radiorum visualium; & inde nascitur, vt, quæ apparent, spectentur inuersa. Videri possunt idem Colleg. Conimb. in secundum lib. De Anima, cap. 7. q. 8. a. 1. argumento tertio.

& a. 2. in solut. dicti argumenti; & Ioannes Baptista Porta, Magiæ naturalis lib. 17. cap. 2. & quæ dicentur inferiùs.

19 Sextò. Potest fieri naturaliter Apparitio corporalis phantastica.

Quia, clarum est, apud Medicos: illius morbi oculorum, quem Suffusionem, &, vulgò, Cataractam appellant, quasdam differentias assignari; quæ Apparitionem huiusmodi prorsus efficiunt. Si enim, inquiunt ipsi, in pupillæ oculi centro Suffusio, seu Cataracta constiterit exigua, partibus, quæ circa sunt, puris manentibus; ijs, qui taliter affecti sunt, omnia, veluti fenestras habere, apparent. Verùm, si diuulsa, nec in suis partibus continua fuerit illa Suffusio, quæ iuxta pupillam constiterit; ijs, qui sic se habent, tanquam culices quidam, seu muscæ, seu saltitantes formicæ foris obuersari, videntur. Quæ omnia, nullis tamen dimensionibus constant; & nihil penitus habent existentiæ. Legi potest Lanfrancus, in sua Practica, tract. 3. doctrina 3. cap. 1. Dominicus Leonius, Artis medendi sect. 1. lib. 4. cap. 33. & alij.

20 Septimò. Potest fieri naturaliter Apparitio spiritualis, vel imaginaria.

Quia, sic fiunt, & somnia, & quæcunque phreneticis, ceterísque similibus accidunt: quæ quidem, & nihil sunt aliud, nisi quædam Apparitiones imaginariæ; & infra declarabuntur fusiùs, ex Sancto Thoma, & ex alijs.

Octauò tandem. Potest fieri naturaliter Apparitio intellectualis.

Quia (quod habet idem Sanctus Thomas, in caput primum Isaiæ, circa principium) Visio quædam reperitur, ad quam lumen intellectus naturale sufficit; cuius generis est contemplatio inuisibilium, per principia rationis. Et hoc modo: per principia rationis cognoscimus, Deum esse; licèt illum oculis corporis, nec videamus, nec vide-

re

re poſcimus. Qua de re, Theologi, in Primo, alij quidem diſt. 2. alij verò diſt. 3. & ipſe Sanctus Thomas, cum ſuis expoſitoribus, 1. p. q. 2. a. 3. & 1. Contra Gentes, cap. 13. Quo modo, per principia rationis cognoſcimus pariter, ſpirituales ceteras eſſe, ac dari ſubſtantias, quales Angeli ſunt, & animæ rationales; quas tamen omnino non cernimus. Et eſt videndus Ariſtoteles, 2. De Anim. tex. 26. & 12. Metaphyſicæ, cap. 6. 7. & 8. Hæc autem Viſio non eſt aliud, niſi intellectualis Apparitio; cùm Viſio, & Apparitio idem ſint, ex ſupradictis.

DISTINCTIO TERTIA.

Statuitur, vt certum: Apparitiones impropriè dictas fieri etiam poſſe artificialiter: & de omnibus afferuntur experientiæ, vltima tamen excepta.

21 Certum eſt tertiò: quòd, Apparitiones huiuſmodi impropriæ, quas hactenus diximus, fieri poſſe naturaliter; poſſunt inſuper artificialiter fieri, neque illicitè, vt in pleriſque: primæ quidem quinque directè; duæ reliquæ indirectè: & vltima non modò indirectè; ſed (quod eſt maximè notandum) diſpoſitiuè inclinando tantùm, & non aliter.

De omnibus autem ſunt experientiæ non paucæ. Et Primò quidem: Architas Pythagoricus columbam ligneam ratione quadam, diſciplináque mechanica, effecit; quam volaſſe tradunt: de qua Aulus Gellius, Noctium Atticarum lib. 10. cap. 12. Leo autem Imperator auiculas aureas cantillantes efformauit; de quibus Glycas, & Manaſſes, in ſuis Annalibus, apud Delriũ, lib. 1. cap. 4.

Boëtius verò, (præter aues alias, non aureas, verùm æreas, & volantes, & cantillantes) ex eodem metallo, serpentes etiam sibilantes fabricatus est: de quibus Cassiodorus, Variarum libro primo, epistola 45. & ex illo idem Delrius, citato loco. Neque tandem defuerunt, aut desunt alij; qui arte pollentes, & ingenio; generis eius alia sint architectati, & architectentur.

Et hæc pertinent ad Apparitiones veras, & reales, artificialiter factas.

Secundò. Si quis aquam ex ore, leui quadam aspergine diffundat in aërem Soli obuersum; tunc apparent in illo aëre colores varij; quales in Arcu, vel in Iride refulgent. Sic Colleg. Conimbric. in libros Meteor. Aristot. tract. 5. cap. secundò. Tali verò aspergine arte facta, videmus etiam Irides in hortis Magnetum.

Et hoc pertinet ad Apparitionem corporalem, apparentem propter aliquam radiorum corporis alicuius lucidi reflexionem, artificialiter factam.

22 Tertiò. Conspicilia colorata faciunt apparere obiecta, quæ per illa conspiciuntur, eiusdem propemodum coloris, atque sunt illa metipsa. Ita Paulus Venetus, in summa Meteororum, cap. 21. & experientia quotidiana. Conspicilia verò diuersæ figuræ, vt triangularia, tubulata, & huiusmodi; faciunt apparere obiecta mutata multùm, vel in qualitate, vel in quantitate.

Porrò autem (quando de conspicilijs tubulatis hîc incidit sermo) addamus obiter hoc vnum, neque ab re: nẽpe: quòd, licèt eorum inuentor passim feratur, fuisse Galilæus; tamen amicissimus mihi P. Marius Bettinus è Soc. Iesu, vir in toto sanè terrarum orbe tanti nominis, quãtum illi apud litteratos omnes eius ingenij, multiplicísque doctrinæ monumenta multa, & varia conciliant; qui aliquando, in nostræ Congregationis Forosemproniensis Ædibus apud

nos

nos diuersatus dies aliquot, mihi proinde, vt hæc ederem ego quoque scripta in publicum, vehementer fuit auctor; in suis Apiarijs, apiario 8. progym. 2. prop. 11. ex Cysfato (vti refert Franciscus Fontana, vbi paulò infra, & ego ipse postmodum comperi) scribit, fuisse vsum huius conspicilij antiquis etiam Astronomis familiarem. Quisquis tamen illius fuerit inuentor: si quis interim admirandas Apparitiones, per talia conspicilia tubulata, quæ Tubos opticos etiam vocant, ac Telescopia, videre desiderat (præter ipsum Galilæum) Franciscum quoque Fontanam prædictum in suis nouis cælestium, terrestriúmque rerum Obseruationibus, quas postremò dedit in lucem; adire non grauetur. Vbi, per Microscopium eiusdem Auctoris, vt ipse ait, inuentum, præterea discet, in culicibus, pulicibus, formicis, muscis, ac similibus bestiolis, ceterísque minutulis, & per se, sub sensum oculorum ferè non cadentibus rebus; Apparitiones non minùs admirandas aduertere. De quibus (his iam exaratis) inueni etiam, eleganter, atque eruditè more suo differere memoratum P. Bettinum, apiario 6. progym. 1. capite 6. videndum.

Et hæc ad Apparitiones corporales apparentes pertinere, puto; quæ, per aliquam immutationem ipsius medij factam artificialiter, contingant.

23 Quartò. Ioculatores, & circulatores, agilitate corporis, & manuum præsertim, faciunt vbique, vt appareant multa; quæ re vera talia non sunt. Sic in Piceno quidam, nec plebeius homo, nec multos ante annos, cùm apud hospites diuertisset, & permitteret, ab ijs, officij gratia, sibi ocreas detrahi; efficiebat, vt appareret, cum ocreis alterutrum crus, etiam femori iunctum, sibi fuisse illo actu diuulsum. Sic, & alij videntur, sibi stylum aliquem immittere per nares; qui ex alterutro oculo tandem prodeat. Sic & alij faciunt passim alia similia, quæ, cùm cun-

ctis fora frequentantibus sint perquamnota; nihil est, cur enarrentur. Videri tamen potest (si harum rerum curiositas aliqua teneat quempiam) Ludouicus Viues, in Commentario ad cap. 16. libri decimi Sancti Augustini, De Ciuitate Dei.

Et hæc, existimo, pertinere ad Apparitiones corporales apparentes; artificialiter, per aliquam imperceptibilitatem, effectas.

24 Quintò. Si quis efficiat speculum conuexum, eóque vtatur; Idolum, siue Imago apparet vltra speculum: ita vt illud speculum videatur esse inter obiectum, & Idolum, siue Imaginem. Si quis autem efficiat speculum concauum, & iuxta eius concauitatem ponat obiectum; ipsum obiectum apparet maius, quàm sit: imò pili videntur quodammodo stramina: vbi verò obiectum distat à speculi concauitate; Idolum videtur citra speculum. Et generaliter, in speculis multùm concauis Idola videntur, diuerso modo se habere, quàm se habeant obiecta: scilicet, caput deorsum habẽtia, & sursum pedes. Quæ omnia tradit Paulus Venetus, in summa Meteor. cap. 21. & alij.

Sed ego, paucis ab hinc mensibus, operante Patre Mario Bettino, de quo supra, vidi Apparitionem inter ceteras per specula; quam hîc non adnotare, non possum. Locabat ille perpendiculariter cylindrum quendam ex chalybe, ad speculi modum leuigatum, in medio papyri cuiusdam explicatæ in plano; quam papyrum colores varij, casu, ignarorum iudicio, sed multa tamen re vera cum arte appositi, tingebant. Et hinc radijs visualibus in ipsum cylindrum emissis; apparebat in illo, tanquam in speculo, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ certi cuiusdam Cardinalis, cum habitu proprio, & propria vultus effigie; perpulchrum Idolum. Quod, cum admiratione magna, ingentique cum animi mei voluptate, sæpius conspexi.

25 Ars

25 Ars autem, qua colores appositi erant, est illa, quam Optici Mathematici Opticam Scenographicam appellant; & in qua maximè de arcanis deformationibus, ac reformationibus imaginum agitur: vt est videre apud eundem Patrem Bettinum, in suis iam citatis Apiarijs (in quæ post hæc scripta incidi) apiario quinto, progymnasmate primo, & secundi parte prima. Quo ex Opere huc etiam refero, tanquam huc pariter pertinens, quod, apiario 8. propositione 10. in corollario, scribit idem Auctor de Apparitione quadam alia, per hæc verba. *Suppono notum id spectrum*, inquit, *quod fit, cùm à Sole illuminati homines, per viam, aut per suppositam plateam reflectunt suum simulacrum, siue, vt aliqui volunt, ac vocant, species intentionales, quæ, per foramen minimum, ac rotundum lignea fenestra in obscurum vndequaque cubiculum ingressa, apparent inuersa, in opposito pariete, siue in alio plano perpendiculari*. Hæc ille; & quæ sic tradit, sum ego expertus.

Sed hæc pertinent omnia corporales ad Apparitiones, quæ artificialiter effectæ sint, propter diuersum situm eius corporis, vnde radij visuales reflectuntur; vt ipse opinor. Ex tali nanque diuerso situ multiplicatur reflexio radiorū visualium, qui præterea decussantur, hoc est, in formam, x, notæ numerariæ decem denotantis diducuntur; & inde fit Idolorum variatio: vt ex Porta, & ex P. Bettino itidem, locis citatis, & ex alijs addiscimus.

26 Sextò. Qui diu in Solem oculos intenderit, & celeriter auerterit aliò; primò ei cuncta videntur gilua: mox rubea: demúmque nigra; donec alteratio illa visus recedat. Sic refert ex Abenzoar, & ex Aristotele Delrius, Disquisitionum Magicarum lib. 2. q. 27. sect. 1. (apud quem, & alia multa similia legi possunt) ac testatur ipsa experientia.

Pertinet hoc ad Apparitiones corporales phantasticas, & factas artificialiter (vt ego sentio) sed indirectè.

Vnde, libet hîc adnotare aliquid: causam nempe, quamobrem, Apparitiones huius generis esse factas artificialiter indirectè; pronunciauerim. Quæ quidem causa est: Quoniam consistit ars in applicatione illa oculorum, ad conspiciendum Solem, vt per eam alterentur spiritus, & humores oculorum eorundem (applicatio nanq; omnis ad aliquod factibile, regulata secundùm rationem, spectat ad artem; ex Sancto Thoma, 2. 2. quæst. 47. a. 2. ad 3. & ex Caietano ibidem) quam alterationem postea consequitur; fieri tales Apparitiones. Atque hinc patet: artem primò, & directè causare in oculis alterationem, illorum spirituum, & humorum, qui sunt ibi; secundò autem, & indirectè, Apparitiones, quæ talium spirituum, & humorum alterationem consequuntur.

27 Septimò. Si de ebrietate sermo sit in esse entis, non in esse moris: potest aliquis illam procurare, siue in se ipso, siue in alio quouis; per sumptionem, vel applicationem, aut meri, aut alterius cuiusuis inebriantis, vel liquoris, vel odoris, vel suffimenti. Et hoc ipsum, ex dictis paulò ante, aliquod artis opus profectò est: nimirum, est applicatio quædam rei cuiuspiam inebriantis, ad efficiendam factibilem ebrietatem: & secundùm rationem prorsus regulata; cùm, etiam prorsus voluntaria supponatur. Ebrietas autem turbat phantasmata: cùm delirium causet. Arist. Problematum sect. 3. probl. 26.

Hinc fit: vt (tanquam ex operatione quadam artis) ex sũptione, vel applicatione meri, alteriúsq; rei similis, ebrietatem directè causantis; indirectè oriantur Apparitiones, non solùm corporales phãtasticæ, de quibus idem Arist. ibidem, probl. 9. sed Apparitiones etiam spirituales, vel imaginariæ, de quibus Plinius, lib. 14. Hist. cap. 22. & San-

Sanctus Ambrosius, libro de Elia, & Ieiunio, cap. 16.

Huc spectat somniorū etiam artificiosa procuratio: non illa superstitiosa quidem, de qua idem Plinius, lib. 28. cap. 8. sic ait, *Qualiter somnia, quæ velis, aut quibus velis, mittantur; pudet referre* (si enim virum Gentilem huiusmodi referre pudet, impium sanè viro Christiano erit, etiam de ijs cogitare) sed illa, quam experientia ipsa comprobat, ac manifestat: vt, exempli gratia, sumptio pulueris tabaci per nares ante cubitum; esus vespertinus lactucarum, & similia. Ex quibus indirectè fieri somnia, & consequenter imaginarias, vel spirituales Apparitiones; experienti cuicunque non est dubium.

Ad quas autem, & qualiter factas Apparitiones, pertineant hic explicata; iam satis dictum est, dum explicarentur, nec est opus, vt aperiatur vlteriùs.

28 Illud vnum addendum est: quod ideo dixi, *Si de ebrietate sermo sit in esse entis, non in esse moris*; quia, esto, quò ad actus entitatem procurari possit ebrietas, per meri, aliorúmque liquorum haustum, per odores, per suffimenta, & per huius generis multorum applicationem, quæ Medici narcotica, hoc est vim stupefactoriam habentia, nuncupant: quò tamen ad moralitatem actus; absolutè, ac simpliciter non potest: cùm ebrietatis procuratio taliter considerata, tanquam per se mala; simpliciter, & absolutè, sit illicita. Videndus inter ceteros est Leonardus Lessius, De Iustitia, & Iure, lib. 4. cap. 3. dubitatione 3. num. 15. Apud quem reperitur etiam notabilis doctrina, ibi, num. 13. vers. *Secundo, causa voluptatis*, & dubitatione sequente per totam, qua tolli valeat alia Difficultas: Num, videlicet, ebrietatis procuratio, quandoque permitti possit, ac sit licita, secundùm quid. Harum rerum curiosi adeant illum, eósque non pigebit.

Interim autem, ex his patet insuper: quare, in Propositio-

sitione, quam supra tertio loco pro certa posui, cuiúsque nunc explico experientias; addiderim, ***Neque illicitè, vt in plerisque***. Huc enim, sic dicendo, respexi.

DISTINCTIO QVARTA.

Ostenditur: quo modo intelligatur, fieri artificialiter intellectualis Apparitio.

29 OCtauò tandem. Clarum est: quòd, Apparitiones omnes, & singulæ, quas hucusque, tanquam artificialiter factas, posuimus; in sensitiuas vires aliquid imprimunt. Cùm autem sensitiuæ vires, veluti præambulæ, & ostensiuæ sensibilium specierum, vel phantasmatum, ex quibus omnis nostra cognitio nascitur, intellectus cognitioni deseruiant; hinc sequitur manifestè: quòd vires huiusmodi sensitiuæ, sensibiles species per dictas Apparitiones impressas in se habentes; mouent, ac dispositiuè inclinant intellectum, ad eas depurandas, & per consequens, ad intelligendum: in quo consistere videtur, aliquo modo, intellectualis Apparitio. Quæ (si ita fiat) videtur præterea dici posse, aliquo modo, artificialiter facta: cùm ortum habeat ab Apparitionibus alijs, artificialiter factis: verùm indirectè: quia dictæ Apparitiones arte factæ, directè imprimunt in sensitiuas vires tantùm: & insuper, dispositiuè inclinando: quia nullum corpus potest aliter in rem incorpoream, qualis est intellectus imprimere; sicuti docet Sanctus Thomas, 2. 2. q. 95. a. 5. in corpore. Videantur Conimb. in 2. lib. Arist. De Anima, cap. 7. q. 8. a. 1. & 2. & alij: maximè verò idem Sanctus Thomas, 1. p. q. 12. a. 13. c. & q. 84. a. 6. & 7. c. & 1. 2. q. 35. a. 2. ad 3. inter illos non prætereatur.

Et hæc esse videtur experientia quædam Apparitionis in-

intellectualis artificialiter factæ.

30 At verò, notandum: quòd, intellectualis Apparitio, quæ (prout habet S. Thomas in secundum caput Isaiæ, quem locum citauimus iam supra) circa inuisibilia solummodo, propriè versatur; duplex est. Prima contingit per quandam eleuationem intellectus, ad cognoscendum sine operatione vlla sensuum; nedum exteriorum, sed & interiorum etiam: qualiter in raptu fuit eleuatus Sāctus Apostolus Paulus, & Sanctus Moyses, 2. ad Corinth. 12. & Exodi 33. & Numeri 12. Quæ Apparitio, cùm animæ vnitæ corpori passibili, cuius est intelligere per conuersionem ad phantasmata, vt modo tangebamus, accommodata non sit; ideo raró admodum, & tantùm, ex singulari priuilegio, conceditur hominibus in præsenti vita. Secunda verò, licèt nullam sensibilem imaginem, sensibus, vel imaginationi obiectam admittat; necessariò tamen requirit aliqua phantasmata, vt humano modo fiat: cuiusmodi sunt illa, quæ à sensibili aliquo abstrahūtur. Et ita, Beatissimæ Virgini propositum fuit Incarnationis mysterium. Audito enim sensibili verbo Gabrielis Archangeli dicentis, *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur*, Lucæ 1. & ab illo verbo sensibili, sensibili etiam abstracto phantasmate; & per illud, in intellectu suo, excitata; diuina deinde virtute, ac diuino lumine interiùs eleuata, & adiuta; perfectissimè mysteriū ipsum Incarnationis, in eodem suo intellectu, concepit: quæ verè fuit secundæ speciei, quam declaramus, intellectualis Apparitio; nullam certè per se ipsam intellectæ, vel conceptæ rei sensibilem speciem, vel imaginem, sensibus, vel imaginationi obiectam, admittens: licèt, sine aliquo phantasmate à sensibili verbo abstracto, non fuerit. Hisce de rebus legatur Sanctus Thomas, 2. 2. q. 174. a. 4.

a. 4. & Caietanus ibi, & idem Sanctus Thomas, 3. p. q. 30. a. 3. & Suarez ibi, disput. 9. sect. 2. Ex quibus omnibus manifestè patet: intellectualem Apparitionem, tametsi primæ speciei non sit; semper tamen imaginem aliquam sensibilem, seu sensibile aliquod simulacrum eius rei, quæ per ipsam intelligitur, siue mente concipitur, excludere: esto, intellectualis Apparitio secundæ speciei non excludat aliquod phantasma, quod sit à sensu aliquo abstractum.

31 Idcirco, meliùs fortasse dicetur: si, pro intellectualis Apparitionis factæ per artem experientia, ponatur id; quod addere nunc placet. Magister quidam, prælegendo, discipulósque instruendo de Dei, Angelorum, Animæque rationalis existentia; cognitionem scientificam inuisibilium, vt est clarum, facit in intellectu discipuli. Tunc, illa cognitio scientifica, de Dei, Angelorum, & Animæ rationalis existentia, quædam Apparitio intellectualis est, ex supra dictis; cùm sit mentis intuitus, circa inuisibilia. Est quidem per artem facta huiusmodi Apparitio; quia, ex supra dictis, applicatio quælibet ad aliquod factibile, secundùm rationem regulata, spectat ad artem: & cùm docens applicet suas prælectiones, & instructiones, ad perficiendum intellectum discipuli cognitione scientifica; talis applicatio, regulata secundùm rationem, est ad aliquod factibile. Et bene dixi, ad aliquod factibile: quia ex S. Thoma, 2. 2. q. 181. a. 3. & Caietano ibi, docere est actus actiuæ vitæ, ac transiens in aliud: & ideo docens, docendo, propriè dicitur facere; idest, operari aliquid in exteriori materia: cùm facere nihil aliud propriè sit, quàm taliter operari; ex eodem S. Thoma, eadem 2. 2. q. 134. a. 2. c. Non interueniunt autem hîc intellectæ rei sensibiles aliquæ imagines, aut sensibilia aliqua simulacra: quia immaterialium substantiarum non possunt

esse

esse aliqua phantasmata: idem S. Thomas, 1. p. q. 88. a. 1. ad 5. Interueniunt tamen phantasmata multa, à sensibilibus verbis magistri docentis abstracta; quod patet ex dictis. Vnde concluditur: in hanc experientiam artificialiter factæ intellectualis Apparitionis, omnia requisita concurrere; quæ, ad intellectualem Apparitionem secundæ saltem speciei, paulò ante vidimus, per Sanctum Thomam, esse necessaria: quæ, tamen in primam experientiam supra positam, omnia certè non concurrebant; eo quòd ab ea, saltem intellectæ rei sensibiles imagines, & sensibilia simulacra non excluderentur: atque adeò, meliorem, vt aiebamus, hanc illa prorsus, ad rem nostram esse.

Verùm de experientijs Apparitionum, siue naturalium, siue artificialium hucusque dictum sit.

32 Circa quas experientias, poteram sanè speculari multa: & reddere præsertim rationem; cur singulas pertinere, dixerim ad singulas, vel naturalium, vel artificialium Apparitionum species: cur vnam potiùs ad vnam, quàm ad aliam: explicare diligentiùs, quænam singularum sint causæ: cur vna potiùs hoc modo, quàm alio fiat; & huius generis alia curiosa, & subtilia pertractare. Sed egi de his quasi obiter tantùm, & in ordine ad aliud; non, vt aiunt, ex professo, ac per se. Proinde, satis fuit ad meum institutum, tetigisse, quæ tetigi; prout infra, cùm applicabuntur ad intentum, patebit.



§. III.

§. III.

Ponuntur, quæ pro certis tenenda sunt circa specialem Apparitionem, quam hic examinamus: & pro certis posita probantur.

33 His tamen omnibus, quæ dixi nihil obstantibus; Certum est tandem quarto: quòd, Apparitio illa, quam ex instituto examinamus in præsentia; facta non fuit, neque naturaliter, idest, vi, & solito cursu naturæ inferioris, neque artificialiter, vllo ex prædictis modis: vel (& est idem omnino) quòd huiusmodi Apparito reduci non potest ad vllam speciem prædictarum Apparitionum, siue naturaliter, hoc est, vi, & solito naturæ inferioris cursu, siue artificialiter factarum. Hinc sequitur: quòd, fuerit Apparitio alicuius eorum inuisibilium, in potestate quorum est, videri, & non videri. Et quoniam dubitari posset, Cuiusnam ex hisce fuerit huiusmodi Apparitio (quandoquidem ex dictis iam supra, memoratam habent potestatem, tam boni, quàm mali quoque Spiritus, nam omnes intelliguntur Angelorum nomine) Assero: Fuisse ipsam Spiritus boni, non mali: ac proinde Virginis Beatissimæ, vt semper à Pinnensibus est creditum.

Hæc autem singula, vt intelligantur, esse vera; multa dicenda sunt: & ideo Paragraphum distinguere oportet.

DISTINCTIO PRIMA.

Proponuntur Prænotanda, vt singulorum hic pro certis positorum veritas dignoscatur.

34 Recolenda sunt igitur in primis, quæ circa specialem huiusmodi Apparitionem, supra in

Procœ-

Procœmialibus, ex Mastino retulimus: inter quæ, duodecim potissimum circunstantiæ, & cum ipsis præsertim terminis, quibus, in his explicandis, ipse Mastinus vtitur, notandæ sunt: quarum tres erunt, circa tempus Apparitionis: quinque, circa ipsum, quod apparuit: tres, circa illum, cui facta est Apparitio: & vna, circa Pinnenses: omnésque demum, ac singulæ disponentur ordinatim, hoc pacto.

Circunstantiæ, circa tempus Apparitionis.

Prima.	Tempus nocturnum.
Secunda.	Quarta noctis vigilia.
Tertia.	Nox antecedens diem vigesimum tertium Februarij mensis anni Christi 1522.

Circunstantiæ, circa ipsum, quod apparuit.

Prima.	Incessus ipsius per Propugnacula Pinnæ Billorum, & interpollatus, non continuus.
Secunda.	Amictus eiusdem niueus.
Tertia.	Filiolus de ipsius pectore lac sugens.
Quarta.	Chorus Angelorum ipsum antecedens.
Quinta.	Fulgor ipsius Apollineus noctis tenebras diruens.

Circunstantiæ, circa illum, cui facta est Apparitio.

Prima.	Vigil, seu Ductor vectus equo, Pinnam perlustrans.
Secunda.	Idem Vigil, seu Ductor toto passim vtens Argo.

Ter-

Tertia. Horror, Formido, ac Terror illi ex tali aſpectu illatus.

Circumſtantia, circa Pinnenſes.

Vnica. Pinnæ mœnium Cuſtodiæ, licèt peruigiles; & cuncti, nihil tale ſentientes. Nec plura.

35 Has autem omnes circumſtantias explicat diſtinctè Maſtinus, in Carmine. De ſecundo Incurſu: &

Primam, circa tempus Apparitionis, cùm dicit:

Noctis Apollineo tenebras fulgore ruente.

Secundam, cùm dicit:

Aſt Vigil, ad quartam, caſtris qui præfuit, horam.

Tertiam, cùm dicit:

Poſt Ianum, memoranda dies vigeſima ſurgit
Ecce ſecunda iterum.

Primam, circa illud, quod apparuit, cùm dicit:

Viſendam temet ſæpe offers, ———
Incedens ——— per Propugnacula.

Secundam, cùm dicit:

——— *Niueo* ——— *amictu.*

Tertiam, cùm dicit:

Virgineum ſugente tuo de pectore nectar
Filiolo.

Quartam, cùm dicit:

——— *Heroidum, vt par eſt, Chorus ante meabat.*

Quintam, cùm dicit:

Noctis Apollineo tenebras fulgore ruente.

Primam, circa illum, cui facta eſt Apparitio, cùm dicit:

Aſt Vigil, ad quartam caſtris qui præfuit horam,
Vectus equo, totum ———
Perluſtrat Caſtrum.

Secundam, cùm dicit:

Et

——— *Et toto passim vtitur Argo.*

Tertiam, cùm dicit:

Principis est illata, tuo ex, ò quanta, medullis
Formido, intuitu!

Vnicam tandem, circa Pinnenses, cùm dicit:

Te licèt, indignus veluti (Custodia quanquam
Peruigil obsessa seruaret mœnia) quisquam
Viderit haud alius.

Item cùm dicit,

Inscius at tanti populus metulenta fauoris
Corda timor quatiat pallens licet.

36 Per has igitur circunstantias (vel, scilicet, per singulas, vel per aliquas coniunctim) excluduntur, quasi per medios quosdam terminos, ab Apparitione, quam discutimus, Apparitiones illæ singulæ; quas diximus, naturaliter, & vi, solitóque cursu naturæ inferioris, & artificialiter etiam, effectas: quin, per aliquam per se solam, omnes effectæ artificialiter; ac demum per aliquam, item per se solam; id quod apparuit, fuisse Spiritum bonum, ac proinde Virginem Beatissimā, clarissimè demōstratur.

Singula porrò hæc, & vnaquæque, suo loco, ex dicendis deinceps manifestè constabunt.

DISTINCTIO SECVNDA.

Per iam propositos medios terminos, probatur primum; quod in principio huius Paragraphi positum est pro certo.

SEd, quia sermo longus erit; distinctio subdistinguenda est.

SVBDISTINCTIO PRIMA.

Ponuntur duæ probationes: quibus ab ea, de qua discurrimus, Apparitione corporalis Apparitio vera, & realis excluditur; quæ, sola vi naturæ inferioris, acciderit.

37 PRimò itaque: Per primam circumstantiam, circa illud ipsum, quod apparuit (hoc est, per Incessum Apparentis, per ipsa Propugnacula Pinnæ Billorum, & illum quidem interpollatum, & non continuum) excluditur ab ea, de qua sermo noster procedit, Apparitione corporalis Apparitio vera, & realis; facta secundùm vim, & solitum cursum inferioris naturæ.

Quod, vt exactè pateat; digrediendum aliquantùm est, & præmittendum vnum: nimirum, declarandum est, quid illud sit; quod Propugnaculum appellant.

DIGRESSIO.

Quid sit Propugnaculum, & quotuplex.

38 PRopugnaculum ergo, non est aliud, nisi Munitus quidam locus; vnde vehementer certari, ac defendi, quod est defendendum, possit procul. Ita scribentes de vi, ac significatione dictionum, verbo, *Propugnaculum*.

Vt autem sciatur distinctius, quinam sit huiusmodi Munitus lo cus, vnde procul certari, ac defendi possit; notandum:

dum: quòd (quemadmodum colligitur ex Alberto Durerio, in tractatu, De Vrbibus, Arcibus, Castellísque condendis, titulo, De struendis Aggeribus, & titulo, De antiquæ Ciuitatis muniendæ ratione) tres dantur differentiæ, siue species Propugnaculorum.

39 Quædam enim Propugnacula supernè in ipsis vallis, vel aggeribus, vel mœnibus ædificantur: quæ à quibusdam vocantur Pinnæ, & ab alijs Minæ; & de quibus videtur loqui, & agere Vegetius, De re Militari, lib. 4. cap. 2.

Vocantur quidem Pinnæ à Seruio. Vnde, ad illud Æneidos 4.

Non cœpta assurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet, portas, aut Propugnacula bello
Tuta parant, &c.

exponendo, sic ait: *Propugnacula, Pinnas.*

Vocantur etiam Pinnæ à Michaële Ghislerio, super illud Canticorum 4. vers. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est, cum Propugnaculis*. In prima enim huius loci expositione, sic dicit. *Porrò, Propugnaculorum nomine, secundùm litteram Pinnas illas significari, crediderim; quæ in culminibus murorum, turrium, aut mœnium Ciuitatum erigi solent, ad pugnandum contra aduersarios; quas Italicè vocamus, Merli*, &c.

Vocantur autem Minæ ab ipso Virgilio, Æneidos 4. cùm dicit:

——— *Pendent opera interrupta, Minæque*
Murorum, &c.

Ad quem locum Ioannes Ludouicus de la Cerda, in suis Commentarijs, ita scribit. *Minæ partes murorum, in quibus sunt propugnatores hostibus minantes, quæ, ad emissionem telorum, fenestratæ sunt.* Quibus verbis, quin huius primæ speciei Propugnacula describantur; nullum est dubium.

 Et

Et de his Propugnaculis loquendo, Albertus Durerius, citato loco, hæc habet. *Vallum ab imo fundamento ad supremam vsque superficiem in solidum exaggeratum, superque tantùm Propugnaculis communitum; habet, & roboris permultum, & commoditatis tantundem.*

40 *Quædam verò Propugnacula attolluntur ad frontem valli, seu muri* (addit Durerius ibidem) *in modum turris, vel putei, passim competente laxitate*, &c. Quæ propterea Propugnacula Vitruuius, De Architectura, lib. 1. cap. 5. Turres vocat: quemadmodum etiam, & Iacobus Pontanus, Progymnasmatum Latinitatis volumine 3. parte 2. progymn. 6. dum ait: *Turres, quo latere Vrbem spectant; muro nudatas ponito, & apertas: ne hostem fortassis immissum protegant*, &c. Et hæc ex Virgilio, Æneidos 9. cùm opus erat pontibus inuicem iungebantur (dicente ibi Poeta,

——— *Pontesque, & Propugnacula iungunt*)

per quos pontes obsessi discurrebant, ad defendendum; iuxta illud Amiani, lib. 20. *Ingentibus animis per turres* (hoc est, per Propugnacula iuncta pontibus) *discurrebant*, &c.

Quæ duo genera Propugnaculorum hactenus explicata; vsum habent, ex Durerio, quandiu eminus cum hoste pugna committitur: quia, cùm propiùs Ciuitatem, castris admotis, cœperit hostis, aggere, fossísque diductis, statiua communire; tertio genere Propugnaculorum est opus. Et ideo:

41 Quædam denique Propugnacula, ex ipso Durerio, tit. De Ratione antiquæ Ciuitatis muniendæ, astruuntur in modum turris, seu putei in fossæ alueo, dissita ab ipso aggere, seu vallo, & mœnibus aliquantùm; & multò magis, inter se. De quibus Propugnaculis, & antiquiores nihil omnino videntur scripsisse; & nos, non est, cur aliud adda-

addamus: cùm, per hactenus dicta, declaratum remaneat, & quid sit Propugnaculum, & præterea, quænam sint etiã species ipsius, ac differentiæ; quantùm saltem ad propositum præsens videbatur, sat esse.

Quocirca, sufficienter ad rem nostram hinc discimus: quòd Propugnacula, siue Loca munita, vnde procul certari, aut defendi possit; si primi sint, ac secundi generis; cum ipsis mœnibus, & aggeribus coniuncta sunt. Cùm, ex iam allatis, vel supernè in mœnibus ædificentur, vel ad frontem muri attollantur; imò, qua parte Ciuitatem spectant, muro nudata esse debeant. Si verò sint generis tertij; sunt ab ipsis mœnibus, & aggeribus dissita, & disiuncta, vt clarissimè loquitur Durerius.

SVBDISTINCTIO SECVNDA.

Resumitur materia primæ Subdistinctionis.

IAm verò (vt reuertamur ad inchoatam probationem è qua digressi sumus) Propugnacula Pinnæ Billorum tertij generis prorsus non fuerunt. De ijs enim in præsenti nullum extat vestigium. Extant quidem vestigia (sed cur dico vestigia?) extant, inquam, in præsenti partes maximæ Propugnaculorum secundi, & primi generis; quod ipsis cernentium oculis clarè patet. Quare, Pinnæ Billorum Propugnacula secundi, & primi generis fuisse, atque adeò cum ipsis mœnibus coniuncta; profectò concludendum est.

42 Ex his igitur, ad intentum, de quo in fine Paragraphi quinti; sic argui poteſt. Apparens illud, quod est nobis materia disputandi; apparuit incedere per Propugnacula

cula Pinnæ Billorum cum ipsis mœnibus coniuncta; atque adeò per ipsa mœnia: cùm repugnet, aliquem incedere per Propugnacula cum mœnibus coniuncta; quin incedat, & per ipsa mœnia. Ergo, talis Apparitio, vi, ac solito cursu naturæ inferioris, effecta esse non potuit.

Ratio consequentiæ illa est: quia Simulacrum aliquod verum, & reale, & vi, ac solito cursu naturæ inferioris effectum, per Propugnacula Pinnæ Billorum cum ipsis mœnibus coniuncta, atque adeò per ipsa mœnia; incedere non potest.

Etenim: *incedere*, propriè sumptum; est, passu molli, & gradu suspenso moueri. Sic fere Laurentius Valla, Elegantiarum libro 5. cap. 79. ex Seneca. Ergo, est moueri tardè. Quia, moueri molli, ac suspenso gradu, non est, nisi moueri silentio; nullúmque strepitum edendo. Quapropter, apud Terentium, in Phorm. actu 5. scena 6. nolens Geta ille seruus, motum suum ab aliquo sentiri, cùm ad Heri fores accederet, auditurus clam, quid inter se domi proloquerentur quidam; vt refert ipsemet, hoc ipso, qui iam explicatus est à nobis, modo se habuit. Eum audiamus proinde loquentem.

——————————————— *Ad fores,*
Suspenso gradu, placidè ire perrexi: accessi: astiti:
Animam compressi: aurem admoui: ita animum cœpi
attendere,
Hoc modo sermonem captans, &c. Hæc ille.

At verò: moueri silentio, nullúmque sonum, aut strepitum edendo, non accidit; nisi, cùm aliquis tardè mouetur. Quia tunc tantùm, onus corporis pede illo, qui terræ figitur, sustinente; alterum interim pedem potest ipse suspensum mouere; & paulatim, non pulsando, nec percutiendo terram, & consequenter nullum sonitum edendo, aut strepitum (editur enim sonitus, ex Arist. 2. De Anima

tex. 77.

tex. 77. duorum solidorum percussione corporum) eundem terræ figere, quousque pedem alterum similiter moueat; & sic deinceps. Nam, è contra, si quis celeri, & concitato motu moueatur; cùm semper elatus, ac pendens totum corporis onus totus ipse sustineat; necesse est: vt vterque pes hoc onere semper grauis, ad terram descendat; illam celeriter, & concitatè pulset, ac percutiat; & inde fiat sonitus, ac strepitus. Legatur Aristoteles, Problematum sectione 5. problemate 29. Tardè igitur moueri, necesse est, quicunque incedit.

43 Porrò: ad propositum præsens, incedere per Propugnacula Pinnæ Billorum cum ipsis mœnibus coniuncta, atque adeò per ipsa mœnia; non est, nisi moueri, non tantùm tardè, vt dictum est; sed præterea, quasi circulariter. Mœnia nanque, tum Ciuitates, tum Oppida, tum Castra circundant: vt omnibus est palam. Dato itaque, quòd Species illa, quæ apparens, per Propugnacula, quin, ex dictis, per ipsa mœnia Pinnæ Billorum incedere, visa est, Simulacrum aliquod fuerit verum, & reale, & vi, ac solito naturæ inferioris cursu efformatum, & effectum; assignanda est etiam causa naturalis, quæ talem illi motum tardũ, & quasi circularem tribuerit. Et hæc fuisse non potuit; nisi, vel aliquid intrinsecum, vel aliquid extrinsecum ipsi Simulacro.

Si dicatur, causam hanc fuisse aliquid intrinsecum ipsi Simulacro, calorem, nimirum, ac raritatem vaporis, & exhalationis, vnde, tanquam ex materia ipsum factum esset, ex quibus calore, ac raritate nascitur semper leuitas (vt Quæstione præcedente, sect. 1. nu. 12. dicebamus) quæ vapores omnes, & exhalationes intrinsecè mouet; hoc esse non potuit, propter sequentes duas rationes.

44 Prima est. Quia leuitas mouet, ac facit ascendere sursum: vt ibidem asseruimus. Simulacrum autem, quasi

cula Pinnæ Billorum cum ipsis mœnibus coniuncta; atque adeò per ipsa mœnia: cùm repugnet, aliquem incedere per Propugnacula cum mœnibus coniuncta; quin incedat, & per ipsa mœnia. Ergo, talis Apparitio, vi, ac solito cursu naturæ inferioris, effecta esse non potuit.

Ratio consequentiæ illa est: quia Simulacrum aliquod verum, & reale, & vi, ac solito cursu naturæ inferioris effectum, per Propugnacula Pinnæ Billorum cum ipsis mœnibus coniuncta, atque adeò per ipsa mœnia; incedere non potest.

Etenim: *incedere*, propriè sumptum; est, passu molli, & gradu suspenso moueri. Sic fere Laurentius Valla, Elegantiarum libro 5. cap. 79. ex Seneca. Ergo, est moueri tardè. Quia, moueri molli, ac suspenso gradu, non est, nisi moueri silentio; nullúmque strepitum edendo. Quapropter, apud Terentium, in Phorm. actu 5. scena 6. nolens Geta ille seruus, motum suum ab aliquo sentiri, cùm ad Heri fores accederet, auditurus clam, quid inter se domi proloquerentur quidam; vt refert ipsemet, hoc ipso, qui iam explicatus est à nobis, modo se habuit. Eum audiamus proinde loquentem.

——— Ad fores,
Suspenso gradu, placidè ire perrexi: accessi: astiti:
Animam compressi: aurem admoui: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans, &c. Hæc ille.

At verò: moueri silentio, nullúmque sonum, aut strepitum edendo, non accidit; nisi, cùm aliquis tardè mouetur. Quia tunc tantùm, onus corporis pede illo, qui terræ figitur, sustinente; alterum interim pedem potest ipse suspensum mouere; & paulatim, non pulsando, nec percutiendo terram, & consequenter nullum sonitum edendo, aut strepitum (editur enim sonitus, ex Arist. 2. De Anima. tex. 77.

tex. 77. duorum solidorum percussione corporum) eundem terræ figere, quousque pedem alterum similiter moueat; & sic deinceps. Nam, è contra, si quis celeri, & concitato motu moueatur; cùm semper elatus, ac pendens totum corporis onus totus ipse sustineat; necesse est: vt vterque pes hoc onere semper grauis, ad terram descendat; illam celeriter, & concitatè pulset, ac percutiat; & inde fiat sonitus, ac strepitus. Legatur Aristoteles, Problematum sectione 5. problemate 29. Tardè igitur moueri, necesse est, quicunque incedit.

43 Porrò: ad propositum præsens, incedere per Propugnacula Pinnæ Billorum cum ipsis mœnibus coniuncta, atque adeò per ipsa mœnia; non est, nisi moueri, non tantùm tardè, vt dictum est; sed præterea, quasi circulariter. Mœnia nanque, tum Ciuitates, tum Oppida, tum Castra circundant: vt omnibus est palam. Dato itaque, quòd Species illa, quæ apparens, per Propugnacula, quin, ex dictis, per ipsa mœnia Pinnæ Billorum incedere, visa est, Simulacrum aliquod fuerit verum, & reale, & vi, ac solito naturæ inferioris cursu efformatum, & effectum; assignanda est etiam causa naturalis, quæ talem illi motum tardū, & quasi circularem tribuerit. Et hæc fuisse non potuit; nisi, vel aliquid intrinsecum, vel aliquid extrinsecum ipsi Simulacro.

Si dicatur, causam hanc fuisse aliquid intrinsecum ipsi Simulacro, calorem, nimirum, ac raritatem vaporis, & exhalationis, vnde, tanquam ex materia ipsum factum esset, ex quibus calore, ac raritate nascitur semper leuitas (vt Quæstione præcedente, sect. 1. nu. 12. dicebamus) quæ vapores omnes, & exhalationes intrinsecè mouet; hoc esse non potuit, propter sequentes duas rationes.

44 Prima est. Quia leuitas mouet, ac facit ascendere sursum: vt ibidem asseruimus. Simulacrum autem, quasi

 cir-

circulariter mouebatur. Et si respondeatur, non fecisse ascendere propter impedimentum; tale etiam impedimẽtum assignandum est. Quo assignato: oportet assignari præterea causam; quare Simulacrum impeditum, ne ob leuitatem posset ascendere; motum potiùs fuerit, quasi circulariter; quàm rectà. Quæ si assignetur, dicendo, id factum esse, quia Simulacrum rectà tendens impegit in aliquid, vnde necesse habuit, quasi circulariter moueri; assignandum est etiam id, in quod impegit: & quam ob causam non potiùs retro prosilierit, sicut solent omnia, quæ in aliquid impingunt, vt patet in lusoria pila; sed ante circulariter, aut quasi circulariter processerit. Quæ omnia, cùm verè, & cum fundamento assignari non possint; sequitur, quòd, nec etiam verè, & cum fundamento possit affirmari; causam, quæ mouit, quasi circulariter Simulacrum illud; fuisse intrinsecam leuitatem.

45 Secunda est. Quia illi materiæ, vapori, videlicet, exhalationibus admisto, vnde poneretur, factum esse Simulacrum; raritas inesse non potuit. Ex densatione siquidem vaporis illius exhalationibus admisti, necesse est, vt Simulacrum factum fuerit: quemadmodum contingit, cùm nubes producuntur. Nec igitur illi materiæ potuit leuitas inesse, mouens illud Simulacrum.

46 Si verò dicatur, causam huiusmodi motus fuisse aliquid extrinsecum; hoc etiam esse non potuit. Si enim hoc detur, necesse est: vt hoc, quod dicimus aliquid extrinsecum naturale; fuerit, vel aliquis alius vapor, & exhalatio: vel aliqua occulta virtus astrorum, & influentia: vel ipse aër per se: vel ipse aër aliquo modo compressus. Quandoquidem, præter hæc, alia causa talis excogitari posse, non videtur.

Quòd fuerit vltimum; dici non debet. Cùm comprimens hoc in facto, quod præ manibus habemus, non sit assi-

assignabile; qualis esse solet casus aliquis alicuius ædificij, vel simile.

47 Quòd fuerit tertium; nec etiam dici debet. Quia, si aër per se mouisset Simulacrum, necessariò debuisset moueri priùs ipse aër: cùm omne mouens, quod aptum est moueri, nempe, quod immateriale non est, mouendo, moueatur; ex Aristotele, 2. Physic. tex. 16. & ex Toleto, ibi, in suo Commento; & aër immaterialis non sit. Quæ doctrina (sicut habet Marinellus, in Solutionibus Quæstionum, in tertium Physicorum, q. 5.) maximè vera est in motibus localibus, qui fiunt ab extrinseco; qualis est pulsio, tractio, vectio, & vertigo, de quibus idem Aristoteles, 7. Physic. tex. 10. Inter quos motus, pulsio (quemadmodum ibidem docet Aristot.) tunc accidit; cùm mouens non relinquit id, quod mouetur. Vnde necesse est (quod præsertim facit ad hanc rem) vt in pulsione priùs natura saltem, si non tempore, mouens intelligatur, mouere se ipsum; quàm moueat, quod mouetur. Secùs enim oporteret intelligi, mouens relinquere, quod mouetur in pulsione; contra ipsum Aristotelem. Cùm, si pulsio consistit in pellendo aliquid vlteriùs, quod est certum; oporteret intelligi priùs naturà pulsum esse vlteriùs id, quod mouetur, quàm mouens pepulisse se ipsum. Nanque, in eodem priori naturæ, non potest intelligi: mouens pellere se ipsum, & ab eo pelli vlteriùs id, quod mouetur; si, priùs naturâ, debet intelligi causa, quàm effectus; & si mouens pellere se ipsum, est causa, pelli autem ab eo vlteriùs id, quod mouetur, est effectus; quæ verissima sunt, & per se ipsa patentia. Si ergo nos oporteat intelligere, priùs naturâ pulsum esse vlteriùs id, quod mouetur, quàm mouens pepulisse se ipsum; en manifestè compellimur intelligere, mouens in pulsione, contra ipsum Aristotelem, relinquere, quod mouetur.

48 Iam

48 Iam verò: si aër per se Simulacrum illud mouisset, ab extrinseco; fuisset vtique huiusmodi motio pulsio quædam: qualis accidit, exempli gratia, cùm aqua pellit aquam, & ventus ventum. Atque adeò, priùs naturâ debuisset aër se à se ipso mouisse, quàm mouisset Simulacrum, propter ea, quæ dicta sunt; & independenter ab alio mouente: quia secùs, non mouisset per se. Aërem autem se à se ipso, & independenter ab alio mouente, motu præcipuè quasi circulari, & obliquo, naturaliter mouere non posse; contra Senecam, lib. 5. Naturalium quæstionum, cap. 1. & contra Cardanum, De Subtilitate, lib. 2. probant Peripatetici communiter, tum Cardano ipso antiquiores, tum recentiores. Cuiusmodi sunt Olympiodorus, 1. Meteor. actione 15. Albertus 2. Meteor. tract. 1. cap. 6. Agricola, De Subterraneis, lib. 2. Vicomercatus, in 2. Meteor. Commento suo 15. Franciscus Verius, seu Verinus secundus, in suo lib. Meteor. cap. 7. quod est, De Ventis, & alij, quos citat, & sequitur Paulus Vallius, in suis Manuscriptis, in secundum Meteor. parte 2. q. 2. vbi hanc rationem efficacem adducit. *Si hoc haberet aer, ex sua natura, vt se à se ipso, motu quasi circulari, & obliquo, moueret; qualibet aeris particula, etiam in cubiculo aliquo inclusa, hoc modo moueretur. Hoc tamen nullus adhuc expertus est.* Sic ille.

49 Quòd fuerit secundum; nec etiam dici debet. Quia, vel occultæ virtutes astrorum, & influentiæ non dantur, vt probant multi Peripatetici, videlicet, Auerroes, 2. Cæli, Comm. 42. Zimara, Proposit. 45. Achillinus, 4. De Orbibus, dub. vlt. Portius, lib. 1. De Princip. cap. 10. Iandunus, 2. Cæli, q. 12. Picus Mirandulanus, lib. 3. Contra Astrologos, cap. 4. & 5. & alij, apud eundem Paulum Vallium, in Manuscriptis, ad libros, De Cælo, Tract. De Actione Cæli, q. quarta; vel, si dantur, quod videtur verisi-

riſimilius; huiuſmodi virtutes occultæ, & influentiæ debuiſſent mouere Simulacrum illud ab Ortu ad Occaſum, ſicut omnia mouentur aſtra; vel ad ſummum ijs motibus, quibus ponuntur, mouere ventos, vt apud Paulum Venetum, in ſumma Meteor. cap. 16. videre eſt, qui omnes per ſe recti ſunt, non circulares, vel quaſi circulares; quod experientia conſtat.

50 Tandem: nec dici etiam debet, quòd fuerit primum. Quia ille alius vapor, & illa alia exhalatio ab ijs diuerſa, ex quibus formatum fuiſſet Simulacrum; vel fuiſſet eiuſdem quantitatis, & qualitatis cum ijſdem; vel diuerſæ.

Si primum: quare, non continuè facta ſunt eiuſdem figuræ multa ſimulacra, vnum poſt vnum; cum eadem cauſa eundem producere debuiſſet effectum? Et quare, vnum tantùm Simulacrum cum ſuis comitibus viſum eſt; ídque non continuè, ſed interpollatè; quemadmodum ſupra, numerando circunſtantias, adnotauimus? Et quare, potiùs diceretur ille alius vapor, illáque alia exhalatio pepuliſſe, ac mouiſſe iam formatum Simulacrum, non alia effeciſſe; nulla apparente, quæ, ad hoc dicendum, cogeret, fundata ratione; imò apparente, quæ cogit, ad totum dicendum contrarium; vt illa, quæ proximè, circa cauſam intrinſecè mouentem, fuit allata?

Si ſecundum: dicere oporteret, quòd ille alius vapor, & illa alia exhalatio nihil fuiſſet aliud, niſi ventus aliquis. Ventus enim (vt, cum Ariſt. 2. Meteor. ſumma 2. cap. 1, & ſequenti, docent communiter Peripatetici) eſt exhalatio cum vaporibus admiſta; quæ moueatur per aërem obliquè. Ventum autem circulariter, vel quaſi circulariter moueri, & mouere Simulacrum non potuiſſe; manifeſtè oſtendit eadem illa ratio, cuius hîc modò facta eſt mentio.

51 Niſi

51 Nisi dicatur: ventum hunc fuisse Turbinem aliquē, seu Typhonem, vel Vorticem; qui est ventus, vel exhalatio, quæ magno impetu ex nube aliqua egreditur, & circulariter mouetur; vt ex Arist. 3. Meteor. summa 1. cap. vnico, docent communiter Sectatores ipsius.

Sed tunc, excluderetur à Simulacro tardus ille incessus; cùm, quæ magno impetu mouentur, non moueantur tardè. Præterquam quòd: Turbo, seu Typhon, vel Vortex huiusmodi non magnum occupat spatium (ex Alberto, apud Vallium, in citatis Manuscriptis, ad 2. Meteor. disput. 4. q. 5.) sed exiguum: quoniam exhalatio, ex nubibus emissa, non potest esse in magna copia; sed in exigua: quin, fieri solet, præsertim in Æstate; non flante Aquilone, seu niuibus cadentibus: & res tandem attollit sursum. Quæ, cum Scriptoribus multis, notat idem Vallius; citato loco. At verò: mœnium Pinnam circundantium totus ambitus, locus exiguus certè dici non potest. Et Februarius mensis, cùm Apparitio fuit exhibita; non est Æstiuus: imò, tunc maximè flare solet Aquilo; tunc maximè nix cadit. Ac demum: Simulacrum fuisse sublatum sursum, non constat; sed tantùm, quasi circulariter incessisse per Propugnacula.

Quare: per hæc, & per cetera omnia, quæ, circa primam circunstantiam Apparientis, hoc est, circa ipsius incessum per Propugnacula, pérque mœnia Pinnæ Billorum, hucusque dicta sunt; exclusa bene, manifestéque relinquitur ab eadem Apparitione corporalis Apparitio vera, & realis; & secundum vim, & solitum naturæ inferioris cursum effecta.

52 Secundò. Hæc eadem Apparitio corporalis, effecta similiter, siue dicas, modo simili, excluditur ab eadem Apparitione; per quatuor alias eiusdem Apparentis circunstantias: nimirum, per Niueum amictum; quæ secunda

cunda erat: per Filiolum de Apparentis pectore lac sugẽtem; quæ erat tertia: per Chorum Angelorum ante cedentem; quæ erat quarta: & per Fulgorem Apollineum, noctis tenebras diruentem; quæ erat quinta. Et rationes exclusionis, huiusmodi sunt.

Prima. Quia Simulacrum verum, & reale, & effectum secũdùm vim, & solitum naturæ cursum, in tali Apparitione apparens; efformatum esse debuisset ex vaporibus, & accensis exhalationibus in vnum admistis: vt ex Vicomercato, & alijs iam dictum est. Hoc autem compositum exhibere non potest niueum colorem: vt patet experientia meteorologicarum impressionum omnium, quæ ignitæ sint, atque adeò similiter compositæ; cùm accidit, vt nobis ante oculos versentur.

Secunda. Quia modus, quo, solita vi, & solito cursu naturæ inferioris, ex vaporibus, & accensis exhalationibus fuisset efformata vera, & realis Apparentis alicuius Effigies, cum Filiolo de ipsius pectore lac sugente, & cum Choro antecedente Angelorum; non videtur excogitabilis.

Tertia denique. Quia vapores exhalationibus accensis admisti, debuissent, in infima præsertim regione aëris, in qua fuit Apparitio exhibita; lucem subobscuram, & fumidam reddere: ex ijs, quæ Quæstione præcedente, Sect. 1. §. 2. num. 12. dicta sunt. Et sic, fulgor Apparentis Simulacri noctis tenebras non diruisset, aut saltem Apollineus dici non debuisset.

SVB-

SVBDISTINCTIO TERTIA.

Ponuntur quatuor probationes: quarum singulis, ab Apparitione, quam examinamus, excluduntur Apparitiones illæ singulæ; quas corporales apparentes, vi naturæ inferioris effectas, appellamus.

53 TErtiò. Per circunstantias omnes, circa tempus Apparitionis nostræ, nimirum, per Tempus nocturnum, per Quartam noctis vigiliam, & per Noctem antecedentem diem vigesimum tertium Februarij mensis anni Christi 1522. ab illa excluditur Apparitio corporalis, apparens propter aliquam radiorum corporis alicuius lucidi reflexionem; quæ fuerit effecta vi, & solito cursu naturæ inferioris.

Quod sic probatur.

Huiusmodi enim Apparitio, quam dicimus excludi (præter nubem roridam, aut aliquid aliud simile, in quod iaciantur corporis alicuius lucentis radij, quódque se habeat, tanquam illius materialem causam) requirit etiam Solem, aut Lunam radios iacientem; atque adeò, tanquam efficientem eiusdem Apparitionis causam, se habentem. Ita communiter Meteorologici: inter quos videri potest Collegium Conimbricense, in libros Meteororum Arist. tract. 5. cap. 2.

54 Ponamus autem: fuisse tunc temporis in Propugnaculis Pinnensibus vaporem aliquem crassum, ac roridum; qualis est caligo rorida, vel nebula: attamen, nocturno tempore, & quarta noctis vigilia, Sol in eam iace-

re

re non poterat suos radios: imò nocte antecedente diem vigesimum tertium Februarij mensis anni Christi 1522. nec etiam Luna. Patet enim manifestè ex regulis Aurei numeri, & Epactarum, & exactiùs ex Ephemeridibus; eo anno, die vigesima quarta Februarij, hora sexta, minuto ferè vigesimo secundo, Nouilunium celebratum esse: atque adeò, quarta vigilia noctis antecedentis diem vigesimum tertium dicti mensis, Lunam paucis gradibus distitisse à Sole; nimirum, sexdecim, aut decem, & octo, circiter: ita vt, nisi erat combusta (vt loquuntur Astrologi) luménque totum amiserat; parum certè habuerit luminis: illúmque, supra nostrum horizontem, non ostenderit, nisi, per quadrantem ferè vnius horæ, ante Solis ortum; vt, per supputationes Astronomicas, facilè colligitur.

55 Vnde, habemus etiam obiter; his, quæ nunc dicimus, nullo pacto dissonare Mastinum: qui describens (vt in Proœmialibus visum est) huius diei vigesimi tertij, de quo loquimur, principium; sic de Luna canebat.

Tempus erat, quo iam Phœbe cessura, relicto
Climate, præcipiti properabat adire meatu
Antipodas, &c.

Quandoquidem: paulò ante, quàm Sol asc enderet supra nostrum horizontem; orta fuerat, chronicè tamen, sed impropriè, etiam Luna: quod perinde est, ac dicere: in ipso noctis confinio, videlicet, fere per quadrantem vnius horæ, ante Solis exortum, vt diximus, etiam Luna supra nostrum horizontem ascenderat; quæ, ipso iam oriente Sole, occiderat heliacè; idest, quæ, iam Solaribus lucentibus radijs, lucere, non ampliùs apparuerat. Et propterea, non obstantibus ijs, quæ dicimus nos de ortu Lunæ chronico; bene poterat cantare Mastinus, *Tempus erat*, &c. intelligendo, nimirum, illud, *Præcipiti properabat*

bat adire meatu Antipodas, quod Lunæ significat occasum, de occasu heliaco, per quem, lucente Sole, non ampliùs lucere conspicitur astrum, non de occasu chronico, per quem, vel cum Sole sub horizontem astrum descendit, vel nocturno tempore infra horizontem deprimitur; neque de occasu cosmico, per quem astrum, vel, tempore matutino, oriente Sole, sub horizontem pergit, vel ipso in die infra horizontem inclinat. Etenim, hi duo tantùm occasus vltimi nostris dictis dissonare videntur; non dissonat primus. De differentijs verò, quas in ortibus, & occasibus planetarum, & astrorum, & signorum etiam assignant; videndus est Ioannes de Sacro Bosco, capite tertio suæ Sphæræ, & Christophorus Clauius ibidem: cùm nobis ad rem nostram de his hæc attigisse; nimiùm quantùm sufficiat.

56 Itaque (vt eò discursus reuertatur, vnde digressus nonnihil est) quarta vigilia noctis, idest, post horam nonam noctis antecedentis diem vigesimum tertium Februarij mensis anni 1522. nocte ipsa durante; Luna, quæ tunc non adhuc ascenderat supra nostrum horizontem, nullóque modo fuerat orta; omnino non luxit. Et ideo, nedum Sol, sed nec etiam Luna corporalem Apparitionem illam potuit efficere; quæ propter aliquam radiorum corporis alicuius lucidi reflexionem appareat.

Præterquam quòd: talis Apparitio corporalis apparens, ac taliter facta; non exhibet aspicientium oculis, corporis alicuius humani membra distincta: sed, vel tantùm varias lineas arcuatas æquidistantes, vel mutuo se tangentes, & discolores, vt clarè patet in Iride Solis; vel fasciam quandam similis figuræ, vel figuræ spæricæ, vt patet in Iride Lunæ, & in eiusdem Corona, siue Halone.

Quod pariter dicendum est, de quacunque alia simili Apparitione, per quoscunque radios alicuius astri alius, siue

siue lucidi corporis, quod non sit Lunare, vel Solare corpus effecta; quæ proinde ab Apparitione, de qua dissertamus, ipsa quoque prorsus excluditur.

57 Quartò. Per easdem circunstantias omnes, circa tempus Apparitionis: ab illa excluditur Apparitio corporalis apparens, quæ naturaliter, & consueto naturæ inferioris cursu, fuerit effecta; propter aliquam immutationem ipsius medij.

Ratio est. Quia dato, quòd medium immutatum sit: ad hoc tamen, vt fiat visio, præterea requiritur; vt sit illuminatum, vel ipsum medium, secundùm aliquos: vel ipsum obiectum, secundùm alios: vel vtrunque, secundùm ceteros (vt videre est apud Aristotelis Expositores, in lib. 2. De Anima, circa caput 7.) ita vt sine lumine, visio aliqua non fiat. Vnde, dicit ibidem Aristoteles; ***Non est visibile absque luce, & omnis vniuscuiusque color in lumine sanè videtur.*** Nocturno autem tempore, & Quarta noctis vigilia, & prope Nouilunium, vt supra dictum est; nullum omnino potuit esse lumen, nisi arte aliqua factum: cùm esset nox illa, dictis de causis, & illunis, & ita penitus illumina. Non potuit igitur illa nocte, propter immutationem ipsius medij, quam supponere velimus, vi naturæ inferioris effectam; aliquid, sola eiusdem vi naturæ, & absque aliqua arte, apparere visibile.

58 Imò, demus insuper, quòd secum habuerit ille Vigil, seu Ductor, cui Apparitio fuit exhibita, lumen aliquod portatile; quod omnino credibile est, si suo volebat, in nocte omnino illumina, fungi officio: atque adeò, quòd, per tale lumen, & per immutationem aliquam medij, videlicet, aëris, naturaliter factam; senserit eam Apparitionem: ac demus etiam vlteriùs, quòd, per illam causam, per quam immutatum sit naturaliter medium; per eandem fuerit naturaliter medium idem illuminatum: vnde sic im-

mutato, & illuminato naturaliter medio; bene Vigil, seu Ductor Apparitionem sentire potuerit: restat nihilominus adhuc nodus indissolubilis: explicatio, nempe, modi, quo naturæ inferioris virtus, ac facultas talem aëris intermedij mutationem, & illuminationem effecerit; vt per eam apparuerint Simulacra in suis partibus ita disposita; quòd Matrem, siue Mulierem quandam cum Filiolo suo, & cum Choris Angelicis obsequẽtibus, præ se potuerint speciem ferre. Hoc explicetur cum fundamento; & fasces profectò submittam.

59 Quintò. Per duas circunstantias, circa illum, cui facta est Apparitio, nimirum, per Vigilis, vel Ductoris Perlustrationem, qua vsus est, cùm vectus equo Pinnam circumiret; & per id, quod ijs verbis exprimitur, *Toto passim vtitur Argo*; quæ erant circa eundem prima, & secunda circunstantia; additis Incessu Apparentis per Propugnacula, & eiusdem Fulgore Apollineo noctis tenebras diruente; quarum altera prima, altera quinta, circa idem Apparens erant circunstantiæ; restat ab ipsius Apparitione penitus exclusa corporalis Apparitio, propter imperceptibilitatem apparens; quæ naturaliter, modo iam toties explicato, facta fuerit.

Etenim: in maximo Fulgore, qualis indicatur, per Fulgorem Apollineum; & in Perlustrando aliquid totum, quod ex ijs, qui de vi dictionum agunt, non est, nisi circumquaque diligenter, & attentè illud aspicere; & in Vtendo toto Argo, quod, supposita fabula, qua fingebatur, Argus centum fuisse insignitus oculis (vt est videre apud Ouidium, Metamorphoseos lib. I.) significat, tota, quasi Argi pleni oculis, atque adeò maxima, in circunspiciendo, vti diligentia; intercedente potissimùm inter videntem, & visum admodum exigua distantia; sicuti fatebimur, inter dictum Vigilem, & Pinnæ Billorum Propugna-

gnacula, per quæ Simulacrum apparens incedebat, oportuisse intercedere, si vias considerabimus, ipsa Propugnacula cum mœnibus circundantes, per quas circumiuisse tunc temporis eundem Vigilem, necesse est; propter imperceptibilitatem fieri Apparitio aliqua, sine vllo dubio, non potuit.

60 Sextò. Per primam circunstantiam, circa tempus Apparitionis, nempe, per Tempus nocturnum; & per primam itidem circunstantiam, circa illud, quod apparuit, nempe, per ipsius Incessum, per Propugnacula: relinquitur ab ea, quam examinamus, Apparitione corporalis Apparitio exclusa; quæ naturaliter, vt est prædictum, effecta; propter diuersum situm eius corporis, vnde radij visuales reflectuntur; appareat.

Siquidem: sic effecta, & sic apparens Apparitio; supponit aliqua. Primò, scilicet, naturale aliquod speculum, secundùm horizontem, vel alio simili modo collocatum; qualem dicere possumus, esse aquam, vel gemmam quãpiam ita sitam. Secundò, obiectum nonnullum in tale speculum radios visuales, aut suam speciem immittens. Et tertiò demum, ipsum lumen. Videri potest Paulus Venetus, in summa Meteororum, cap. 21. & Colleg. Conimbricense, in secundum, De Anima, cap. 7. q. 8. a. 1. Assignandum est igitur in dictis Propugnaculis, & speculum naturale huiusmodi; & obiectum, & lumen. Lumen quidem, nocturno tempori, ac prorsus illumino, repugnat. Obiectum verò, si fuisset inibi; satis certè fuisset ipsum per se: nec fuisset necessarium, ad hoc, vt videretur idem obiectum; aliud naturale speculum: imò, in speculo naturali dicto modo collocato; illud idem obiectum visum fuisset (ex ijs, quæ num. 24. supra diximus) inuersum. Speculum tandem naturale, vt aqua in magna copia, vel aliqua magna gemmia, petunt, explicari causam; quæ in Propu-

gnaculis Pinnæ Billorum hæc posuerit, aut aliquo modo effecerit. Imò, per impossibile, his explicatis, & assignato speculo, obiecto, & lumine in dictis Propugnaculis; remanet adhuc difficultas circa causam, quæ mouere potuisset, quasi circulariter per Propugnacula, & per ipsa mœnia Simulacrum sic apparens. De qua difficultate satis quidem, supérque illa sunt; quæ iam supra dixi, num. 48. & idcirco non est, cur hîc ampliùs repetantur.

SVBDISTINCTIO QVARTA.

Ponuntur tres probationes: quarum prima corporalis Apparitio phantastica, & Apparitio imaginaria, quæ singulæ vi naturæ inferioris effectæ sint; secunda intellectualis Apparitio similiter effecta; tertia demum singulæ Apparitiones, quæ sint factæ per artem; à nostra excluduntur Apparitione: & concluditur tandam secunda Distinctio.

61 SEptimò. Per primam, & secundam circunstantiam, circa illum, cui facta est Apparitio, quæ sunt, Vigilem, seu Ductorem vectum equo Pinnam perlustrasse, & Eundem toto passim vsum fuisse Argo; corporalis Apparitio phantastica, & Apparitio spiritualis, vel imaginaria, quæ, non nisi vi naturæ inferioris, factæ sint; excluduntur ab eadem Apparitione, quam pensitamus.

Vt enim patet ex ijs, quæ, n. 19. & 20. in explicationibus talium naturalium Apparitionum dicta sunt; dare oporteret, Vigilem, seu Ductorem illum, qui Visum vidit; vel suffusione oculorum, seu cataracta, aut alio simili morbo laborantem: vel somniantem: vel phreneticum:

si

si fuisset alterutra ex his exhibita sibi Apparitio. Quæ omnia stare minimè possunt in eo, qui diligenter, & attentè circunquaque aliquid aspiciat, quod (vt paulò ante tradebatur) denotat ex modò positis circunstantijs prima; & in eo, qui maxima, in circunspiciendo, vtatur diligentia; quod (vt item paulò ante tradebatur) denotat ex ijsdem secunda.

62 Octauò. Per omnes circunstantias, circa ipsum Apparens, excluditur ab illius Apparitione quæcunque intellectualis Apparitio.

Quandoquidem, ostendunt omnes illæ circunstantiæ: illud ipsum, quod apparuit, se, vt sensibilem Imaginem, sẽsibiléue Simulacrũ, sub speciebus sensibilibus exhibuisse videndum. Apparitio autem intellectualis (vt supra, §.2. num. 30. demonstratum est, ex Sancto Thoma) sensibiles quascunque Imagines excludit; & sensibilia quæcunque Simulacra.

63 Nonò. Per circunstantiam vnicam, circa Pinnenses, quæ in eo consistit, quòd, Nullus eorum, neque ipsæ Custodiæ, quanquam peruigiles, tale aliquid senserint; excluduntur ab Apparitione, quam discutimus, Apparitiones omnes, & singulæ, quæ per artem sint factæ.

Quoniam: quæcunque fuissent artificiales illæ Apparitiones; artificem sanè illarum fuisse oporteret, aut ex Pinnensibus aliquem, aut aliquem Pinnensibus amicum; cui fuisset à Pinnensibus huiusmodi cura demandata. Quo dato: Quo modo verum dixisset Mastinus, de tali Apparitione canendo;

Inscius at tanti populus metulenta fauoris
Corda timor quatiat pallens licèt?

Præterea. Maior pars artificialium Apparitionũ sunt corporales, reales, ac veræ (vt experientia patet) & à cunctis non habentibus impedimentum, videri profectò

possunt. Si ergo, fuisset Apparitio, de qua loquitur Mastinus, vna ex his; quo modo potuisset ille, id ipsum, quod apparuit, alloquendo, verè dicere;

Te licèt, indignus veluti (Custodia quanquam
Peruigil obsessa seruaret mœnia) quisquam
Viderit haud alius?

Atque ex omnibus, quæ dicta sunt ab initio secundæ Distinctionis vsque adhuc, probatum, & illustratum remanet illud primum; quod in principio huius Paragraphi tertij positum est pro certo: nimirum, Apparitionem, de qua dissertamus, nulla vi, siue inferioris naturæ, siue artis alicuius humanæ factam fuisse.

DISTINCTIO TERTIA.

Probatur secundum, quod, item in principio huius eiusdem tertij Paragraphi, est positum; pro certo tenendum esse.

64 HViusmodi autem secundum erat illud: quòd eadem Apparitio vna fuit alicuius eorum inuisibilium; in quorum est potestate, videri, & non videri. Et hoc ipsum infertur ex dictis.

Quia (vt supra suo loco vidimus) dantur tantùm Apparitiones propriè dictæ, videlicet, in quibus ea se manifestant inuisibilia, in quorum est potestate, videri, & non videri; & impropriè dictæ, quæ, nempe, fiunt vi naturæ inferioris, aut artis, ac tot modis, quot sunt explicati, & in quibus, habentia dictam potestatem inuisibilia non se manifestant. Sed, iam ostensum est: Apparitionem, de qua loquimur; ex impropriè dictis fuisse nullam. Ergo, fuit vna ex dictis propriè: vna, videlicet, alicuius eorum inui-

inuisibilium, in quorum est potestate, videri, & non videri.

DISTINCTIO QVARTA.

Probatur tertium, quod ibidem est positum, esse tenendum pro certo.

RESTAT iam nunc ostendenda tertia pars: vbi asserebamus, Apparitionem hanc fuisse boni Spiritus, non mali, ac proinde Virginis Beatissimæ; vt semper à Pinnensibus est creditum.

65 Porrò autem: hanc ostendit apertè tertia circunstantia, circa illum, cui talis Apparitio fuit exhibita: videlicet, Horror, Formido, ac Tremor, qui Vigili, seu Ductori ex Apparitionis intuitu fuit illatus.

Sed, hoc vt manifestum fiat, illud oportet ante præfari: quod, si consideremus hominis naturam; semper homo timebit, intuendo Spiritum aliquem in assumpto corpore, vel aliter. Quò spectat Sanctus Ioannes Chrysostomus; quem, super capite primo Lucæ, in sua Catena, refert Sanctus Thomas; hæc dum scribit. ***Non potest homo, quantumcunque sit iustus, absque timore cernere Angelum:*** & Maldonatus, in idem caput Lucæ, qui concludit, ***Naturale esse homini, conspecto Angelo, timere.***

Si verò consideremus boni, vel mali Spiritus potestatem; recordabimur etiam, quæ diximus alibi, quæque docet Sanctus Thomas, 1. p. q. 111. a. 2. c. posse, nimirum, huiusmodi Spiritus, at Angelicos, non autem humanos (cùm timor, tristitia, gaudium, & similia sint sensitiui passiones appetitus, qui corporalis est) vel impedire, vel concitare in nobis (inclinatione naturali nihil obstan-

ſtante) paſſionum huiuſmodi motus.

Et idcirco, ſacri Scriptores obſeruant: quòd, quemadmodum boni Spiritus Apparitiones multum interdum, & interdum nullum ſolent incutere timorem; ſic etiam: quas mali Spiritus Apparitiones exhibent, illæ interdum lætitia, non timore demulcent mentem hominis; & interdum perturbatione, timoréque afficiunt. Atque ita, Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, Hom. 1. in Matthæum notat: Deum ipſum, qui, tonitruo crebriùs comminante, & coruſcante fulgure, cum fumo, & caligine, cum tenebris, & procellis terribiliter admodum Hebræis legem tulit; Apoſtolis exaduerſum ſeſe placidiſſimè, manſuetiſſiméque, in die Pentecoſtes, infudiſſe. Pariter: ſicut aduertunt, & Thyræus, De Spirituum Apparitione, cap. 16. num. 20. & Delrius, Diſquiſitionum Magicarum lib. 4. cap. 1. q. 3. ſect. 6. & alij, Spiritus malos apparentes, plerunque primo ſuo congreſſu ſe præbere amicos; ſic è contrario, idem Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, Hom. 29. in 1. ad Corinth. aſſerit; *Dæmonis proprium eſſe, perturbationem, furorem, & multam caliginem infundere.*

66 Quapropter: cùm ſe res habeant hoc modo, atque idem effectus, quandóque à bono, quandóque verò à malo ſpiritu proueniat; neceſſaria videbatur eſſe Regula quæpiam: vt eâ dignoſceretur, vter effectus hîc, & nunc in particulari aliquo euentu ab vtro Spiritu naſcatur; ac proinde, quænam ſit boni, quænam verò mali Spiritus Apparitio.

Porrò autem: Regula ſanè optima cenſeri debet ad hunc finem illa; quam tradit Sanctus Ignatius de Loyola, in ſuorum Spiritualium Exercitiorum aureo Libello. Tum quia, teſte ipſa experientia, tollit illa difficultates omnes, tum theoricas, tum practicas, in quas, in vſu ceterarum Regularum ab alijs ad eundem finem traditarum, incurratur;

ur; tum quia, per Sedem Apostolicam cum toto Libello comprobata est; vt ex Bulla Pauli III. Libelli eiusdem principio præfixa, manifestè patet.

67 Regula verò est in ordine septima inter illas; quæ prope finem dicti Libelli leguntur, sub hoc titulo. *Regulæ aliæ vtiles, ad pleniorem Spirituum discretionem*, &c. & sic habet. *Eorum, qui promouentur in bono salutis, animis; se insinuat vterque Spiritus diuerso modo: bonus quidem leniter, placide, ac suauiter; sicut aqua stilla in spongiam illabens: malus verò duriter, implacidè, & violenter, cum strepitu quodam; sicut imber decidens in petram: illis autem, qui in dies tendunt in deterius; oppositum prorsus vsu venit.* Et hactenus Regula.

Eius autem redditur ibi adæquata ratio, cùm subditur. *Cuius sanè diuersitatis ratio est; quatenus Angelo vtrilibet similis est, vel dissimilis animæ ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter Spiritus inuenerit; cum strepitu, & pulsu, qui facilè aduerti queat, ei se coniungit. Si conformem verò; tanquàm in propriam, & apertam domum, subit cum quiete.*

Ex qua Regula, illiusque ratione dilucidè colligitur: quòd, Spiritus bonus animis illorum, qui promouentur in bono, & ipsi Spiritui sunt similes, & conformes; leniter, placidè, ac suauiter se insinuat: animis autem illorum, qui non promouentur in bono, sed tendunt in deterius, & ipsi Spiritui sunt dissimiles, & contrarij, non conformes; cum strepitu, & pulsu, ac proinde cum timore, ac terrore se coniungit: & oppositum accidit, cùm vtrisque se consociat Spiritus malus.

68 Nunc iam, ad rem nostram conuertamur. Sed supponere inprimis quædam libet, creditu saltem possibilia, circa illam: quæ tamen sic facto contigisse, ipse quidem, neque nego, neque assero; Historicis, maximè verò infra citan-

citandis, talia prorsus relinquens. Hæc autem illa sunt. Si loquamur generatim; Copias Florentinorum, vel Etruscorum, secundò in Feltrios, & Pinnensem populum incursantes; in plerisque contra Iustitiam, & contra Charitatem fortè non egisse. Si speciatim; bellum iniustum, fortè non gessisse: bellum idem ex eo, quem sibi, vel Duces, vel inferiores milites fortasse constituerunt finem, vel ex alia quauis circunstantia; nullam fortè contraxisse malitiam: ac tandem, eosdem Duces, ac milites inferiores, qui contra Feltrios, ac Pinnenses tunc bellabant; voluntati diuinæ, saltem quantùm ad rationem voliti, fortè fuisse omnino conformes: hoc est, fortè voluisse particulare aliquod bonum, nimirum, victoriam contra ipsos Feltrios, ac Pinnenses, & in ordine ad finem vltimum, qui est Deus; atque adeò, voluntatem eorum, formaliter saltem, fortè fuisse bonam; atq; illos proinde, in ea fortè non peccasse. Ratio est. Quia contingit, vt aliqua voluntas bona sit, volens aliquod particulare bonum, & illud referens ad Deum; quod tamen Deus ipse nolit, homine illo, qui vult, hoc omnino nesciente: qui hac voluntate propterea non peccat. Quemadmodum, bona fuit, & sine peccato vllo voluntas Abrahami, qua, Genesis 22. voluit imolare filium suum Isaac, ex Obedientia; quod tamen Deus (vt euentus edocuit) re vera nolebat. Quibus de rebus videndus est Sanctus Thomas, 1. 2. q. 19. a. 10. & inter ceteros Reginaldus, lib. 13. num. 63. suæ Praxis Fori Pœnitētialis. Attamen: datis, & cōcessis huiusmodi omnibus, ac singulis; nihil penitus obstat: quin ijdem Etrusci in volito, quod erat, vt Pinnenses ipsi seruarētur indemnes, & incolumes, quæ Dei voluntas, tum ex Miraculo in primo Incursu patrato, de quo in secūda Quæstione iam egimus, tum ex eo, qui secundum Incursum secutus est exitus, bene inotescit; voluntati diuinæ non conformes, verùm

dissi-

dissimiles, essent, & omnino contrarij. Quocirca: in ordine ad hoc volitum, nequaquam promouebantur in bono; sed in deterius tendebant.

69 Hinc ergo clarissimè concluditur: quòd, Horrore, Formidine, ac Terrore posito, qui ex Apparitione, quam intuitus est, Vigili, seu Ductori fuit illatus; quique erat circumstantia, pro medio termino, huic argumento, siue probationi deseruitura; Ignatiana Regula stante, dicendum est: hunc effectum à Spiritu bono prouenisse; & ea propter, Apparitionem illam (quod probare intendebam) boni Spiritus fuisse. Quemadmodum (vt in exemplo paulò ante allato persistamus) Apparitio boni Spiritus ea certissimè fuit; qua Abrahamus, qui licèt in ratione politi diuinæ voluntati bene conformis esset, conformis tamen eidem, vt iam innuimus, non erat in volito; cum strepitu quodam, ac pulsu vocis, quem indicat geminatio illa, ***Abraham, Abraham***, qua vsus est Angelus; ne extenderet manum in puerum, fuit admonitus.

70 Sed vtinam sanè: quidam saltem ex Florentinorum, seu Etruscorum copijs; vel quidam ex eorum Ducibus; vel dictus ille Vigil, seu Ductor; vel alius quisquis; non fuerint hoc in bello verè diuinæ voluntati non conformes, in ratione voliti; quemadmodum, vt dictum est, verè fuerunt eidem non conformes, in volito! Ac proinde: vtinam, promoti tunc temporis verè non fuerint in malò formaliter, ac formaliter in deterius non tetenderint; sicuti quidē, neq; obscurè, sed clarè satis, ac super ostēdunt Historici, ad quos, iustis de causis recensere parcens in præsenti, quæ scribunt; Lectorem meum remitto! Hi verò maximè sunt: Paulus Iouius, tum, Historiarum lib. 19. tum in Vita Leonis X. lib. 3. pagina, in codice, quem legi, 159. Alfonsus Ciaconius, in Vita eiusdem Leonis X. Antonius Ciccarellus, in eadem Vita. Ioannes Bapt. Leonius, in Vi-

Vita Francisci Mariæ primi Vrbinatium Ducis Quarti, lib. 2. à pagina 171. & similes alij præterea. Qui, si vera dicunt; quis ea legens, aduertere non poterit; quanta vis addatur, ac robur iam positæ probationi?

Verùm, quicquid sit: robur, ac vis, quam etiam habet illa sine his, quámque iam vidimus; ad probandum, quod institueram, nimirum, Spiritus fuisse boni Apparitionem, qua de agimus; omnino sufficit.

71 Quod, si est ita; en, remanet ostensum, Apparitionem eandem fuisse Virginis Deiparæ. Quia, si boni Spiritus fuit; non alterius, quàm eiusdem Virginis fuisse, dici potest, imò debet, non paucis de causis: maximè autem: & quoniam, sic præ se ferebat Simulacrum apparens; & quoniam, sic semper à Pinnensibus est creditum; & fortiùs, quoniam, sic ille Vigil, qui mirabile vidit Spectamen, fateri demum, coactus est. Is enim, etsi primo aspectu (vt canentem obseruauimus alibi Mastinum)

Reginæ aduentum, Maiestatemque supernam
Pro nihilo pendit;

tandem tamen, vt idem addit, Deiparam ipsam alloquẽs;

——————— *Libuit tibi quando,*
Virgo benigna, oculos simulac reserare furentes;
——— *A visu totus titubatque, tremitque,*
Intuitusque, Ionis Matrem te, ait, esse nouelli.

Quid clarius? sed procedamus ad reliqua.



§. IV.

§. IV.

Sex Dubitationes proponuntur, ac soluuntur, circa eandem Apparitionem, de qua tractamus.

PRædictis igitur tribus, de huiusmodi Apparitione, iam conclusis, ac firmatis; Dubitationes adhuc restant sex, de illametipsa proponendæ, ac soluendæ. Quocirca: dubitatur

Primò. Cuiusnam fuerit illa speciei,
Secundò. A quonam fuerit effecta.
Tertiò. Quo modo.
Quartò. Quid Apparitio talis præcisè fuerit,
Quintò. An eadem Apparitio fuerit Miraculum respectu totius naturæ: non solùm, scilicet, respectu naturæ inferioris; sed respectu superioris etiam,
Sextò. Quem gradum inter Miracula sortita sit.

At verò, Paragraphus de more distinguendus est.

DISTINCTIO PRIMA.

Soluuntur prima, & secunda Dubitatio.

72 QVantùm ad primam Dubitationem: Respondetur primò. Apparitionem indiuiduam, de qua tractamus, fuisse Personalem; non est vllatenus putandum.

Hoc probant, quæ dicta sunt supra, tum Quæstione 2, Sect. 1. §. 6. dist. 1. tum his ipsis, & Quæstione, & Sectione, §. 1. num. 6.

Re-

Respondetur secundò. Apparitio eadem profectò non fuit Intellectualis, neque Corporalis vera speciei alicuius: sed, vel Corporalis Phantastica, vel Spiritualis, & Imaginaria.

Prima pars probatur ex eo: quòd, Intellectualis Apparitio sensibilem omnem Imaginem, & omne Simulacrum, vt supra diximus, excludit.

Secunda verò pars ea ratione probatur. Quòd, quæ verè corporalia sunt, atque ita sunt extra videntem; regulariter cernuntur ab omnibus: quemadmodum, Quæstione præcedente, Sectione 1. num. 27. statuimus, ex Sancto Thoma, loco ibi citato; qui potest etiam videri circa eandem rem, 3. p. q. 76. a. 8. c. Apparitio autem prædicta non ab alio visa est; quàm ab ipso Vigile, seu Ductore, cui fuit exhibita: sicut ipse in Procemialibus retulit Mastinus, & supra nos ipsi, explicantes circunstantiam Apparitionis, circa Pinnenses; repetiuimus.

73 Et hîc, non quadrat illa regulæ huius exceptio, quam pro Radijs lucidi Corporis visis ab hostibus, & non visis à Pinnensibus; eadem Quæstione præcedente, afferebamus. Non fuisset enim nociuus Pinnensibus intuitus talis Apparitionis; vti nociuus fuisset Radiorum illorum intuitus. Et propterea: non oportet hîc ponere, quòd Virtus illa, quæ Apparentem Imaginem operata est, operata fuerit etiam, ne Pinnenses illam viderent; vti positum est ibi, quòd Virtus, quæ Corpus emittens Radios fuit operata; operata fuerit etiam, ne Pinnensium oculi ab illis Radijs percuterentur. Vnde relinquitur, esse omnino dicendum; Apparitionem verè Corporalem non fuisse.

Posito autem, & probato, quòd Apparitio, neque Intellectualis fuerit, neque Corporalis vera; necessariò sequitur, quòd fuerit, vel Corporalis Phantastica, vel Spiritualis, & Imaginaria: quæ Responsionis erat pars tertia.

Sic

Sic enim, inductio à sufficienti particularium enumeratione conuincit.

74 Dicet aliquis. Huiusmodi Apparitio, si stari debet verbis Mastini; Imaginaria, & Spiritualis esse non potuit. Mastinus enim canit:

Cui tu, Diua, tuum semper miserata popellum,
Visendam temet sæpe offers, inter eundum, &c.

Vnde: si perpendamus illud, *visendam*; infertur, circa Apparitionem oculos Vigilis, vel Ductoris operatos esse; seu potiùs (vt dicamus rectiùs) esse passos: & cùm, inter vigilandum, facta sit, eodem canente Mastino,

Ast Vigil, ad quartam castris qui præfuit horam,
Vectus equo, totum, socio comitante sagaci, &c.
Perlustrat Castrum; & toto passim vtitur Argo;

non videtur, esse ab oculis ad imaginationem transferenda, visio ipsa oculorum. Satis igitur erat, in Responsione statuere, fuisse Apparitionem, de qua disputamus, ***Corporalem Phantasticam***, quæ fit, ex supradictis, per oculorum immutationem; neque oportebat addere, ***vel Imaginariam***; quæ fit, ex dicendis, per immutationem imaginatiuæ.

Sed obiectioni fit satis hoc modo. Quòd, nimirum, hîc statur quidem in omnibus ipsius Mastini verbis: & quòd, illa nihil obstant Imaginariæ Apparitioni. Talis enim Apparitio, quemcunq; reperit occupatum circa sensibilia, nẽpe, vigilantem; prorsus abstrahit: atq; eum perinde reddit, ac si sensibus externis nihil sentiret; vel, ac si, quæ offeruntur imaginatiuæ, ipsis oculis externis, & sensibus perciperet; eo prorsus modo, quo fit in phreneticis. Addiri potest circa hæc Sanctus Thomas, tum 1. p. q. 111. a. 3. c. tùm 2. 2. q. 174. a. 3. c.

75 Quantùm ad Secundam Dubitationem;

Respondetur. Apparitio fuit ab aliquo Angelo effe-

cta:

cta: & (vt facilè credi potest) ab Angelo ipso Pinnæ Billorum Custode: ac propria quidem virtute: sed tamen illuminante, atq; imperante ipsa Dei Genitrice, ac proinde ipso Deo, quem priùs eadem Genitrix fuerit precata; cuiúsq; propterea virtus naturalem eiusdem Angeli virtutem compleuerit. Quæ omnia dicta sunt etiam, & probata diffusiùs, Quæstione præcedente, Sectione prima, à num. 45. & deinceps per multos alios, circa Corpus lucidum; cuius Radijs percussi sunt oculi hostium in primo Incursu. Et ideò, quæcunque ibi ad eum finem adducta sunt; ad hæc etiam firmanda, ac dilucidanda, quæ nunc dicimus; omnino sufficiunt.

DISTINCTIO SECVNDA.

Soluuntur tertia, quarta, quinta, & sexta Dubitatio: & in solutione tertiæ declaratur, quo modo fiant somnia.

QVantùm ad Tertiam Dubitationem:
76 Respondetur primò. Si dicamus, Apparitionem hanc fuisse Imaginariam, vel Spiritualem; eo penitus modo illa fuit effecta, quo fiunt somnia.

Somnia verò quo modo fiant (etsi Philosophorum opiniones hac in re diuersæ sint) ego tamen à sententia ipsius Aristotelis, quam Peripatetici communiter sequuntur; non puto recedendum. Aristoteles ergo, modum explicando, quo fiunt Somnia; libro De Somnijs, cap. 3. habet hæc verba. *Cum animal dormit: descendente plurimo sanguine ad principium sensitiuum; condescendunt, & mouent, qui insunt motus: hi quidem potestate; illi verò actu*, &c.

77 Pro

77 Pro quorum verborum intelligentia; notandum: quod,

Per, *sanguinem*; intelliguntur ſpiritus illi, quos, loco proximè citato, ſenſuales vocat Sanctus Thomas; Medici verò, paſſim, animales nuncupant. Qui dicuntur ſanguis; quia ſpiritus nihil aliud ſunt, quàm tenuiſſimæ particulæ ſanguinis purioris, vel vapores quidam, qui ſint eleuati ex ſanguine: ſecundùm quòd Conimbricenſes, in librum Ariſtotelis, De Somnijs, cap. 1. & Paulus Vallius in ſuis Manuſcriptis, quæſtione, De Spiritibus animalis, concluſ. 2. tradunt.

Hi Spiritus dicuntur, *condeſcendere*; quia, in ſomno phantaſia ſemper negotiatur circa illa, quæ ſpectant ad ſe: vt ait Iauellus, in epitome, De Somnijs, capite 2. Vnde, propter continuum hoc negotium dixit Auicenna, in 6. Natural. apud eundem Iauellum, ibidem; quòd anima, dum ſpeculatur, in continuo labore, propter imaginationem, ſemper eſt. Niſi enim ratio forti cohibeat eam imperio, multiplices diſtractiones iugiter ſubminiſtrat; quæ illum animæ laborem efficiunt. Per huiuſmodi autem phantaſiæ negotiantis actionem; neceſſe eſt: vt partis eius, quæ organum dicitur eiuſdem phantaſiæ; motus aliquis fiat. Et quoniam, ſenſuum omnium organa ſpiritibus multis referta ſunt, vt per ipſos, tanquam per media quædam, ſuis fungantur officijs (quod Andreas Laurentius aſſerit, Hiſtoriæ Anatomicæ lib. 10. q. 7.) neceſſe pariter eſt: vt, ad motum phantaſiæ, moueantur etiam ijdem ſpiritus; qui propterea dicũtur, *cõdeſcendere*. Præterquam quòd: vtens hoc verbo, *condeſcendunt*, ad illos ventriculos alludit forſan Ariſtoteles; quos, vnum alteri ſuperiorem, ac proinde, ex vno ad alterum, vel aſcenſum, vel deſcenſum requirentes, in cerebro collocant (vt eodem libro capite 10. videre licet apud eundem Laurentium) Anatomiſtæ;

quósq; tum Peripatetici communiter, & inter illos maximè, 3. De Anima, q. 7. Cardinalis Toletus; tum plerique Medici, præsertim, contra Galenum, & sequaces Arabum Schola (sicut ibidem, quæst. 2. idem testatur Laurentius) interiorum sensuum esse organa; contendunt.

78 Per, ***principium***, verò, ***sensitiuum***: in eo fere conueniunt Aristotelis Expositores, vt intelligatur ille sensus interior; quem sensum communem appellant. Sic Iauellus, Conimbricenses, & Sanctus Thomas, citatis locis.

Per eos autem, ***qui insunt motus***; intelliguntur impressiones, vel species ex sensibilium motionibus relictæ: quæ in spiritibus, quos vel sensuales, vel animales dicunt; conseruantur. Ita Sanctus Thomas, ibidem, & optimè. Hac enim in re, consentiunt etiam Anatomistæ; vt legi potest, apud eundem Laurentium, eadem quæst. 7. vbi sic ait. *Spiritus hi* (loquitur de spiritibus animalibus) *rerum omnium species ab externis sensibus perceptas; ad cerebrum transuehunt, tanquam censorem, & iudicem: ijdem rerum externarum imagines in cerebro conseruant*, &c.

Per illud tandem, *hi quidem potestate, alij verò actu*; intelligitur (ex Themistio, cap. 17. suæ Paraphrasis, vt referunt Conimbricenses, loco citato) quòd quædam imagines, vel dicamus impressiones, vel species, nobis dormientibus, cunctantur, & torpent; aliquæ porrò præsto sunt, ***principiumque sentiendi***, sensum, scilicet, communem ad ipsarum vsum excitant, & commouent. Vnde patet insuper; quid intelligatur, per illud, ***mouent***.

79 Ex quibus omnibus manifestè colligitur; quòd, per suprascripta verba, significare nobis hoc intendit Aristoteles: nimirum: quòd, cùm dormit animal, negotiantur semper Phantasia circa suas, vel impressiones, vel species, vel imagines; & ob id, existente illa semper in motu; necesse est: quòd moueantur etiam spiritus ipsius animales, vel

vel ſenſuales, in quibus eædem, vel impreſſiones, vel ſpecies, vel imagines inſunt: & deſcendant propter hunc motum; ad principium ſentiendi, ac ſenſum communem: illúmque concitando, ac mouendo, efficiant; vt fiant ſenſationes: eo prorſus modo, quo pariter fiunt; cùm idem principium ſentiendi, ac ſenſus communis à ſenſibilibus exterioribus excitatur.

Et hinc fit: vt tunc exteriora ſenſibilia videre, ſibi videatur homo; tametſi abſentia ſint: puta: ſibi videtur dormiens, & loqui, & ambulare cum Socrate, & inuenire theſaurum, & ſexcenta eius generis agere, quæ re vera non agit; quemadmodum ait Commentator, apud Iauellum, loco citato.

Et hic eſt modus; quo, ſecundùm Peripateticos, & Ariſtotelem, fiunt ſomnia. Ac proinde: Si Apparitio Dei Genitricis, de qua diſſertamus, fuit Imaginaria; hic eſt etiam modus, quo, per operationem Angelicam (Angelis enim ad nutum obediunt corporalia, ſicut in præcedentibus fuit oſtenſum Quæſtionibus) illa omnino effecta eſt.

Fecit ſiquidem Angelus in illo Vigile, ſeu Ductore, vt à phantaſia ipſius, in ſpiritibus cuius conſeruabantur ſenſibiles, vel ſenſibilium ſpecies; hæ reuerterentur ad ſenſum communem: atque ita, per talem regreſſum facta eſt Dei Genitricis Apparitio, cum ſuis circunſtantijs; poſito, quòd fuerit Imaginaria. Videatur Sanctus Thomas, proximè citato loco.

80 Reſpondetur ſecundò. Si dicamus, Apparitionem fuiſſe Corporalem Phantaſticam; illa poteſt effecta fuiſſe, vno ex duobus, qui ſequuntur, modis: nimirum.

Vel primò. Per vehementem commotionem ſpirituū viſualium; ab eodem Angelo, modo ſupradicto, procuratam. Qua de re, legi debet Sanctus Thomas, loco cita-

to, a. 4. Hanc autem commotionem facere, vt res videatur aliter, quàm sit, vel ea, quæ non sit; ostendit oculorum compressio: quæ, non solùm in lumine res facit videri geminatas, hoc est, aliter, quàm sunt; sed in tenebris præterea facit, quasdam videri, quasi noctilucas; quæ re vera non sunt. Experientia testatur hæc: & illorum causas, Problematum sect. 3. problemate 20. visualium commotioni spirituum Aristoteles adscribit.

Vel secundò. Per regressum specierum sensibilium, quæ erant in phantasia dicti Vigilis, ad organum visus; nempe, ad oculos: quæq; sic eos perinde commutarint; ac si ad eos è rebus externis re vera delatæ fuissent: quemadmodum quidem accidit, quando rei externæ vera fit sensatio. Est doctrina Sancti Thomæ, in 2. Sentent. dist. 8. quæst. vnica, a. 5. ad 4.

Quantùm ad Quartam Dubitationem:

81 Respondetur. Clarè colligitur ex modò dictis, Responsione ad Tertiam: quòd, si dicamus Apparitionem fuisse Imaginariam; illa nihil fuit aliud, nisi specierum præ se ferentium Dei Genitricis, cum suis illis Comitibus, imaginem; ad sensum communem à phantasia, regressum. At verò: si dicamus, Apparitionem fuisse Corporalem Phantasticam; illa, vel fuit aliquid, ex visualium spirituum commotione resultans; vel sensibilium species ad oculos à phantasia reuersæ: quarum duarum rerum, Dei Genitricem, cum Filiolo, & Heroidum Choro comitante; repræsentaret alterutra. Quæ sanè sunt adeò clara, vt probatione, vel explicatione vlla non indigeant.

82 Quantùm ad quintam Dubitationem:

Respondetur. Ex omnibus, quæ in hac Sectione dicta sunt adhuc, prorsus palam est: quòd, Apparitio hæc verè fuit Miraculum: nec solùm respectu naturæ inferioris; verùm respectu etiam naturæ superioris, & Angelicæ: atque

que adeò, reſpectu totius naturæ creatæ.

Et reſpectu quidem naturæ inferioris; hoc ipſum duæ rationes optimè probant, quas adduximus iam ſupra, num. 13. & 14. cùm oſtendimus; Apparitiones veras, ac propriè dictas, naturaliter, & vi naturæ inferioris, fieri non poſſe: quæ idcirco rationes ibi videndæ ſunt.

Reſpectu verò naturæ Angelicæ; ratio, quæ tantùm in præſentia deſiderari videtur, ea eſt. Quia, licèt Angelus eam effecerit propria virtute; ad talis tamen ſuæ virtutis complementum, neceſſaria fuit diuina virtus, & imperiū: illo planè modo, quo, ſuperiore Quæſtione, num. 51. & deinceps per nonnullos alios, accidiſſe demonſtrauimus; circa Lucidi Corporis efformationem. Quare videantur ibi dicta; quæ ſanè hoc, atque illud, æquè probant intentum.

83 Quantùm ad ſextam Dubitationem, quæ quidem eſt vltima:

Reſpondetur. Ex ijſdem, quæ, proximè citato loco, dicta ſunt; patet etiam, quis gradus inter Miracula, Miraculoſæ huic Apparitioni conueniat. Reſpectu ſiquidem naturæ inferioris; conuenit illi gradus infimus. Exceſſit enim facultatem naturæ ipſius inferioris, quantùm ad modum, & ordinem faciendi; quod conſtat ex ijs, quæ dicta ſunt, cùm ab illa excludebantur Apparitiones naturales, & artificiales. Reſpectu verò naturæ ſuperioris, & Angelicæ; conuenit illi, qua parte virtutem, & facultatem naturalem Angeli non exceſſit; ſecundùm ſe, nullus gradus inter Miracula; quod patet: ſed, quò ad nos, eâdem parte, conuenit illi infimus gradus, vt modò dicebamus. Qua parte autem facultatem, & virtutem naturalem Angeli exceſſit, ita vt, tanquam dictæ facultatis, & virtutis naturalis complementum, neceſſarium fuerit diuinum imperium, & diuina virtus, ad Apparitionem efficiendam;

dam; conuenit illi, inter Miracula, supremus gradus: quippe quæ, ex hac parte, excedat facultatem naturæ, quò ad substantiam facti. In huiusmodi verò declarandis, & comprobandis; iam non videtur, ampliùs immorandum: cùm ad hoc ipsum satis ea, supérque sint; quæ, citato loco, & alibi supra, de hac materia scripta sunt, perquamdiffusè.

Et hæc de prima Sectione.

SECTIO SECVNDA.

Examinatur Persuasio, qua vsus est ad suos Dux, vel Vigil ille, cui Apparitio fuit exhibita; & ipsius effectus.

HAnc Sectionem in Paragraphos non dispertiam, quia nimiùm diffusa non est.

1 Refert autem Mastinus (vt iam in Proœmialibus vidimus) hactenus explicatæ Apparitionis effectum. Et hic certè in sequentibus consistit. Primùm. Vt huiusmodi Vigil, siue Dux, vbi Dei Matrem esse, quæ sibi apparuerat, per incussum sibi timorem, confiteri coactus fuit; confestim, eadem ipsa nocte, qua hoc ipsum contigit; ad Podium Catonem, qui Agri Pinnensis Pagus est, vbi sui Etrusci statiua sibi fecerant castra; properauerit. Deinde. Vt ibi, ab obsidione discessessum illis persuadere; fuerit conatus. Post hæc. Vt idipsum, non quidem cogens: verùm, aliqua tantùm cum arte suum proponens consilium, ita obtinuerit; vt nullus, in ipso etiam obsidionis progressu, contradixerit. Ac tandem. Vt orta luce, quemadmodum, eo persuadente, superiore nocte, concordissimè decreuerant; ijdem Etrusci omnes, concordissimè pariter cum illo, discesserint. Nunc

Nunc verò, Quæritur. Quid dicendum de hoc Discessu: qui quidem tam subitò, támque immediatè Persuasionem istiusmodi, non sanè cogentis, sed suum Consilium, aliqua cum arte duntaxat, proponentis; quasi quidam illius effectus, fuit subsecutus.

Qua in re,

2 Certum est primò. Quòd, Persuadens mouet voluntatem alterius ab exteriori, & ex parte obiecti tantùm: ostendendo, nimirum, ipsius bonitatem: non autem, ex parte potentiæ; hoc est, efficiendo ab interiori, vt voluntas operetur, seu, quod idem est, vt voluntas inclinetur in rem volitam. (Nihil enim aliud est operatio uoluntatis, nisi quædam ipsius in uolitum inclinatio.) Siquidem, sic ab interiori creatam immutare uoluntatem, solius Dei est; qui naturæ intellectuali talis inclinationis dat uirtutem. Nam, sicut inclinatio naturalis non est, nisi à Deo, qui dat naturam, seu uirtutem, quam consequitur inclinatio naturalis; ita inclinatio uoluntatis non est, nisi à Deo, qui uoluntatem, seu uolendi uirtutem causat. Mouere autem uoluntatem alterius, ab exteriori, & ex parte obiecti; quod facit, & ipsum bonum, quod est uoluntatis obiectum, & qui demonstrat aliquid esse bonum; stat dupliciter: idest, & sufficienter, uel efficaciter; & aliqualiter. Sufficienter quidem, & efficaciter solus Deus potest mouere uoluntatem: tum, quia solus Deus est bonum uniuersale, quod solùm sufficienter, & efficaciter mouet uoluntatem, ab exteriori; tum, quia solus Deus demonstrat, & ostendit, tanquam bonum vniuersale, se ipsum, vt se ipsum, tanquam idem bonum, per essentiam videant Beati; iuxta illud Exodi 33. *Ego ostendam ti bi omne bonum.* Quare: Persuadens, qui non est Deus; solùm aliqualiter, mouere potest voluntatem: quatenus, nimirum, aliquo modo, non tamen sufficienti omnino, & efficaci; ostendere potest obiecti ali-

cuius, non vniuersalem; sed particularem bonitatem. Doctrina hæc est Sancti Thomæ, 1. p. q. 105. a. 4. q. 106. a. 2. & q. 111. a. 2. c. & alibi.

3 Certum est secundò. Quòd Persuasio dicti Vigilis, vel Ducis non fuit pura, & simplex Persuasio: sed mista cum Consilio. Persuasio siquidem est accommodatio quædam probationum, quæ possunt auditores, ad aliquid faciendum, inducere: vt, ex ijs, quæ habet Aristoteles, lib. 1. Rhetoricorum, cap. 4. & Marinellus in eiusdem capitis explanationibus; colligitur. Dictus autem Vigil, seu Dux, non solùm accommodauit rationes, loquendo cum suis, quæ illos possent inducere, ad discedendum ab ipsa obsidione, quæque legi possunt in Procemialibus, in Carmine, De secundo Incursu; sed præterea proposuit illis Consilium suum. Vnde, indirectè referendo illius verba, sic ait Mastinus.

Aggressus malè, quàm desistere Consilio non
Incepisse suo, satius fore, &c.

4 Certum est tertiò. Quòd, Consilium, ex vi sui nominis, propriè importat collationem inter plures habitam circa ea; quæ sunt à nobis agenda. *Dicitur enim Cōsilium, quasi Considium; eo quòd multi consident, ad simul conferendum*: vt scribit Sanctus Thomas, 1. 2. q. 14. a. 3. 4. & 5. Hæc tamen collatio Quæstionem præsupponit, & includit. Quia, quò ad rem, Consilium non est aliud; nisi Quæstio siue Inquisitio quædam: vt habet idem Sanctus, Thomas, ibidem, articulo primo. Vnde dicebat Aristoteles, Ethicorum lib. 3. cap. 3. quòd, *Qui consultat, quærere videtur, & resoluere*. Atque adeò: si circa Cōsilium, nominis, & rei definitio in vnum componenda sunt; Consilium consistit in eo, quòd, Inter plures proponatur aliqua Quæstio, circa quam vnusquisque proferat, conferendo, suam sententiam; vt inde possit ferri iudicium & tandem eligi.

eligi. Si ergo: quod, communicando cum suis, dictus Vigil, siue Dux proponebat, nempe, *Consilio suo satius fore malè aggressis, incepisse pugnam, quàm ab ea non desistere*, Consilium appellari debebat reuera, quemadmodum appellauit, & ipsemet; requirebat præterea, quòd, sicut ille, Quæstione supposita, *Num, scilicet, ab obsidione recedendum esset*, suum Consilium, & suam Sententiam contulit cum suis; sic sui suum, & suam conferrent cum illo: vt sic, processus verè esset, ac dici posset Consilium; collatio, nimirum, inter plures circa id, quòd vertebatur in dubium. Et talis est, solitus Consilij cursus, & ordo.

5 Certum est quartò. Quòd, si dictus Vigil, seu Dux contulit cum suis Consilium suum, vt dictum est; illis, videlicet, proponendo, *Satius esse male aggressis, incepisse pugnam, quàm ab ea incepta non desistere, atque adeò, satius esse, tunc discedere*; sui tamen suum Consilium cum illo non contulerunt: quod tamen facere profectò debuissent.

Tum: Quia, in particularibus contingentibus, de quibus mouetur Quæstio propter eum finem, vt certi aliquid cognoscatur; conditiones, vel circunstantias plures considerare oportet. Has autem, quemadmodum, ab vno considerari, facilè non est; ita certiùs percipi à pluribus, dum, quod vni non suppetit, occurrit alij; videtur manifestum. S. Thomas, 1. 2. q. 14. a. 3. c.

Tum: Quia, non tam facilè, ac subitò, referenti Visum, & Apparitionem insolitam, credere debebant. Quia, *Qui citò credit, leuis est corde*. Ecclesiastici 19.

Tum: Quia, Prudentes huius sæculi, in consultando, potiùs temporales rationes considerant; quàm spirituales, & æternas, ad quas considerandas (ex ipso Sancto Thoma, 2. 2. q. 52. a. 2. c.) ponitur ipsum donum Consilij. Quocirca, insolitum videtur; quòd milites, ac militum Duces,

ces, pro ratione ad discessum inductiua, quidpiam æterna respiciens, & quidpiam spirituale, prædictam, nempe, Apparitionem; considerauerint.

Tum tandem: Quia (vt dicitur, Prouerbiorum 24.) *Cum dispositione initur bellum; & erit salus vbi sunt multa Consilia*. Ex quibus verbis colligit Sanctus Thomas, 2. 2. q. 50. a. 4. in, *Sed contra*, dari Prudentiam militarem. Ex ijsdem ergo verbis, militaris Prudentia requirebat multa Consilia.

6 His tamen haud obstantibus: Etrusci illi omnes, audito Consilio dicti Vigilis, vel Ducis, nihil prorsus contradicendo, sed statim omnino conuicti, & immutati, pro omnibus ipsorum vno verba faciente, concordissimè responderunt, ex Mastino; in sequentem modum.

——————— Etrusca
Gentis, & ò Patria specimen, spes vna, salusque,
O procerum permagne; meo commissa Senatu
Summa tuis rerum est humeris: tibi Martis habenas
Credidit: Auriga es belli: tua iussa sequemur, &c.

Quibus dictis; ea, quæ ad discessum pertinerent, statim parari sunt cœpta. Quare, sequitur Mastinus.

Dixerat. Extemplo Tubicen caua timpana pulsat,
Acciti veniunt coram, quis talia mandat.
Ite citi, cunctis edicite: Signa sequatur,
Diluculo sub, quisq; sua, atq; hac castra relinquat. &c.

7 Certum est quintò. Quòd, cùm dictus Vigil, seu Ductor, persuadendo, & Consilium dando, vt dictum est, suos, ad desistendum, & discedendum, induxit; quanquam tunc temporis ipsa Pinna oppugnari non adhuc incepta fuerat; iam tamen ipsius obsidio procedebat: imò, & præcesserat impetus primus, qui in Billorum Arcem institutus est fieri. Mastinus enim, primò narrat ordinem, ac dispositionem hostilium copiarum, Arcem Billorum, ac

Pin-

Pinnam circumuallantium; & ea, quæ hostiles huiusmodi copiæ, Billorum in Arcem irruentes, tentauerunt: deinde, prosequendo Historiam, Dei Genitricis Apparitionem refert; quæ Vigili, siue Ductori fuit exhibita: ac tandem eiusdem Vigilis, vel Ductoris Persuasionem percenset; quam examinamus, in præsentia. Quorum duo prima, non ipsius quidem verbis Mastini: sed summatim ex illis, nos iam in Proœmialibus expressimus. De secundo autem illorum, si quis vlteriùs audire vellet etiam verba Mastini, vt cognoscat vera esse quæ dico; en illa

Post Bilium paulò, densis pertundere Molem
Incipiunt bombis. Reboans penetralibus echo
Excita saxigenis, resono quatit omnia pulsu.
Ascensus rapitur, properant per deuia, Rupem
Scandere Signiferi, & Montis superare cacumen;
Stertentem, si fortè queant. cessisse loco, vel
Ingressum reperire, suo custode carentem.
Quos citiùs dicto casuros, saxea grando
Euertens, pedibus glomerauit ad ima supinis.

Vnde necessariò concluditur: quòd Etrusci fuerunt moti, atque inducti, ad discedendum, eo momento; quo erat obsidio in progressu, & impetus vnus iam factus, vt dixi.

8 Certum est sextò, & vltimò. Quòd, cùm alicuius voluntas repentè, præter solitum cursum, & ordinem, & quando est in progressu contrarij motus, immutatur; talis immutatio prorsus est Miraculosa. Quod manifestè intelligitur, in Conuersione Sancti Apostoli Pauli: quæ, propter has causas, nimirum, quia repentè, ac subitò, & præter solitum cursum, & ordinem, & quando erat ipse Apostolus in progressu persecutionis Ecclesiæ, ac peccati, contigit; ab eadem Ecclesia, tanquam Miraculum, celebriter commemoratur. Sic aduertit Sanctus Thomas, 1.2.q.112. a.2.ad 2.& q.113.a.10.c.

Atque

Atque ex his omnibus omnino palam est; quid sit respondendum, ad Quæstionem propositam.

9 Respondetur enim. Effectus, qui dicti Vigilis, vel Ducis Persuasionem est subsecutus, discedendi, nempe, Decretum, quod ea ipsa nocte factum est, cùm Persuasio contigit, & manè, orta luce, demandatum executioni; verè, ac propriè fuit Miraculum.

Et ratio conflata ex ijs, quæ, tanquam certa, præmisimus; hæc est. Talis effectus excessit vniuersæ naturæ creatæ, atque artis vires; quantùm ad id, in quo factus est, & quantùm ad modum faciendi, quin etiam aliqualiter, quãtùm ad substantiam facti. Ergo, verè, ac propriè fuit Miraculum.

Quòd, excesserit vires naturæ creatæ, & artis aliqualiter, quantùm ad substantiam facti; ostenditur ex primò Præmisso. Quia, nimirum, Persuasio humana, imò, & Angelica insufficiens per se, & inefficax est, ad mouendam alicuius voluntatem; qui Persuasionis est effectus. Vnde, multoties effectum nullum producit: &, siquando producit, per accidens valde illum producit; quæ clara sunt.

Quòd, excesserit easdem artis, & naturæ vires, quantùm ad id, in quo factus est; ostenditur ex Præmissis quinto, & sexto. Esto nanque, Persuasio humana mouere voluntatem alicuius aliquo modo possit; & moueat aliquando, re ipsa: quando tamen aliquis est, in ipso progressu contrarij motus, vt vidimus in Conuersione Sancti Apostoli Pauli; hoc prorsus non potest. Etrusci porrò: cùm, ad desistendum ab obsidione, persuadebantur; erant in progressu motus Persuasioni eidem omnino contrarij: quod manifestè patet.

Quòd demum, excesserit iam dictas, & naturæ vires, & artis, quantùm ad modum faciendi; ostenditur ex Præmissis reliquis. Quia, scilicet, factum est huiusmodi De-

cre-

cretum, præter ſolitum in ſimilibus conſultandi curſum, & ordinem, de quibus in Præmiſſis tertio, & ſecundo, & quia pariter factum eſt immediatè, ac ſtatim, ac nullo cõtradicente, cùm maximè contradicendum eſſet, & modis iiſdem executioni quoque demandatum; de quibus in quarto Præmiſſo.

10 Nunc explicandus reſtat huius Miraculi gradus. Verùm, ex dictis in ratione Reſponſionis elicitur facillimè; pertinere Miraculum hoc aliqualiter ad primum gradum; & prorſus ad ſecundum, ac tertium. Aliqualiter ad primum gradum; quatenus aliqualiter, quantùm ad ſubſtantiam facti, naturæ vires excedit, & artis. Prorſus ad ſecundum; quatenus eaſdem vires prorſus excedit, quantùm ad id, in quo factum eſt. Denique, prorſus ad tertium; quatenus eaſdem vires prorſus excedit, quantùm ad modum faciendi.

Atque hunc finem habeat ſecunda Sectio.

SECTIO TERTIA.

Examinatur Percuſſio plumbearum baccarum è ſclopis exploſarum, pannis ipſis illæſis.

NEc etiam diuidenda in Paragraphos eſt huiuſmodi Sectio; propter eam rationem, quam in ſecunda iam tetigi.

1 Hæc ſunt autem, quæ, ſuper tali plumbearum baccarum Percuſſione, ſcribit Maſtinus.

—————————— De millibus ictis
Nemo quòd in tanto rerum, belliqne tumultu
Lethifero cecidit ſclopo. Res mira! Cadebat

Bac-

Bacca, sed illaeso percussit plumbea panno.

Circa quæ:

2 Primò, debet poni pro certo. Quòd explosio plũbearum baccarum è sclopis, ac totus earum celerrimus motus; rarefactione causatur. Incensus enim puluis pyrius repentè in sclopis; repentè quoque rarefit: cùm calor laxet, & rarefaciat; ex Aristotele, De Generatione animalium, lib. 5. cap. 3. Vnde, illo sic rarefacto, necesse est: vt vna ipsius pars magno impetu impellat aliam post aliã deinceps; & consequenter baccas plumbeas explodat è sclopis; & sic explosas moueat, & portet ea celeritate admirabili; quam ipsa nos experientia docet. Quod quidem eo prorsus accidit modo, quo exhalationes, quæ à frigore noctis in vallibus fuerant condensatæ; manè, à Sole oriente calefactæ, rarefiunt. Vnde sequitur, vt earum prima pars rarefacta impellat vicinam, & vicina reliquam successiuè; & ita fiat ventus quidam. Quam ob causam (quod etiam tangit Aristoteles, Problematum sect. 26. problemate 34. & 35.) manè solet, oriente Sole, spirare vt plurimum aliquis ventus. Et de his omnibus bene, ac doctè, vt semper, differit Paulus Vallius in suis Manuscriptis ad secundum Meteororum, parte 2. quæst. 4. conclus. 1. Ex quibus concluditur: quòd, licèt baccæ plumbeæ de sclopis explodantur per artem, quod patet; hæc tamen explosio, & ipsarum citissimus, & impetuosus motus, sicut causam habet naturalem, nimirum, rarefactionem, & ignis calorem; sic naturalis est effectus. Nihil enim prohibet, artem vti aliquibus naturalibus causis, ad producendos naturales, & veros effectus; vt ex Sancto Augustino, lib. 3. De Trinit. cap. 8. tomo 3. docet Sanctus Thomas, 2. 2. q. 77. a. 2. ad 1. & nos alibi notauimus.

3 Secundò, debet poni pro certo. Quòd, Angeli, & multò minùs homines, non possunt directè impedire actionem

nem agentis naturalis; ad agendum, habentis omnia requisita. Hoc enim non est aliud, nisi, vel ab ipsis naturalibus agentibus, agendi auferre, siue suspendere virtutem; vel ab ijsdem subtrahere concursum, ad agendum, applicantem. Non potest autem auferre, siue suspendere virtutem agendi, vel subtrahere concursum, ad agendum applicantem; nisi tantùm, qui dat, vel qui dare potest huiusmodi virtutem, & huiusmodi concursum. Cùm, etiam in moralibus, in regimine, v. g. Reipublicæ, illius tantùm sit, potestatem iudicandi auferre, vel suspendere, vel moralem, ad iudicandum applicantem, subtrahere cõcursum; qui eandem potestatem, eundémque concursum, & præstare potest, & præstat. At verò: solus Deus est, qui naturalibus agentibus, & dat, & dare potest agendi virtutem, & eadem applicat, & applicare potest, ad agẽdum; quemadmodum, cum Sancto Thoma, tradit Caietanus, 1. p. q. 105. a. 4. ac de se patet manifestè. Solus ergo Deus est, qui à naturalibus agentibus auferre, vel suspendere virtutem potest agendi, & applicantem, ad agendum, subtrahere concursum ab ijsdem. Atque adeò, solus Deus est; qui directè potest impedire naturalis agentis actionem, habentis, ad agendum, omnia requisita.

Ponit conclusionem istiusmodi Martinus Delrius, Disquisitionum Magicarum libro 2. quæst. 10. quam, etsi reliquerit ipse improbatam; inferunt tamen, ac probant hîc à nobis iam dicta.

Qui addit ibidem vlteriùs: quòd, conclusione posita non obstante; possunt Angeli, siue boni, siue mali, & aliqualiter etiam ipsi homines, naturalis agentis habentis omnia, quæ requiruntur, ad agendum, actionem impedire indirectè: & dupliciter, ait ille; nos tamen addimus, tripliciter.

Primò. Adhibendo contrariam causam: atque ita, si ma-

magneti admoueatur adamas; impeditur magnes, ne attrahat ferrum.

Secundò. Per interiectionem rei cuiuspiam inter agens, & passum: & sic, armati, v. g. galea, thorace, clypeo, & similibus; per interiectionem huiusmodi armaturarum, impediunt ictus iaculorum, ensium, & generis huius aliorum, ne se ipsos feriant.

Vltimò. Per celerem, & violentum interiecti aëris motum: quemadmodum, inter nos, & ignem aëre moto; impeditur fumus, ne nostris noceat oculis.

4 Tertiò, debet poni pro certo. Quòd, apud homines nulla reperitur ars licita, qua, non adhibitis armaturis adhiberi solitis, dum pugnatur; ictus indirectè impediantur baccarum plumbearum explosarum è sclopis, ne feriant, & ne lædant quidem pannos. Si enim inueniretur; aliquis procul dubio illa vteretur: & sclopis non tot in prælijs, & alibi passim ferirentur, & interirent.

5 Quartò, debet poni pro certo. Quòd, impedire indirectè baccas plumbeas explosas è sclopis, ne feriant, & ne lædant quidem pannos; Angeli, nedum boni, sed etiam mali naturali sua virtute facilè possunt. Quandoquidem, ex ijs, quæ superiore Quæstione dicta sunt; per motum localem, in quo, sibi habent ad nutum obedientia corpora quæcunque, facilè est illis (etiam imperceptibiliter, nonobísque nihil aduertentibus) vel admouere causam aliquam contrariam, vel interponere corpus aliquod, vel interiectum aërem celeriter, violentérque mouere, vel aliquid aliud eiusmodi facere, quo motus dictarum plumbearum baccarum ita remaneat impeditus; vt, ne pannos quidem, possint offendere.

Sic: per Angelos bonos, credere fas est, Sanctum Carolum Borromæum seruatum illæsum fuisse, ne interiret, aut feriretur ictu sclopi; cùm in illum à seditiosis (vt habet

Ro-

Romanum Breuiarium) hominibus; laxata rota, globulus igneus è sclopo displosus est.

Sic etiam: per artes Dæmonum, & impias, & illicitas, multi se putant inuulnerabiles, & aliquando sunt; vt est videre, apud eundem Delrium, qui quasdam hac de re Historias narrat, Disquisit. Magic. lib. 2. q. 21.

6 Quintò, debet poni pro certo. Quòd, inter Angelos bonos, & Angelos malos, qui sunt Dæmones; in impediendis indirectè dictarum plumbearum baccarum ictibus, & similibus; est multa differentia: & illa quidem; quæ peti facilè potest ex dictis in Quæst. 1. Sect. 2. nu. 13. Angeli nanque boni faciunt hoc, illuminante, iubente, atque imperante Deo, atque adeò diuina virtute; sumpta, siue intellecta nihilomnus, vt ibidem explicauimus. Quocirca: in Romano Breuiario dicitur de Sancto Carolo; fuisse illum ab ictibus tormenti bellici seruatum illæsum, *diuina virtute*. Angeli verò mali, ac Dæmones hoc faciunt; Deo tantùm permittente. Quare, quandiu Deus permittit, sequitur aliquis effectus: Dei autem permissione cessante, cessat etiam sequi effectus: quod, in Historijs à Delrio, citato loco, enarratis; manifestè apparet.

7 Sextò, debet poni pro certo. Quòd, licèt Deus possit producere effectus causarum secundarum, absque secundis ipsis causis (vt ostendit Sanctus Thomas, 1. p. q. 105. a. 2. & 6. c. & 1. 2. q. 52. a. 8. c. & 3. p. q. 77. a. 1. c.) non tamen hoc facit (vt idem subdit, in responsione præsertim ad tertium argumentum citati articuli sexti Primæ Partis) nisi ex causa. Quapropter: etsi Deus absque secundis causis impedire possit actionem naturalis agentis habentis, ad agendum, omnia requisita; quod, nimirum, accideret, si, vel eius virtutem agendi auferret, aut saltem suspenderet, vel concursum suum subtraheret, ipsum agēs ad agendum applicantem, vt supra dicebatur; hoc tamen

S face-

facere, non est dicendus, nisi ex causa. Quamobrem: cùm indirectè (vt explicabatur paulò ante) possit Angelus impedire baccas plumbeas è sclopis explosas, ne feriant, néue lædant etiam pannos; ac proinde, nequaquam, aut ad summum ægrè videatur, cùm hoc agendum est, assignari posse causa, quare Deus per se, absque secundis causis, hoc inferre debeat impedimentum; nequaquam etiam, aut ad summum ægrè dicendum videtur, quòd Deus per se, hoc aliquando fecerit, absque secundis ipsis causis, hoc est, absque ipsis Angelis; per quos (vt superiore Quæstione monstratum est non semel) iuxta communem diuinæ Prouidentiæ legem, creaturam corporalem administrat. Quin etiam, rationi consentaneum longè magis est: actionem agentis naturalis, cùm est impedienda; quodammodo indirectè (quod est ab extrinseco) impediri; quàm directè (quod est ab intrinseco, videlicet, siue per ablationem, vel per suspensionem intrinsecæ virtutis agendi, siue per subtractionem intrinseci cōcursus) distineri. Sic enim, remaneret agens prope diminutum: tanquam illud, quod, vel illa virtute, vel illius complementò (Diuinus enim concursus applicans naturale agens, ad agendum, tale complementum est, ex iam dictis, q. 2. num. 75.) perpetuò, vel ad tempus priuaretur. Quæ virtus, vel incompleta, vel completa, quanuis forma substantialis ipsius agentis non sit; se tamen tenet ex parte talis formæ, ab illáque resultat, & exoritur: cùm substātialis forma sit principium agendi, eoquod vnūquodq; agit, in quātùm est actu; vt docet S. Tho. 1. 2. q. 55. a. 2. c. Et sic, remaneret agens diminutum in eo, quod ex parte substantialis formæ se tenet.

8 Septimò, & vltimò, debet poni pro certo. Quòd, effectus ille, qui nunc examinatur, quíque, nimirum, in eo consistit, vt (quemadmodum ait Mastinus) De millibus, qui in tanto rerum, ac belli tumultu baccis plumbeis è sclo-

sclopis displosis percussi sunt; nemo, nedum interemptus fuerit, sed ne sauciatus quidem; imò (quod pluris est) vt baccæ plumbeæ, pannis illæsis, caderent in cassum; armaturis, quas, in sui defensionem, adhibuerint Pinnenses; non est vllo modo tribuendus. Cùm, immediata pannorum percussio, quā non obscurè Mastinus insinuat, dū dicit,

———————— *Res mira! Cadebat*

Bacca, sed illaso percussit plumbea panno;

omnem exteriorem armaturam excludat.

Imò, nec vllo modo, tribuendus etiam est Magicis, Necromanticis, aliisue Dæmoniacis artibus. Id quod sanè potest ostendi, saltem dupliciter.

9 Primò. Quia, quamuis execrandis artibus, & opera Dæmonum à perditis hominibus possint res huiusmodi, Deo permittente, perpetrari; vt palam est, tum ex iam dictis, tum ex Historijs non paucis, quas refert Delrius, Disquisit. Magicarum lib. 2. q. 12. num. 8. & alibi; tamen eodem Delrio ibidem teste, vel vt plurimum hæc Deus non permittit; vel sæpe suos, hæc persuadendo, tentat ipse Dæmon decipere, ac perdere: quemadmodum, alijs postpositis exemplis, decepit, ac perdidit illum in re simili; de quo Chronographus Meierus, apud eundem Delrium, citato loco, hæc habet. *Fama est, Guidonem deceptum fuisse à quodam Necromantico: abs quo artem didicisset, qua ille pollicebatur; fore eum, quandocunque vellet, in quolibet magno periculo inuisibilem. At ea incantatio nihil ei profuit ad vitæ salutem: ad vera autem, & æterna mortis supplicium; apprimè illa vtilis fuit.* En, vt Guido, per Necromantiam, & deceptus, & perditus remansit. Quare ergo, ex mille Pinnensibus, tunc temporis, si malis artibus fuissent vsi; Dæmon vnum saltem, aut quempiam non decepisset, non perdidisset? Quare Deus talia Mira facere, tunc temporis, Dæmonem permisisset? Ma-

ximè, cùm, si permisisset, infirmassent hæc vtique præcedentium Miraculorum, & in hoc secundo Incursu, & in primo, & in Emissione Lacrymarum patratorum, etiam fidem. Quemadmodum enim talis vulnerum Euasio, & Illæsio pannorum fuisset attributa Dæmonibus, eorúmque pessimis inuentis; ita potuissent, & Dæmonibus, & industrijs eorum tribui, tum Emissio ipsa Lacrymarum ex Oculo Virginalis Imaginis, ante primum Incursum; tum oculorum hostilium Obfuscatio, in primo Incursu; tum Apparitio Dei Genitricis in secundo, tum cetera huiusmodi alia, pro Miraculis iam hactenus declarata, & firmis argumentis comprobata. Quod fieri non potuisse, neque vnquam posse, patebit procul dubio, tum ex ratione insequente; tum ex quibusdam alijs, quæ dicentur ex Thyræo inferiùs.

10 Secundò. Quia (vt ait Sanctus Thomas in secundum Sententiarum, dist. 7. q. 3. a. 1. ad 2.) inter tres aut quatuor differentias, quibus possunt distingui Miracula facta per bonos Angelos ab illis, quæ per malos fiunt; vna hæc est. *Quod Signa, seu Miracula facta per bonos; sunt de rebus vtilibus: vt in curatione infirmitatum, & huiusmodi: Miracula autem per malos facta; sunt in rebus nocuis, vel vanis: sicut, quod volent in aere, vel reddant membra hominum stupida, & huiusmodi*. Hæc Sanctus Thomas. Quam differentiam idem testatur, ibidem, assignare etiam Beatum Petrum, in Itinerario Clementis. Iam verò, nemo non videt: Euasionem plagarum, & vulnerum à scloporum ictibus, & Illæsionem ipsam pannorum; perquammaximè vtilem, neutiquam verò nociuam extitisse Pinnensibus. Malo igitur alicui Angelo, siue Dæmoni eiúsque pessimis, execrandisque imposturis, & artibus; nullo prorsus modo Miraculum istud profectò debet, aut potest adscribi.

11 Hinc

11 Hinc igitur, atque ex omnibus alijs in hac Sectione dictis vsque adhuc; manifestè concluditur: Quòd, si actionem baccarum, quas è sclopis in Pinnenses exploderunt Etrusci; actionem, videlicet, agentis naturalis habentis, ad agendum, omnia requisita; siue specialiùs, actionem caloris ignis, & inde in puluere pyrio secutæ rarefactionis; ac proinde actionem, vel directè à Deo, vel aliquo modo indirectè à creaturis impedibilem; nequaquam tamen, aut ægrè dicendus est, impediuisse directè, ac per se solum ipse Deus; nec impediuerunt indirectè solitis armaturis ipsi Pinnenses; nec item indirectè impediuerunt Dæmones, aut ipsorum artibus vtentes (quæ omnia, & explicata, & firmata satis superque sunt) necessariò impediuerit illam aliquis ex Angelis bonis: & haud dubiè (sicut fuit in præcedentibus iam resolutum) Angelus ille; qui signatus fuit ipsi Pinnæ Billorum ad custodiam. Vnde huic Angelo tribuendus est effectus Euasionis, & à morte, & à plagis, & à læsione præterea pannorum, qui tam mirè in ipsis Pinnensibus accidit; dum tria hæc enumerata, aut omnia simul, aut partim, expectari naturaliter debebant ab ipsa percussione baccarum plumbearum explosarum è sclopis.

Et quoniam hic effectus, licèt prouenerit ab ipsa Angeli propria, naturalique virtute; tamen, illuminante, iubente, ac proinde diuinam virtutem præter solitum cursum, & ordinem præstante (per Deiparam Virginem, & ad ipsius Deiparæ preces, vel nutus) ipso Deo, prouenit; per quam diuinam virtutem, sic præter solitum cursum, & ordinem præstitam, tantummodo, & non aliter poterat prouenire, vt ex dictis in superioribus clarè deduci potest; quapropter, excessisse naturæ, & artis omnis vires, dicendus vtique est; exinde fit; vt effectus huiusmodi sit, ac dici debeat, non solùm verè, ac propriè Miraculũ; sed etiam

eius quidem gradus, cuius, item supra, dictum est, esse illa omnia, quæ ab Angelis fiunt, licet propria virtute, illuminante tamen, & imperante præter solitum, & non aliter, ipso Deo. De his autem, illa, quæ iam fusè dicta sunt, non est, quòd repetantur. Videri possunt in Quæstione secunda, Sectione prima, vbi sermo fit de efformatione Lucidi Corporis, ibi suppositi; & alibi. Et ita, tertia Sectio terminata sit.

SECTIO QVARTA.

Examinatur ipsa Liberatio Pinnæ Billorum precisè.

QVartæ Sectionis huius erunt Paragraphi tres: qui tamen multipliciter distinguentur; vt legenti constabit.

§. I.

Præmittuntur quædam.

EST autem distinguendus hic Paragraphus in tres Distinctiones duntaxat; in quibus præmittenda legentur.

DISTINCTIO PRIMA.

Quare sit agendum de huiusmodi Liberatione præcisè, & maximè hic; & Quid videndum de illa sit.

1 LIberatio Pinnæ Billorum ab armis hostilibus illud est sanè, de quo in recto quærimus in titulis, tum istius,

istius, tum præcedentis Quæstionis; vt ex ipsis patet. Et bene quidem. Hæc enim Liberatio dicenda videtur subiectum, siue obiectum adæquatum Quæstionum huiusmodi: quin, & ceterarum pariter, quæ sequentur; quatenus materiam eandem, sub alia ratione quauis, includunt. Subiectum nanque, siue obiectum adæquatum Tractatus alicuius (ex Caietano, tomo 3. Opusculorum, tract. 4. quæst. vnica) dicitur illud; cui adæquantur passiones illius, & principia. Talis verò prorsus est in hoc Tractatu dicta Liberatio: cui adæquantur, tanquam illius principia quædam, & causæ; Corporis lucidi cum suis Radijs Effectio, Deique Genitricis Apparitio cum ceteris ad eam pertinentibus: Probatio autem, Approbatio, & Celebritas Festiua, & Prædicatio prædictorum; tanquam passiones quædam, & qualitates. Quæ causa fuit, quare hoc (qualecũque sit illud) Opus, quantum ad hanc partem, De Liberatione inscripserim.

Cùm igitur, Corpus lucidum cum suis Radijs, & Apparitio cum ceteris ad eam pertinentibus, hactenus examinata sint; atque adeò sit pertractatum de quasi principijs, causísque Liberationis; & de Probatione, Approbatione, Celebritate festiua, cum Prædicatione, quæ passiones quædam, & qualitates eiusdem ferè sunt, in sequentibus, propter causas declaratas alibi, sit pertractandum; proinde: vt examinatio, & tractatio vniuersa (pro mea tenuitate) completa euadat; restat nunc tractandum de ipsa Liberatione præcisè. Et hîc certè commodiùs, quàm supra, in Quæstione secunda; ne saltem, idem esset repetendum pluries.

2 Videamus ergo, & examinemus: Num ipsa Liberatio Pinnæ Billorum ab hostilibus armis, quæ (vt supponimus ex relatis in Procemialibus) tum in primo, tum in secundo Etruscorum accidit Incursu; considerata, & sumpta

pta per se, ac solitariè; præscindendo nimirum à Miraculis iam examinatis, quæ propter eam patrata sunt; verè fuerit, ac propriè dici possit nouum aliud Miraculum, à ceteris distinctum. Ad quam soluendam Dubitationem; quædam aperienda sunt, ante omnia.

DISTINCTIO SECVNDA.

Quid sit Liberatio, & quotuplex: illa maximè, quæ Diuinæ adscribitur virtuti.

3 SCire igitur illud inprimis oportet: quòd, Liberatio ipsa, vt sic, *Quæ* quidem *nihil esse videtur aliud, nisi quædam à periculis, & à malis, in quibus aliquis versetur, ereptio;* si de illa sermo sit, quæ diuinæ adscribitur virtuti; alia est Miraculum, alia ex Miraculo nascitur, & Miraculum supponit.

Clarè liquet hoc, intuenti Liberationes illas, quas, tanquam rationes quasdam impetrandi, ponit, orãdo Deum, Ecclesia in Ordine Commendationis animæ; vt in Breuiario, & in Rituali Romanis.

Liberationes enim huiusmodi omnes, & singulæ, diuinæ virtuti ab Ecclesia tribuuntur: cùm, diuinam virtutem implorando, dicat, exempli gratia, *Libera, Domine, animam serui tui, sicut liberasti Noe de diluuio;* & sic de reliquis. Non tamen, singulæ præcisè sumptæ pro actione illa, quæ immediatè liberauit; sunt Miracula: sed quædam sic, quædam verò Miraculum supponunt.

4 Est Miraculum sanè, præcisè sumpta pro actione, quæ immediatè liberauit; Liberatio, v. g. *Isaac de hostia, & de manu patris sui Abrahæ*. Siquidem, non cõsistit Liberatio hæc tali modo sumpta in aliqua ipsius Abrahæ, vel Isaac, siue humana, siue naturali actione; quæ positiua sit.

Quan-

Quandoquidem (vt habetur Genesis 22.) *Cùm alligasset* Abraham *Isaac filium suum*, & posuisset *eum in Altare, super struem lignorum*, extendissetque *manum*, & arripuisset *gladium, vt* eundem *imolaret*, & ita positiuè quidem egisset, sed, ad occidendum, non ad liberandum Isaac; qui pariter, per nullam actionem suam positiuam, *reluctatus est* (inquit S. Ioannes Chrysostomus, loco mox citando) *neque factum agrè tulit, sed cessit, & obtemperauit his, quæ à patre facta sunt, & sicut agnus, cum silentio super Altare accubuit, expectans patris dexteram*; tunc, *Ecce Angelus Domini de Cælo clamauit, dicens* (subdit sacer Textus) *Abraham, Abraham, non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam*. Et sic, impedito diuinitus Abraham, remansit Isaac liberatus de hostia, & de manu sui patris. Ex quo euentu apertè constat: quòd, quacunque alterius cuiusuis actione positiua exclusa, per solam Angeli vocem prohibentem in ipso quasi progressu occisionis, ne Abraham occideret filium; ipse imediatè liberatus est. Quod Sanctus idem Ioannes Chrysostomus (ponderare si libeat eius verba, in Homilia 47. in Genesim) notans geminationem illam, quam nos quoque supra in alia re notauimus, *Abraham, Abraham*, non obscurè indicauit; ita fatus. *Bene, & hic geminatione* (Angelus) *vsus est, vt superetur impetus iusti Abraha, & quasi per vocem detineatur iusti dextera; iam tendens* (penscetur hoc) *ad pueri cædem*. Quòd autem Liberatio, quæ per Angelicam vocem obtigerit, dici debeat, supra facultatem naturæ creatæ, præter solitum cursum, & ex imperio, ac virtute Dei obtigisse, atque adeò verum esse Miraculum; prorsus palam est ex ijs, quæ non semel dicta sunt supra, suis locis.

5 E contra: non est Miraculum, præcisè sumpta pro actione immediatè liberante, sed Miraculum supponit; Liberatio *Lot de Sodomis, & de flamma ignis*.

Non

Non est quidem Miraculum, præcisè sumpta pro actione immediatè liberante: quia, sic sumpta Liberatio hæc, in ambulatione illa Lot naturali, ac voluntaria consistit; qua (vt Genesis 19. refertur) persuasus ab Angelis, qui apud eum diuerterant, de Sodomis cum vxore sua, duabúsque filiabus in Ciuitatem Segor suis pedibus processit; in quam, vbi fuit ingressus, pluit Dominus de Cælo sulphur, & ignem super Sodomam, & Gomorrham; & has Ciuitates cum habitatoribus vniuersis euertit. Hæc etenim ambulatio, atq; hic processus immediatè liberauit, & eripuit Lot de periculis flammæ ignis, quæ incurrisset, in Sodomis manens. Id quod ex verbis illis, quæ dixit Angelus ad Lot, *Festina, & saluare ibi,* &c. (si penitus considerentur) satis clarè apparet. Ambulationem autem proprijs pedibus confectam, haud esse Miraculum; nemo non videt.

6 Supponit autem Miraculum Liberatio huiusmodi, sumpta pro actione, quæ immediatè liberauit; quia supponit Apparitionem Angelorum, qui Lot discessum è Sodomis, vt à periculis flammæ ignis liberaretur; visibiliter persuaserunt: imò: qui visibiliter *apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eduxeruntque eum, & posuerunt extra Ciuitatem;* vt ait Sacer Textus: id quod (vt ibi exponit Caietanus) fuit quædam expulsio: quæ quidem acciderit (vt ex eodem Textu clarè colligitur) antequam ipse Lot, non amplius ductus, neque pulsus ab Angelis, per se, suísque pedibus procedens, ingrederetur Segor; id nimirum ageret, quod (vt iam dictum est) ipsum immediatè liberauit. Atqui, Apparitio Angelica, quocunque modo fiat; maximè verò, si illa interueniant, quæ hîc relata sunt; sine Miraculo esse non potest: vt, ex alibi dictis, est clarum.

7 His tamen nihil obstantibus: cùm Liberatio *Lot de So-*

Sodomis, & de flamma ignis, absolutè, & simpliciter ab Ecclesia, vna cum ceteris (vt iam notatum est) diuinæ virtuti adscribatur; atq; hoc, non alia certè ratione, nisi, quia supponit illa, vt diximus, Miraculum, & sine tali Miraculo non potuisset accidere; &, quæ diuinæ virtuti simpliciter adscribuntur, maximè si sint insolita, simpliciter quoque Miracula denominari, ac dici possint; quia (vt ex superioribus est manifestum) nihil aliud est Miraculum, nisi, quid insolitum, & virtutem excedens creatæ naturæ, atque adeò Dei virtute solius principaliter effectum: idcirco, quanquam dicta Liberatio Lot, pro actione accepta, quæ immediatè liberauit, Miraculum non est; quia tamen verum supponit Miraculum, & sine Miraculo vero, non contigisset, & ideo diuinæ virtuti simpliciter adscribitur ab Ecclesia; propter eandem rationem, simpliciter quoque Miraculum denominari, ac dici debet.

Sic discurri potest, circa Liberationes omnes, & singulas alias, quas in eodem Ordine Commendationis animæ ponit Ecclesia.

DISTINCTIO TERTIA.

Exprimitur, inter quas Liberationes adscriptas diuinæ virtuti; ponenda sit Liberatio, de qua verba facimus.

8 IAm verò: Liberatio illa, de qua, in præsenti Sectione, dissertamus, inter Liberationes poni procul dubio debet, quæ Miracula non sunt (si præcisè sumantur, pro actione, quæ immediatè liberet) sed Miracula supponunt, & sine Miraculis accidere non possunt. Quandoquidem: in Etruscorum naturali, & humano discessu ab obsi-

obsidione Pinnæ Billorum consistit; qui supponit Miracula iam explicata, & comprobata, quæ illos, ad discedendum, efficaciter compulerunt (vt ex ipsa serie narrationum, ex Mastino in Procemialibus relatarum, euidenter cognoscitur) & sine illis, non contigisset. Vnde, quod positum, & firmatum est de Liberationibus eius generis ceteris; idem poni, & firmari profectò debet, etiam de ista Liberatione.

§. II.

Concluditur, Liberationem, qua de agimus, simpliciter denominandam esse Miraculosam, etiam præcisè sumptam; & Conclusio probatur.

9 QVapropter, dicendum, & concludendum est: quòd, licet Liberatio Pinnæ Billorum ab Etruscorum, & hostilibus armis, pro actione præcisè accepta, quæ immediatè liberauit, pro naturali, nempe, & humano eorundem Etruscorum discessu, Miraculum non fuerit, quod est clarum; ex eo tamen, quòd Miracula supponit, quæ talem discessum efficaciter importauerunt; & sine quibus ipse importari minimè potuisset; sanè Miraculum simpliciter, seu simpliciter Miraculosa, denominari, ac dici debet.

10 Quemadmodum, eandem ob causam, satis expressè Miraculosa denominatur, ac dicitur à Cardinale Baronio, suorum Ecclesiasticorum Annalium tomo 8. anno Christi 625. num. 5. & 6. (vt ibi, & in textu apparet, & in margine) similis quædam Liberatio Constantinopolitanæ Vrbis: Dicit enim ille in textu, de Liberatione loquendo: *Diuinitus factum est* (& en Miraculi expressio)

vt

vt non solùm obsessi, id perspicuò intelligerent sed etiam hostes ipsi suo experirentur damno. In margine verò hæc addit: *Visa hostibus Dei Genitrix Vrbis Liberatrix* Et en expressio Liberationis. Euentum autem totum enarrat, ex Cedreno, his verbis.

Tale quidpiam hostibus accidit (loquitur, nempe, de Auaribus, sub Sarbara Cosrhois Duce, Constantinopolim inuadentibus) *Viderunt illi prima luce, cùm Sol oriretur, mulierem quandam illustrem, eunuchis comitatam, porta Blachernarum exeuntem. (Erat nanque, à Blachernis, Deipara Templum, à Constantinopolitanis frequêtari solitum.) Quam, cùm Heracly opinarentur, vxorem esse, & ad suum ipsorum Principem, ob mariti absentiam, ire, pacis petendæ causa; transitum ei concesserunt: subsequentem ex Vrbe hominum turbam, ipsi adorituri. Vt verò, fossa ambitum egressam, non ire ad Regem, viderunt; insecuti sunt eam, vsque ad locum, cui Veteris Saxi nomen est. Vbi, cùm fere iam eam essent assecuti; illa, cum suis, ex oculis, & conspectu eorum euanuit*. (Fuit enim hæc manifesta Dei Genitricis Apparitio.) *Ipsi autem, tumultu concitato, inter se congressi; ad vesperam vsque, mutuò strages ediderunt. Manè insequentis diei, Dux causam inquirens, quòd, maiorem suorum partem intestino conflictu periisse, videret; turpiter domum rediit: statimque classis ab obsidione recessit*. Hæc Baronius.

11 Ex quibus patet primò, vnum aliquid obiter: quod pro hoc tota facit Quæstione. Non esse, videlicet, nouum: ipsam Deiparam Virginem, etiam per Apparitiones visibiles; protegere, ac defendere Christianorum, ab hostibus obsessa loca, & Vrbes: deinde (& hoc facit singulariter, pro Sectione præsenti) quòd actio, Constantinopolitanam Vrbem ab obsidione liberans tunc temporis immediatè; fuit recessus naturalis, & humanus ipsorum Auarum

rum ab obsidione huiusmodi. Non enim inde sunt Auares diuinitus exportati; sed solito, & humano modo recesserunt: dicente Baronio, vt vidimus, apertissimè; *Statimque classis ab obsidione recessit.* Planè tamen audiuimus eundem Baronium, simpliciter, & absolutè, & absque addito vllo asserentem; Constantinopolitanæ Vrbis hanc (de qua verba facimus) Liberationem *diuinitus*, hoc est, miraculosè, contigisse. Et non alia sanè de causa sic locutus est, vt puto; nisi, quia talis Liberatio duxit ortum efficaciter, à Dei Genitricis Miraculosa, & facta diuinitus Apparitione; neque aliter euenisset.

Propter hæc igitur omnia: maximè rationabiliter appellari quoque potest, ac debet simpliciter Miraculum, vel Miraculosa; Liberatio vtraque Pinnæ Billorum ab hostilibus armis (hoc est, quæ, tum in primo, tum in secundo Etruscorum accidit Incursu) etiam præcisè, per se, & solitariè considerata; sumpta, videlicet, pro actione illa, quæ immediatè liberauit.

§. III.

Proponitur argumentum in contrarium, & soluitur.

12 DIcet aliquis in contrarium. Pinnæ Billorum in neutro Etruscorum Incursu, verè liberata fuit ab eorum armis.

Non quidem in primo. Quia (vt apparet ex narratis à Mastino, quæ in Procemialibus, per epilogum, relata sunt) Ager Pinnensis, in ipso hostium discessu; ab ijsdem tunc incensus est.

Nec etiam in secundo. Quia (vt idem Mastinus dicit in Prosa, quæ proximè sequitur, post Carmen, de secundo

dò Incursu) tunc hostes Pinnam Billorum igni tradiderunt vniuersam.

Rursus, nec in primo, nec in secundo. Quia, in vtroque (sicut idem scribit Mastinus, Oratione in funere Elisabethæ Feltriæ de Gonzaga Vrbini Ducissæ) eadem Pinna Billorum, non solùm incendio fuit absumpta; sed, & eius mœnia ceciderunt. En verba ipsius Mastini. *Id vnum intactum*, inquit, *non relinquam: Feretranam Satrapiam, Remque meam præcipuè publicam; primo, & secundo bello Etruscorum, quibus rem omnem depopulati sunt, lares, domosque incendio absumpsere; maiorem ante hac nullam, quàm Diua nostra, iacturam sensisse. Ædepol, ter Patriæ muros cecidisse, adstipulari, fas est. Bis quidem inimicorum astu, ne dicam, perfidia; semel huiusce interitu*. Verba clarissima sunt.

Ergo, vel perperam, & absque fundamento, pro Miraculo ponitur Liberatio, quæ non extitit; vel, si in secundo saltem Incursu dicenda sit extitisse, quia, in hostium ab obsidione discessu, nullum legitur Pinnæ Billorum ab ijs fecisse detrimentum, nec ante; cùm tamen huiusmodi Liberatio tunc parum durauerit (dato etiam, quòd præter solitum, & consuetum acciderit) Præstigium potiùs, quàm re vera Miraculum, videtur dicenda. Præstigia nanque sunt, quæ diu durare non possunt; ex Sancto Thoma, 2. Sentent. dist. 7. q. 3. a. 1. ad 2.

13 Respondetur. Quòd, Pinna Billorum in vtroque Incursu verè, ac propriè liberata fuit ab armis Etruscorum. Cùm enim Liberatio (quod supra dicebatur) sit ereptio quædam à periculis, & malis, in quibus aliquis versetur; cúmque in vtroque Incursu eadem Pinna erepta verè ac propriè fuerit à periculis, & malis depopulationis, ac deuastationis, in quæ solent ex bellis, & armis loca incidere; in vtroque siquidem Incursu ab obsidione disce-

discesserunt armati hostes, & Pinnam ipsã, saltem intus, reliquerunt intactam; negari non potest: quo minùs in vtroque pariter Incursu verè, ac propriè fuerit liberata ab armis Etruscorum, & bello.

Sed quoniam, hæc Responsio videri potest, non prorsus argumentum euertere; quædam addenda sunt: & ad tædium euitandum ex longo sermone, Distinctionibus vti (quod solemus) est opus; & aliquando Subdistinctionibus etiam, & Membris, vt patebit.

DISTINCTIO PRIMA.

Proponuntur addenda, pro tollendis difficultatibus argumenti contrarij quibuscunque; ac modus, in ijs procedendi.

14 VT autem tollantur argumenti contrarij difficultates quæcunque; addenda quædam hoc loco sunt. Et primò: erunt illa de Incendio Pinnensis Agri, quod, in eodem argumento, supponitur accidisse in primo Incursu; déque Depopulatione rerum, & Incendio ipsiusmet Pinnæ, ac de Casu mœnium eiusdem; quæ accidisse supponuntur, in primo, & in secundo: deinde verò, de Præstigio; de quo in fine argumenti.

Et quantùm ad primum: distinctionis, & claritatis gratia, priùs verba faciam de prædictis omnibus, quatenus in primo supponuntur accidisse Incursu: post autem, de ijsdem, quatenus accidisse supponuntur in secundo. Et cùm vtrinque circa facta versemur; vtrinque sunt etiam facta diligenter attendenda.

DI-

DISTINCTIO SECVNDA.

De Incendijs, & mœnium Casu, & Depopulatione rerum; quæ, in argumento supponuntur, accidisse in primo Incursu.

15 QVantùm igitur ad Incendia, & mœnium Casum, & rerũ Depopulationẽ, in primo Incursu accidisse, supposita; occurrunt quatuor. Vnde, subdistinguendum est.

SVBDISTINCTIO PRIMA.

De Incendio Pinnensis Agri.

OCcurrit itaque primò, Incendium Pinnensis Agri: de quo Mastinus quidem non satis clarè locutus fuisse; videri potest. Vnde: sunt primò afferenda eius dicta, & bene perpendenda; post hæc autem, ad alia procedendum est. Atque ita, noua vti partitione, compellor.

MEMBRVM PRIMVM.

Afferuntur dicta Mastini, & perpenduntur.

MAstinus ergo (quemadmodum harum rerum contentus epilogo, in Procœmialibus, ego ipse recensui) descriptis Ignitis Radijs, quibus oculi hostium percussi sunt, ne nostros videre possent; & strage insuper ipsorum hostium, quam, ex hoc diuino fauore, nostri edide-

runt; narrare contendit, quæ sunt aggressi discedentes hostes ijdem in Agro Pinnensi, per hæc verba.

Percitus magno dedecus furore
Patrat immensum: pudor est referre,
Quod sibi laudi tribuit decora
Miles Etruscus.

Ausus insigni feritate notus
(Proh scelus longo memorabile æuo!)
Vltor illatæ necis, vrere omnem
Perfidus Agrum.

Rura, quis fletum cohibere possit,
Sit Nero durus nisi, concremare
Culta cernendo lacrymosus, vnde
Octuaginta?

Per quæ, datur apertè intelligi: tentasse hostes, ausósq; fuisse, Pinnensem omnem Agrum comburere.

Cuius combustionis, tanquam patratæ, atque in termino, meminit non multò post; sic aiens.

Fortis à tergo at peditatus arma,
Arma conclamans Feretranus, vsti
Ruris & noster memor, impete hostes
Aggrediuntur.

Quin, meminit eiusdem, tanquam continuantis etiam, atque in via: dum, hinc non longè (vbi de quibusdam dixisset, *Quis bene queat referre*, subintelligendo, hæc eadem verba post particulam *aut*) ita canit.

Aut satis, nostri peditis furorem,
Rura cernentis sua adhuc nefando
Igne comburi?

Et iterum tandem, illius metipsius meminit, tanquam patratæ, & in termino; dum (quibusdam interpositis) taliter fatur.

Cerneres longo innumeras phalanges

Agmi-

Agmine: ob Rus Pinnicolarum adustum, hos
Trusit in fœtens grauè tullianum
Fœmina, masue.

16 Sed, his omnibus manifestè videntur opponi, quæ, inter agendum Deiparæ Virgini gratias, prope finem Carminis, pangit in hunc modum.

Quas tibi ò laudes meritis popellus,
Diua, pro tantis referet tuus, qui
Hoste seruatus gladio irruente
Sospes, & igne?

Nec videntur, posse tantùm hæc intelligi de ipsa Pinna Billorum, ac de illis, quæcunque ipsius mœnibus, tunc temporis, continerentur; Rure omni excepto: ita vt stantia tantùm intra huiusmodi mœnia, nō autem Rus, ab hoste, gladio, & igne seruata fuerint illæsa; illęsū enim sonat illud, *sospes*, vt est clarum. Quandoquidem obstant ea, quæ mox addit, cùm dicit.

Cuius in tanto cecidit tumultu
Nullus, & bello minuit rem, opesue,
Captus & nemo, &c.

Res, nanque significat hoc loco bona, rem familiarem, siue diuitias: quemadmodum (omissis ceteris) & in illo Flacci effato, Epistolarum lib. 1. epist. 1.

Multis occulto crescit Res fœnore.

Vbi Dionysius Lambinus, *Idest*, inquit, *Multi Rem suam familiarem occulto fœnore amplificant.*

Sic, &, *Opes*, nil aliud sunt, quàm ipsa bona, res familiaris, ac diuitiæ: quod indicat illud Horatianum alterum, Sermonum lib. 1. satyr. 2.

——— *Puer hunc ego paruus Offellum,*
Integris Opibus; noui non latiùs vsum,
Quàm nunc accisis.

Integris Opibus, Incolumi re sua familiari, exponit idem Lambinus.

17 Bona porrò, res familiaris, ac diuitiæ complectuntur illa profectò; quibus necessitati naturæ subuenitur. Sic, Arist. Politicorum lib. 1. cap. 5. & Sanctus Thomas, ibi, lectione sua sexta. Inter ea verò, quæ necessaria sunt ad vitam; primum sanè locum occupant alimenta. Quocirca: idem Aristoteles, Politicorum 7. cap. 8. sicut inter illa, quæ, ad constituendam Ciuitatem, necessaria sunt, & sine quibus Ciuitas esse non potest, ponit in primis alimenta; sic inter opera, quibus indiget omnis Ciuitas, primum ponit opus Agricolarum, qui, & ipsa alimenta conferunt, & victum. In bonis igitur, in re familiari, & in diuitijs, ea prorsus prima sunt; quæ ad alimenta spectant: qualia sunt Ager, & Rus.

18 Hæc autem, cùm ita sint: si, nec Rem, nec Opes, in eo tumultu bellico, nedum amisit, sed, nec minuit etiam, quispiam ex Pinnensibus; Quo modo verum erit, Agrum, & Rus Pinnense (quæ ex eo, quòd ad alimenta spectant, in Re, atque in Opibus prima sunt) tunc temporis fuisse combusta; præsertim, cùm sine rerum combustarum amissione, imminutionéue, quin potiùs corruptione, atque interitu; combustio ipsa, intelligentia comprehendi, non possit?

En itaque, vt patere videtur; non clarè locutũ esse de rebus istiusmodi Mastinum. Vnde, contrarietatis quoque tollendæ, non parua difficultas exoritur.



MEM-

MEMBRVM SECVNDVM.

Cùm, per Problema, praedicta contrarietas tollenda sit; ponitur prima Problematis pars: quae, & expenditur, & probatur, & vindicatur ab obiectis; & nonnihil inde infertur, nouum, nempe, Miraculum.

19 ATtamen, per problema videtur soluendus nodus; & alterutrum dicendum ex duobus, quae deinceps exponam. Et

Primum est: quòd, Etruscus hostis forsitan ausus, & aggressus tantùm fuerit, Agrũ Pinnensẽ incendere: non quòd, hic adustus remanserit. Ita ut: illud, ***vsti***, & illud ***adustũ***, significent inchoationem actus tantùm; non perfectionem. Quę inchoatio actus, cùm vehemens valde fuerit, & feruẽs, quod satis exprimit Mastinus per illa verba, ***percitus magno furore***; fecit: vt per dictiones actus peractionem, ac perfectionem denotantes, cuiusmodi sunt illae ipsae, ***vsti***, & ***adustum***; bene posset explicari. Tritissimum est enim prouerbium illud, quo praesertim vtuntur, & Plato, lib. 33. De Legibus, & Arist. Politic. lib. 5. cap. 4. & Flaccus, Epist. lib. 1. epist. 2. ***Plusquam dimidium facti, qui bene***, hoc est, vehementer, ac feruenter, ***caepit; habet***.

Propter quam vehementiam, & feruorem, in inchoando; frequens est etiam in Scripturis sacris (quod inter ceteros notauit Franciscus Ribera in Regulis verborum, ad Scripturae intelligentiam, quas praefixit suis Commentarijs, in Librum duodecim Prophetarum, regula 29.) vt, ***Quod fieri tentatur, & incipit; fieri, vel factum dicatur***.

tur. Cuius regulæ exempla peti possunt ab eodem, in nonum caput Amos, n. 5.

20 Verùm solutioni sic positæ, & comprobatæ, fortassis obstant illa, quæ iam attulimus;

Aut satis, nostri peditis furorem,
Rura cernentis sua adhuc nefando
Igne comburi:

per quæ, continuationem designari, manifestè apparet.

Attamen, respondetur: aduerbium, *adhuc* (quod hîc re vera continuationem significat, vt apud Horatium, in Poëtica;

Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est)

cadere super participium, *cernentis*: non autem super verbum, *comburi*. Et hoc verbum quoque (si cuncta cohærere debent) necesse esse, vt inchoationem tantùm indicet; & nihil aliud. Vnde sit sensus: *adhuc cernentis Rura, cœpta comburi*.

21 Quibus omnibus tali modo se habentibus: nemo hæc legens, videre non potest; Mastini dicta de Incendio Pinnensis Agri, conuenire. Siquidem: ex hactenus præmisso discursu;

Conueniunt primò, inter se. Quando: dictiones, vel particulæ illæ omnes, videlicet, *Ausus vrere omnem Agrum, Adusti Ruris, Rura comburi, & Rus adustum*, quibus ipse Mastinus vtitur, memoratum explicans Incendium; inchoationem tantùm significant huius Incendij, nec aliud.

Conueniunt secundò cum his, quæ mox adscribam: quęque, agendo Deiparæ gratias, & versus absoluendo; taliter idem cantitat.

Quid quòd, heu, sæuos ferus hostis enses,
Cumque Vulcanum, & Liparim parasset,
Tu Ducem ventis, inimica, Virgo, &
Castra repellis?

22 Ad

22 Ad horum autem intelligentiam: inuestigandum est, quid tribus illis dictionibus designet; *Vulcanam*, *Liparim*, *Parasset*.

Dictione, *Vulcanum*, vtique designat ignem. Vulcanum enim pro igne metonymicòs poni, consuetum est, apud Poëtas: quod ostendit illud Plauti, in Amphiturone, actu primo;

Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?

Et illud Maronis, Æneid. 5.

——— *Furit immissis Vulcanus habenis,*
Transtra per, & remos, & pictas abiete puppes;

præter alia multa, quæ in re clara nihil est; cur afferantur.

Dictione verò, *Liparim*, quid designet; manifestum fiet ex his. Liparis, Græcum est nomen, ἀπὸ τοῦ λιπαροῦ, quod est, pinguis: vt habet Henricus Stephanus, in suo Thesauro Linguæ Græcæ, tomo 2. Et inde fit: vt Ciliciæ quidam fluuius nomine dicatur *Liparis*, ex eo; quòd per pingues terræ venas (vt auctor est Vitruuius, De Architectura, lib. 8. cap. 3.) ita vnctus erumpat oleo; vt in ipso natantes, aut lauantes, huiusmodi aqua vngantur non secùs; quàm si vngerentur oleo, vel adipe. Per dictionem igitur, *Liparim*, concludendum est, denotare Mastinum inflammabilia quædam, qualia sunt, quæ dicimus pinguia; vt oleum, sebum, adeps, cera, pix, & similia: quæ, ex Arist. 4. Meteor. summa 3. cap. 2. maximè inflammabilia fiunt; si cum alijs, putà, cum stupa, lino, canabe, gossipio, & eius generis ceteris iungantur: & specialiùs, denotare materiam aliquam ignis artificiosi, vel factitij; qui solet à militibus in bellis adhiberi: & de quo componendo agit propterea nonnihil Vegetius, De Re militari, lib. 4. cap. 18. & inter neotericos plura scribit Ioannes

Baptista Porta, suæ Magiæ naturalis lib. 12. per totum, & alij.

At, in his dictionibus duabus, videtur Mastinus Hysterologia, siue locutione præpostera quadam vsus esse: ponendo, nimirum, dictionem, *Liparim*, secundo loco, quæ poni debebat primo; vt Poëtarum interdum est moris.

Dictione demum; *Parasset:* idem, illum sibi velle, arbitror, ac si dixisset; effecisset, vt existeret, atque adeò præsto esset, & in promptu. Censent enim Eruditi (sicut est videre apud Robertum Stephanum, in suo Latinæ Linguæ Thesauro) verbum, *paro*, à, *pario*, deduci: ita vt, ea parare propriè dicamur; quæ, quasi parere, in lucémque proferre, ac proinde ad esse, & ad existentiam, vt sint in promptu, ac præsto; redigere, videmur. Vnde Lucretius, lib. 4. sui Poëmatis, De rerum Natura, dictionis huius talem sensum proprium secutus; aiebat.

Omnia sub verbone creat natura, paratque?

Creat, paratque: hoc est, gignit, & parit: siue profert in lucem: siue facit, vt existant, vt præsto, & in promptu sint: ita fermè, Lambinus interpretatur.

Ex his omnibus igitur, Mastini verborum ea dignoscitur, esse sententia: quòd,

Cùm ferus hostis effecisset, vt iam existerent, in promptúque, ac præsto essent; primùm, sæui enses; tum, ignis artificiosi maximè inflammabilis materia; ac denique, materia illa iam inflammata, ipsemet ignis; qui suum esse, suámque existentiam sortitus, comburere tunc incipiebat; Tu, Virgo Deipara, ventis eo temporis puncto repellis, & Ducem, & castra nobis inimica.

23 Vnde duo dilucidè colliguntur.

Primum est, quod hîc principaliter intendebam: horum, scilicet, Mastini verborum conuenientia cum supra-

dictis,

dictis, de Incendio Pinnensis Agri: quæ in combustionis inchoatione consistit, his ipsis verbis expressa.

Secundum est: per eorundem verborum postrema, declarari apertè; Virginem Deiparam, per idem tempus, repulisse ventis, & Ducem, & ductas ab illo copias. Hæ sunt nanque, quas castra vocat Mastinus inimica.

24 Verùm, de igne, qui iam accensus erat, combustionémque inchoauerat: quid, quæso, tunc est factum?

Hæc eadem verba, expresse quidem, id ipsum non explicant. Quia tamen congruere debent cum reliquis gratiarum actionis eiusdem, quæ relata sunt paulò supra; nimirum, cum illis, quibus monstrari planè, probatum est, non tantùm, quæ stabant intra mœnia Pinnæ Billorum, sed etiam, quæ erant in Agro Pinnensi, ac Ruri, in eo bellico tumultu ab hoste, gladio, & igne seruata fuisse illæsa; necessariò videtur afferendum: implicitè notari, per illa, nedum Ducem, & castra inimica, ventis, à Virgine Deipara, fuisse repulsa; sed etiam ipsum ignem ab eadem fuisse vẽtis ijsdem, & repulsum, & extinctum.

25 Qui sanè ignis implicitè significari, dictionibus illis; ***inimica castra***, si asseratur; nullum erit quidem inconueniens. Castra enim illa, inimica nostris ideo dicebantur; quia, positis castris continentibus, pro copijs in illis contentis, per Metonymiam; huiusmodi copiæ detrahere cõtendebant, quæcunque bona nostris tunc aderant: &, ex Aristotele, Magnorum Moralium lib. 1. cap. 29. Inimicum dicitur illud; quod ea detrahit, quæ nobis adsunt. Pariter ergo, & ipse ignis, qui, cùm detractionis eius esset instrumentum, eadem bona nostris detrahebat; propterea dici poterat nostris inimicus. Talis autem ignis paratus erat, & ad existentiam redactus à prædictis copijs. Erat igitur illarum effectus. At, hoc dato; nihil prorsus prohibet: quin, si dici potest, hîc, per Metonymiam, ***inimica***

mica castra poni pro copijs inimicis, tanquam continens pro contento; rursus dici possit, ipsas inimicas copias, hîc, non tantùm propriè sumi; sed, per alteram Metonymiam, sumi etiam pro igne, ab inimicis copijs parato, & ad existentiam redacto, tanquam causam pro effectu: accedente præsertim, quòd (vt iam innuebamus) eâdem fermè ratione, dici poterat ignis ille inimicus; qua inimica dicebantur, tum castra, tum copiæ: quocirca, duo tropi dictionibus in illis, ***inimica castra,*** sint agnoscendi; Metonymia, nempe, qua (vt dictum est) ponantur pro inimicis copijs; & Metalepsis, qua (cùm illa (quod Quintilianus, Instit. lib. 6. cap. 8. scribit) ***ex alio in aliud, velut viam, præstet)*** ponantur pro prædicto igne. Certè, troporum huiusmodi, etiam dicto modo vsurpatorum, apud Scriptores omnes, & sacros, & profanos, maximè verò Poëtas; reperiuntur exempla non pauca.

26 Hæc autem, si vera sunt:

Sequitur primò, Nouum hinc nobis detegi Miraculum: Ventis, videlicet, qui, experientia teste, ignem accendere sunt nati; ignem, nedum fuisse accensum; sed è contra repulsum, & extinctum. De quo Miraculo, quæ possent quæri; resoluenda sunt, ex iam supra resolutis.

Sequitur secundò, Hinc nobis insuper detegi; Mastini dictorum de Incendio Pinnensis Agri aliam conuenientiam. Etenim hinc,

27 Conueniunt tertiò, & vltimò cum ijs; quæ iam dicebantur, illis videri opponi. Quandoquidem: significabat Mastinus Incendium, Combustionémque Pinnensis Agri, per dictiones, particulásue illas (vt vidimus) ***Adustus, Vrere omnem Agrum, Adusti Ruris, Rura comburi, & Rus adustum.*** Illæ autem dictiones inchoationem tantùm actus, non peractionem, ac perfectionem (vt fuit ostensum) denotabant. Inchoata verò combustione; ventis,

vna

vna cum inimico Duce, & ductis ab eo copijs; ignis omnis fuit repulsus, vt modò firmabatur. Bene igitur conueniunt (oppositione, contrarietatéue quacunque abolita) Mastini prædictæ dictiones omnes, vel particulæ cum reliquis eiusdem; quibus dabatur intelligi, Pinnensem populum seruatum fuisse sospitem, & illæsum ab hoste, gladio, & igne; & nullum ex illo, in eo bellico tumultu, res, opésue suas amisisse, aut minuisse. Atq; hæc de primo.

MEMBRVM TERTIVM.

Ponitur secunda Problematis pars: in ea detegitur nouum, & insigne Miraculum: explicatur modus, quo fieri potuerit: & cetera, de eo dicenda; remissiuè innuuntur.

28 IAm expedito primo de duobus, quæ, pro soluendo nodo, difficultatéque tollenda, dici per problema proposita sunt; restat, vt expediamus etiam secundum.

Secundum igitur est: quòd, forsitan idem Etruscus hostis, in suo discessu, ignem quidem accenderit; ad comburendum Agrum, & Rus Pinnense: iuxta illud, ***Ausus insigni***, &c. quódque ignis accensus arserit, & diu; ita vt, in prælio, quod in Campo Acerbo commissum est; adhuc nostri cernerent ipsum ardentem: iuxta illud, ***Rura cernentis***, &c. deinde, quod apparuerint in Agro Pinnensi cuncta combusta: iuxta illa, ***Vsti Ruris***, & ***Rus adustum***, &c. ac demum, quòd ignis, etsi diu arserit, ita vt in Agro Pinnensi apparerent cuncta combusta; diuinitus tamen, nullum Pinnensibus damnum intulerit: iuxta reliqua, ***Ho-***

ste

ste seruatus, &c. *Cuius in tanto*, &c. Et sic, detegitur pariter Miraculũ nouũ, illudque insigne: quo, scilicet, igne diu ardente, cunctisque rebus in Agro Pinnensi apparentibus propterea combustis; reuera tamen incombustæ illæ remanserint, & illæsæ: tandémque (contrarietatibus omnibus abolitis) vniuersa dicta Mastini relinquuntur consona; nec est opus, vt per illa verba,

Tu Ducem ventis inimica, Virgo, &
Castra repellis;

intelligatur, per Metonymiam, & Metalepsim, repulsus etiam ignis: quemadmodum, in prima parte problematis, vt est visum; oportebat intelligi.

29 Modus autem, quo id fieri potuerit: non erit sanè difficilis explicatu, aduertenti; id ipsum re vera esse quid simile illius; quod, Exodi 3. coram Moyse contigisse, narratur: dum, scilicet, rubum ardere vidit ille; & non comburi. Quare: inuento modo, quo illud Mosaicum acciderit; inuentus erit & modus, quo accidere potuerit, etiam istud nostrum.

Modum porrò vnum, quo factum fuerit, vt arderet coram Moyse rubus, & non combureretur; explicant ibi Abulensis, quæst. 4. & Pererius, disp. 4. & congruenter quidem ijs, quæ habet Lyranus, Danielis 3. qui in eo consistit: vt, nimirum, Deus ab igne suum concursum, ignem eundem, ad agendum, & ad comburendum, applicantem subduxerit, siue subtraxerit, atque ita; vt ignis non egerit in rubum, illúmque non combuserit: cùm certum sit illud Axioma Theologicum; *Nullam rem creatam operari, absque actuali Dei concursu, ad agendum, applicante.*

Refert hunc modum, ibidem, hoc est, Exodi 3. etiam Cornelius à Lapide; illúmque valde approbat.

30 Qui tamen refert etiam alterum, & non improbat; situm prorsus in sequentibus. Nimirum: vt Angelus, qui

qui, de more, tunc Dei fuit administer; ignem hunc, vel applicando naturaliter actiua passiuis, ad existentiam produxerit; vel iam existentem, aliunde attulerit: deinde, apposita materia inflammabili; cum fouerit, atque aluerit: & postremò, simul, eodémque tempore, id ipsum impediuerit, ne ageret in rubum, ad comburendum; inducendo, videlicet, rubo liquorem, aut succum aliquem viscosum, & frigidissimum, qui igni, eiúsque flammæ resisteret; ea prorsus ratione, qua putantur circulatores aliqui, naturaliter manus suas immittere in plumbum liquefactum, & ebullientem, eoquod, manus antè liquore tali, qui calori plumbi liquati resistat; imbuerunt. Quæ omnia, ex iam dictis alibi, sunt Angelo cuicunque perquamfacillima; accedente maximè virtute, atque imperio Dei.

Sed, hac in re (si liceret mihi explicare, quid opiner) ijs inhærendo, quæ, tum Sectione antecedente, n. 7. tum, loco quodam alio ibi memorato, scripsi; nisi assignetur ratio, quare Deus actionem agentis naturalis, nempe, ignis, habentis, quantùm erat ex parte ipsius, ad agendum, omnia requisita, impedire voluerit ipse per se, dum ab alio agente naturali, saltem indirectè, eodem ipso volente, facillimè poterat impediri; tantorum Scriptorum bona cum pace, in eam sententiam semper descenderem; vt sit, secundus potiùs ex allatis modis, admittendus; quàm primus.

31 Huic opinioni maximè fauet, vt arbitror; quod notant, citato Exodi loco, Lyranus, Caietanus, & Oleaster: nimirum: vbi vulgata nostra legit, ***Apparuit ei Dominus***; iuxta Hebræum textum, haberi; ***Fuit visus Angelus***. Quasi, quæcunque coram Moyse tunc gesta, vel dicta sunt; ab Angelo ipso immediatè, ac proximè sint gesta, ac dicta. Quemadmodum, etiam Angelo Domini proximè tribuitur; tum, excussio flammæ ignis; tum, excitatio venti

rori-

roridi; tum, quicquid aliud, ad tres Pueros conseruandos illæsos, in fornace Babylonica, contigit: dum, Danielis 3. sic dicitur expressè. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestia intulit.* Quæ verba, quasi per paraphrasim, &, ad meum intentum, longè aptissimè, Cornelius à Lapide, ibi, dilucidans, hæc habet: *Hi Pueri ab igne seruati sunt. Primò, quia Angelus excussit ignem, eumque ab eis abegit, &* remouit ad latera fornacis, & extra fornacem: vnde, *ibi Caldæos tortores, & incensores succendit; tres verò Pueros non tetigit. Secundò, quia auram, quasi ventum roris, idest, roridum, flantem, vel, vt Vatablus vertit, quasi roscidum flatum susurrantem, loco, & vice ignis, supernaturaliter induxit; tum ad refrigerium eorum; tum ad respirationem. Nec enim aliter, vim ignis suspendere poterat Angelus*, &c.

32 Simili ergo modo fieri potuit in Incendio Pinnensis Agri: quo ille visus est ardere, & comburi, quin, & esse combustus; cùm tamen, re vera illæsus, ac sospes euasisse, ex dictis Mastini, vt vidimus, inferatur.

Si autem ita factum sit: quæ de eo dicenda forent, quod in ea re, contigerit Miraculi, de ipsiúsque gradu; petenda sanè sunt (ne eadem toties repetantur) ex iam dictis alibi. Illud quidem certum est: quòd sine insigni Miraculo (vt paulò supra tetigimus) Incendium ardens, & non comburens; accidere non potuit.

Et adhuc de illorum duorum secundo: quæ per problema dicenda esse, pro nodi solutione, proponebantur.

MEM-

MEMBRVM QVARTVM.

Proponitur argumentum, contra dicta problematicòs, ac soluitur.

33 CEterùm, post hæc obijciet aliquis, ac dicet. Quæcunque hactenus, ad remouendas difficultates, problematicè dicere libuit; ea profectò valde coacta sunt, à Mastino non expressa, & inuerisimilia. Dici ergo non debuerunt.

Sed esto, coacta sint, & valde, & à Mastino non expressa. Ex expressis tamen à Mastino exprimuntur, siue deducuntur: & vt, à Mastino expressa, in repugnantijs, conciliarem; sum coactus illa commentari. Et idcirco, non esse coacta, merito iure, non potuerunt.

Quod verò additur, de inuerisimilitudine; omnino negandum est. Qui enim potens fuit, ad liberandos Pinnenses, cetera patrare Miracula; quidni, alterutrum saltem ex detectis per problematicum discursum, in Incedio Pinnensis Agri patrare fuerit potens; datáque ratione, & causa, patrare voluerit?

34 Attamen: dato, quòd neutrum ex dictis problematicè contigerit: quódque penitus Ager Pinnensis fuerit, in primo Etruscorum Incursu, combustus: eo nihilominus non concesso; cùm secùs in Mastino, quæ apparent repugnantia; componi posse, non videantur: non sequitur propterea: quòd, Pinna Billorum tunc ab hostilibus armis liberata non fuerit; id quod erat antecedens principalis argumenti, contra principalem Sectionis præsentis Resolutionem; pro quo antecedente diluendo, iam scripta sunt tam multa. Quemadmodum, dato, atque etiam concesso, quòd multi Sancti Martyres, cùm percussi sunt gladio,

à morte liberati non sunt; inde non sequitur, illos ab alijs supplicijs atrocissimis (vt in eorum actibus narratur) non fuisse liberatos. A diuersis enim (vt etiam Iuristæ tradunt) non fit illatio.

35 Sed hìc obiter notari, nō displiceat: potuisse Sanctos Martyres, quos memorauimus; liberari etiam à supplicio gladij, ne tunc morerentur, ipso Deo volente: vti, liberata fuit re ipsa mulier illa septies icta gladio, sed frustra; cuius memini, me legere Historiam ante multos annos, in codice quodam Epistolarum S. Hieronymi peruetusto, parte secūda; & nunc illam, inter omnia Sancti eiusdem Hieronymi Opera, quæ Marianus Victorius postremò emendauit, atque edidit Romæ, rursum inueni, ac legi; tomo primo, epistola 49. ad Innocentium. Si quis autem nosse cupit causam, Quare, Deus gladij supplicio non liberauerit ordinariè Martyres, neque liberet (cùm hæc in præsentia postponenda sint, tanquam rei nostræ nihil conducentia) Martinum Delrium adeat, Disquisitionum Magicarum lib. 2. q. 21. qui præterea, mentionem etiam facit mulieris eiusdem septies ictæ.

Nunc autem reuertens ad propositum, sat habeo: vim totam eius antecedentis, de quo modò verba faciebam; quacunque via procedatur, corruisse: quantùm saltem ad primum, quod, inter supposita, in primo Incursu accidisse; occurrebat. Interim, ad secundum inter eadem, procedendum est.

SVBDISTINCTIO SECVNDA.

Quid dicendum, de Incendio Pinnæ Billorum, in primo Incursu.

36 OCcurrit igitur secundò Incendium ipsius Pinnæ Billorum, in ipso primo Incursu.

De

De hoc autem, breuiter dicendum illud, existimo: quòd in primo, nimirū, Incursu Pinna Billorum intra mœnia neutiquam fuit incensa, aut igne absumpta.

Id autem, vt asseram, conuincor ex eo: quòd, cùm aliquid, & Historicè narratur, & Tropologicè: si fides alicuius rei facienda sit; argumenta petuntur, non quidem ex Tropologica: sed ex Historica narratione solummodo. Quod sanè Sanctus Thomas, 1. p. q. 1. a. 10. ad 1. cum Sancto Augustino, in epistola, Contra Vincentium Donatistam, expresè docet; loquendo tamen de argumentis, ex Historico, vel Litterali Sacræ Scripturæ sensu, non ex Tropologico petendis. Vnde factum est etiam (quod non obiter, sed ad rem nostram noto) sicut idem habet, ibidem, a. 9. ad 2. vt ea, quæ, in vno loco Scripturæ, sub Metaphoris tradūtur, ac Tropis; in alijs fere locis, expressiùs exponantur.

37 At verò: Mastinus Historicè quidem narrat, ac Tropologicè; quæ spectant ad hostiles Incursus in Patriam.

Historicè quidem, in vtroque de ijs Carmine, iuncta quadam Prosa post illa. Ibi enim rerum huiusmodi gestarum seriem, & processum describit; & Historia non est, nisi, ***gesta rei expositio***, vt sentit Fabius Quintilianus, Instit. Oratoriarum lib. 2. cap. 4. cui ceteri consentiunt.

Tropologicè verò, in Oratione illa Funebri, cuius verba, in contrarium, adducta sunt supra. Nanque per Hyperbolen, quæ (ex eodem Quintiliano, lib. 8. cap. 6.) Tropus quidam est; exaggerando ibi, & ostendendo, Tuscos ipsos, tum primo, tum secundo bello, Pinnæ Billorum lares, domósque incendio absumpsisse; plura dicit, quàm significet. Dicit, nimirum, accidisse in vtroque bello; quòd re vera tantùm accidit in secundo. Qui dicendi modus, inter Hyperbolicos (eodem Quintiliano ibidem Auctore) profectò est primus.

Hac autem idcirco (sicut inde manifestè colligitur) est vsus Hyperbole; vt monstraret excessum iacturæ, quam propriam fecisse Patriam, putabat, à morte Ducissæ illius Elisabeth: ita vt iactura huiusmodi, iudice illo, existimanda foret, excedere iacturam; quam ex duplici incendio sui propria eadem Patria sentire potuerit. Quo modo pariter, & ad eundem finem, in eadem Oratione funebri hyperbolicòs addidit, Pinnensium rem, vtroque bello, fuisse depopulatos Etruscos; & ter Pinnæ Billorum muros cecidisse: bis, videlicet, ab hostibus, occasione dictorum bellorum; ac semel ab eodem ipsius Ducissæ interitu. De quarum rerum veritate, quid dicendum; infra patebit. Interim verò, certum est: hisce in euentibus, Orationem Rhetoricam debitum locum in se ipsa concedere Hyperbolæ; eámque tunc Orationis virtutem esse, non vitium. Qua de re legi potest, citato loco, citatus Quintilianus, & Carolus Regius, in Oratore Christiano, lib. 8. cap. 15. ac ceteri similes. Quocirca: eo in euentu (nimirum, ad ostendendum rei, de qua tractabat excessum) ita hyperbolicòs loquens Mastinus; suam illam Funebrem exornauit virtute, non vitio deturpauit, Orationem.

38 His itaque omnibus in hunc modum positis, ac declaratis; manifestè intelligitur: argumentum aliquod probans, in primo Incursu Pinnam Billorum intra mœnia fuisse incensam, & igne absumptam, vel contra; petendum esse ex ijs, quæ de rebus huiusmodi conscripsit Mastinus historicè: non ex ijs, quæ de ijsdem tropologicè conscripsit, & hyperbolicòs, ex quibus est petitum argumentum illud principale contrarium.

At verò: in Carmine, De Primo Incursu (vt in Procemialibus, ex ipsis Mastini verbis est visum) duo tantùm tunc hostes tentasse, scribit: nempe, bis in Billorum Arcem, & bis in Pinnæ muros impetum facere: præter hæc, ad-

addens: illos à nostris fuisse strenuè semper repulsos, nec permissos, maximè per Pinnæ muros, vnquam intrare; præsertim verò, fauente Dei Genitrice, per Ignitos illos, & Miraculosos Radios. De Incendio verò Pinnæ Billorum intra mœnia, déque ipsum sequente rerum incensarum absumptione; ne verbum quidem.

Igitur: non aliud inde sumi potest Argumentum, nisi comprobans; Pinnæ Billorum Incendium, ipsúmque sequentem, rerum incensarum absumptionem; in primo hostium Incursu, neutiquam accidisse intra mœnia.

39 Neque tamen responderi potest; Hæc accidisse quidem, sed illa Mastinum præterijsse. Viro enim tam docto, & erudito; imò, & tam bono (vt in secunda parte monstrabitur) qui ceteróquin Incendium, quod eo tempore tentatum est ab hostibus in Agro Pinnensi, non prætermisit, sed expresè (vti paulò ante vidimus) descripsit; tantus error tribuendus non est: vt, prætereundo rem substantialem vsque adeò; in primam Historiæ legem peccauerit, aut peccare voluerit; quæ (iuxta Tulliũ, lib. 2. De Oratore) in eo sita est; non solùm, *Ne quid falsi dicere* Historicus *audeat, sed, ne quid veri etiam non audeat; ne qua suspicio gratiæ sit, in scribendo, ne qua simultatis.*

Quocirca: optimè conuincente argumento, quòd ex Historica narratione modò deduximus, & excluso argumento contrario, quod ex narratione Hyperbolica sumebatur; in suo robore manet nostra negatiua Conclusio, de præsumpto Pinnæ Billorum Incendio intra mœnia, in primo Incursu.

SVBDISTINCTIO TERTIA.

Quid dicendum de rerum Depopulatione, in primo Incursu.

40 OCcurrit præterea tertiò Depopulatio rerum. De qua illud idem prorſus dico, quod hactenus dixi de Incendio intra mœnia. Nimirum: cùm huiuſmodi Depopulatio rerum, argumento ex Hiſtorica narratione Maſtini petito, probari nequaquam poſſit, acccidiſſe in primo Etruſcorum Incurſu in Pinnenſes; nihil etiam probare, illam accidiſſe in eodem, argumentum, quod petitum eſt à narratione Hyperbolica. Quare: hanc rerum Depopulationem in eodem primo Incurſu contigiſſe, penitus inficior.

SVBDISTINCTIO QVARTA.

Quid dicendum de mœnium Caſu, in eodem primo Incurſu.

41 OCcurrit ad extremum quartò Caſus mœnium. Hic autem, in primo etiam præfato Incurſu, modo quopiam accidiſſe; negari nullatenus poteſt. Comprobatur, enim expreſsè, nedum Hyperbolica narratione Maſtini (licèt ea de ſe, vt iam eſt viſum, nihil probaret) ſed (quod caput eſt) eiuſdem narratione Hiſtorica dupliciter.

Primò. Per verba, quæ facit, in principio Carminis, De ſecundo Incurſu: dum, deſcripto in primis anno, menſe, ac die, quo Tuſcus iterum irrupit in Pinnenſes; hæc addit:

Sem-

Semper & albenti lux annumeranda lapillo,
(Heu miseros !) semi & qua diruta mœnia Tuscus
Perfidus inuasit , &c.

Vocando nanque , in secundo Incursu , ante inuasionem iterari cœptam , mœnia Pinnæ Billorum semidiruta; indicat apertè , semidiruta fuisse in primo .

Secundò . Per verba , quæ habet , in Prosa , idem Carmen, de secundo Incursu, sequente . Vbi, mentionem faciens cuiusdam Rescripti Consulum Etruscorum è castris ; ita scribit . ***Altera verò luce rescripserunt Consules , recidiua iterum mœnia , solo aequari funditus, ac dirui debere*** . Recidiua verò dicuntur mœnia (quemadmodum , ex Seruio, tradit Robertus Stephanus , in suo Thesauro) quæ post casum renascuntur , ac restituuntur . Si ergo in secundo Incursu mœnia Pinnæ Billorum erant renata , & restituta ; in primo , necesse est , vt fuerint diruta , & excisa .

Hoc tamen nihil officit: quò minùs Pinna Billorum tunc fuisse , dici possit , in veritate liberata ; & per Miraculum . Quod à simili sic infertur .

42 Quandoquidem : Ex eo , quòd passi sunt non parum Bethulienses , cùm (vt habetur, Iudith 7.) Ciuitatem eorum Bethuliam inuasurus Holofernes,ante omnia præcepit suis, vt aquæductum intrò influentem inciderent ; posuitq; fontibus , qui non longè à muris erant , custodes, ne possent etiam inde Ciues aquam haurire ; ita vt , collectionibus tandem aquarum deficientibus intra Bethuliam, non esset ibi tantùm aquæ (vt sacer Textus ait) qua ***satiarentur , vel vna die*** ; concludi neutiquam potest : non fuisse Bethuliam ab armis militiæ Assyriorum , sub Holoferne Principe ; verè, ac per Miraculum liberatam . Quapropter : diuina Scriptura Ciuitatem hanc , ab huiusmodi armis liberatam , prædicat ; & liberatam , per Miraculum . ***Viuit Dominus*** (inquit ipsa Iudith , de cæde Holofernis

reuertens, ibi cap. 13) *quoniam custodiuit me Angelus eius*, &c. *& non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, &, sine pollutione peccati, reuocauit me vobis gaudentem, in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.* En expressè liberatio. Et paulò supra, in ipsis Bethuliæ portis, aiebat eadem; *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit Virtutem in Israel:* Et ecce Miraculum. Virtus enim hîc, ex Lyrano, effectum diuinæ virtutis designat: effectus autem diuinæ virtutis aliud non est, nisi Miraculum: & ideo Miraculum, propriè vocatur etiam Virtus; ex eo, quòd, tanquam naturæ facultatem excedens, diuinæ solius virtutis est effectus: id quod, etiam in Præfatione huius Primæ Partis, adnotauimus. Quocirca: Factum Iudith recognoscunt pro Miraculo Didacus Celada, & Saluianus: ille in caput 13. ipsius Iudith, §. 1. num. 6. per hæc verba; *Ecce tibi grande, & illustre facinus, & quod tentare non auderet bellator egregius, perfecit Deus per imbecilla Fæmina manum*; ille verò, lib. 7. De Prouidentia, per hæc alia; *Ne opus cælestis dextera virtuti assignetur humana, sed diuina; ferrata Assyriorum manus, Vidua Opitulante, ceciderunt.* Et ad rem nostram, primis in verbis, perpendiculetur, τὸ, *perfecit Deus*; in secundis verò, τὸ, *cælestis dextera*, ac, *virtuti diuina.*

Quemadmodum ergo (si, vt illationis vis appareat, repetere breuiter iam dicta licet) non fuisse Bethuliam liberatam per Miraculum ab Assiriorum armis, ex eo concludi neutiquam potest, quòd Bethulienses per illa passi sunt antea non parum; ita neque potest concludi, non fuisse liberatam Etruscorum ab armis, & per Miraculum, Pinnam Billorum; eoquod, ex Historica narratione Mastini cõprobatur; fuisse illius mœnia priùs ab hoste semidiruta.

43 Imò, ex eo quòd, ante quàm liberaretur, passa est aliquid huiusmodi, suis illa in mœnibus; Liberationis Mi-

Miraculum fit certè magis conſpicuum, magíſque apparet. Cùm enim hoſtes, iam dirutis mœnibus, ingreſſuri erant, & ope diuina prorſus, ne ingrederentur, erat opus; Pinnenſibus tunc liberatis, planè apparet: ope diuina, non humana, ac proinde, per Miraculum; liberatos eos eſſe. Vnde, is eſſe conſueuit mos diuinus: vt (quemadmodum notarunt Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, Homil. 54. in Matth. & Theophylactus, Marci 8.) quò, maiori admiratione Factum homines proſequantur; Miracula tunc tantùm fiant, cùm eſt opus. Et ſic etiam, rem conſideranti licet aduertere; in prætacto euentu Iudith obtigiſſe.

His itaque ita concluſis: duo tantùm hîc reſtant adnotanda.

Alterum eſt. Conceſſum hunc mœnium Caſum nullatenus opponi illi effato, quo aſſerebat Maſtinus; In tanto belli tumultu nullum è Pinnenſibus amiſiſſe, vel minuiſſe rem, opéſue ſuas. Quia, ſermo ibi fit expreſsè de amiſſione, minutionéue rei, & opum tantùm priuata; hîc verò, de publico detrimento.

Alterum eſt. Tertium ipſorum mœnium Caſum, de quo Maſtinus loquitur in Oratione illa funebri; non propriè debere intelligi: ſed metaphoricè. Propriè nanque bis tantùm huiuſmodi mœnia ceciderunt: ſemel, nempe, in primo, ſemel, in ſecundo Incurſu; & ſemper ab hoſtibus. Quare, tertium ibi mœnium Caſum addens, quarto vtitur modo Hyperboles; qui eſt (ex Quintiliano, iam citato loco) per translationem.

Et hæc dicta ſint de ijs omnibus, quæ, in principali argumento contrario, ſupponuntur accidiſſe, in primo Incurſu.

44 Deinceps dicendum eſt de ijs, quæ accidiſſe ſupponuntur, in ſecundo.

DISTINCTIO TERTIA.

Quid dicendum de Incendio Agri Pinnensis, de rerum Depopulatione, de Incendio domorum, intra mœnia, ac de mœnium Casu, respectu secundi Incursus. Circa quæ, tribus occurritur Difficultatibus, quæ proponuntur.

AD hunc autem titulum ita respondetur. In secundo Incursu accidisse supponuntur ex ibi enumeratis omnia; primo tantùm excepto. Supponuntur, nimirum, accidisse quidem Depopulatio rerum; Incendium larium, & ac domorum, intra mœnia; & mœnium Casus, & Euersio.

Primum, quod est Incendium Agri Pinnensis eapropter excipitur; quia, de illo in Carmine, De secundo Incursu, & alibi, nihil Mastinus.

Reliqua porrò tria, quæ negari sanè non possunt, asseueranter ob id affirmãtur; quia expresśè, & asseueranter affirmat etiam ea Mastinus. Affirmàt quippe, nedum in Oratione funebri citata, in qua, licet plura dicat hyperbolicòs, quàm sint hæc (vt iam inuimus paulò supra) propriè tamen hæc tantùm significat; sed, & insuper in citata Prosa, quæ sequitur Carmen, de secundo Incursu, & in alia Oratione quadam, in funere Baptistæ Mastini sui Genitoris; quem post hunc secundum Incursum obijsse, ex eadem Oratione clarissimè patet. In Prosa nanque; circa finem, de hostibus Etruscis ait. *Fugientum opes postera luce diripiunt, vniuersum Oppidum succendũt.* Et ecce Depopulatio, & Incendium intra mœnia. In Oratione verò, de mœnibus loquens; *Hæc nostra*, inquit, *heu diruta mœnia*! &c. Et ecce mœnium Casus, & Euersio. Quibus, etiam congruunt, quæ notat Leander Albertus, in Descriptione sua totius

Italiæ. Vbi, in Flaminia Italiæ Regione quartadecima, mentionem faciens Pinnæ Billorum, & Maioli, amborum Feretranæ Prouinciæ locorum; sic, vulgi tamẽ lingua, litteris prodidit. ***Furono queste due vltime Castella saccheggiate, e mal trattate da Giouannino de' Medici Capitano de' Cauallieri di Leone Papa X. nell' anno*** 1522. hoc enim est idem, quod narrat Mastinus.

45 Hæc autem si vera sunt: Quî fieri potest, vt in hoc secundo Incursu Pinna Billorum liberata dicatur?

Respondetur. Fieri posse, vt tunc Pinna Billorum dicatur liberata, quemadmodum re vera liberata est; ex eo: quòd, exterritis hostibus per Apparitionem Deiparæ, & eapropter ab obsidione discedentibus; ex tali discessu, sicut, in Responsione principali ad argumentum contrarium principale pariter, expressimus; à multis malis erepta remansit: in qua ereptione, iam vidimus, Liberationem substantialiter consistere.

46 Sed, si discesserunt hostes, & exterriti: Quo modo, & Quare, sunt reuersi; & tanta mala nostris intulerunt?

Modum porrò, & causam enarrat Mastinus, in citata Prosa: cuius enarrationis hæc est summa.

Conscij Pinnenses haud erant fauoris diuini, quo per Virginis Matris Apparitionem exterriti hostes, ab obsidione digressi fuerant; vt modò dicebam. Interim, iteratis epistolis, illis rescribebat Princeps eorum Franciscus Maria I. Feltrius à Ruere Dux Vrbinatium IV. qui tunc in Saxo Coruario castrametabatur; se pro exploratissimo habere, inimica Castra illinc in Sanctum Leonem discessisse; quò exinde machinas bellicas, atque tormenta in eorum afferrent excidium. Se, vt pluribus pollicitus fuerat, affectabátque, suppetiatum adesse, prohiberi. Proinde, hortari, velléque; vti, relicta Patria cum familijs, &, quas possent, sarcinolis; ad se, facto irent agmine: missurum

Va-

Vascones ad Serriolas, super Monte Caprineo, cunctorum tutelæ affuturos. Reliqua se illis necessaria procuraturum. His ægrè perlectis, præsidiarius peditatus vniuersus, inde acturum, iter ad montem ingreditur. Populares omnes repentinæ sese accingunt fugæ: ita vt, ceteris portis occlusis, & aggere septis, ad exitum verò, vna tantùm portula patente; adeò n de priore egressu sæpe certatum sit. Ne multis: eorum plerisque ad vesperum foras elapsis, & iam obortis tenebris; *Ex tot animantum millibus, quos nostra tunc tulit Patria; quatuordecim duntaxat viri ea nocte intra mœnia fuimus*; inquit, Mastinus. Formidabatur plurimum, & ex Principis Rescripto, & ex inopinato Castrorum recessu, ne ventura luce machinas, ad expugnandum, ac tormenta conueherent. Animo titubantes, & spe cassi conantur pro viribus quatuordecim illi viri, qui remanserant; communibus, priuatisque rebus consulere. Legatos sub diluculo ad Primates Etruscos in Sanctam Leonem, vbi degebant, mittunt; qui de pace agerent. Redeunt eo die. Referunt, eos pepercisse, & obsides velle. Illico nouem dantur. Quinque retinentur in Sancto Leone, quatuor Turriculam ad Consules (illic enim posuerant Castra) trahuntur. A Consulibus lautè ad mensam excepti, mitique allecti eloquio, admonentur, ne desciscant. Remittuntur inde ad Patriam cum ducentis peditibus; qui illam pro Etruscis custodiant. *Et ecce modus, & causa, qua petebantur; hostilis regressus*. Causa, quia nostri cælestis ignari fauoris, & peiora timentes; sese illis dediderũt; modus (quod solùm ad hostes attinet) per simulationem pacis, & custodiæ. Hanc certè simulatam custodiã, & pacẽ, ipsi nostri rem eam non intelligẽtes; laboribus metam putabant. Ita credentibus, præsidiarij milites biduum totum illudunt. Pinnam, & Bilium perlustrant: laudant cuncta munitissima: improbant aliàs mœnibus il-

latam

latam ruinam, veluti in finibus Florentinæ Reipublicæ, & illius proposito conducentibus. Altera luce, de Castris rescribunt Consules; Recidiua iterum mœnia (quod etiam paulò supra tetigimus) æquari solo, funditúsue dirui debere. Angebantur sensibus intimis Pinnenses, propter hæc. Omnis spes à proprio Principe frustrabatur: mortem timebant obsidibus: direptiorem rerum, domorúmque adustionem suspicabantur. Animis demum non deficientes, alterum ex præsidiarijs Primipilaribus in Castra mittunt; exploraturum, quorsum comminata tendat ruina. Hic astu, dolóque refert; Patriam hanc à Consulibus, depopulandam Sueuis, fuisse destinatam. (Erant autem Sueui Germani quidam milites bellicosissimi, ab Etruscis mercede conducti.) Hac arte sunt vsi præsidiarij pedites; quia volebant ipsi rem diripere, domósque incendere; sicut euentus edocuit. Nostros verò, quotquot adessent præsentes, verebantur. Quocirca, per hos dies, ne noctu aggressi, ab ijs dijugularentur; se Bilium, in Arcem, vesperi dormitum recipiebant. Rumorem itaque spargunt, Sueuis destinatæ populationis; quò se nostri conferant in fugam, & domos, rémque omnem diripiendam, relinquant. Quod hi statim, nihil impedientibus, ne nocturnis quidē imbribus, & ventis; necessitate prorsus cōpulsi fecerunt. Ipsi verò, non sanè ampliùs præsidiarij, neque per speciem, sed hostes aperti; postridie fugientium opes diripiunt, & cetera cuncta succendunt: nemine resistente, prohibentéque, cùm intus residuus fuerit nemo, qui posset. Atque hunc exitum res habuit: & quinto fermè, aut sexto die, posta quàm, per Deiparæ Virginis Apparitionē, ab hostili obsidione liberati sunt Pinnenses; huius tamen tam singularis, diuiníque beneficij penitus tunc inscij; vt iam, non semel, assertum est.

47 At enim: Quare, diuinitus ab hac direptione, atque

que ab hoc incendio non sunt quoque seruati; quemadmodum diuinitus seruati sunt, & ab obsidione paulò ante, & ab obsidione, alijsque malis in primo Incursu?

Sanè, Psaltis illud ad Deum hîc pronunciandum est. ***Iustitia tua, sicut montes Dei; iudicia tua abyssus multa.*** Psalmo 35. Et cum Apostolo Paulo, ad Romanos 11. exclamandum; ***O altitudo diuitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*** Attamen, si in obscuris, & imperscrutabilibus, ad nostram doctrinam, aliquid effari, fas est; suppetit congrua huic rei Sancti Bernardi sententia, quam, sermone 3. De Epiphania Domini, scribit in hæc verba. ***Humanum flatigantes consilium, diuinum amisere ducatum.*** Et loquitur de Magis nostri Saluatoris nati adoratoribus: quos ***conuersos***, inquit ipse, ***ad terrenum documentum; signum caleste deseruit.*** Quod, nimirum, tunc accidit, cùm, ingressis illis Ierosolymam, dicentibúsque, ***Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?*** Stella, quam, quasi ducem itineris, eoúsque semper habuerant; sese ab eis abscondit.

48 Pinnenses quidem, cùm in hisce postremis angustijs versarentur: ad vnicum afflictorum Refugium; ad suam ipsorum propriam Tutricem, & Custodem; ad Matrem, quam ipsi appellatam voluere Gratiarum; ante illius Imaginem prope adhuc madentem Lacrymis, lacrymantes ipsi quoque; nullatenus leguntur, confugisse: quemadmodum positi in primi Incursus angustijs confugisse leguntur; ita de ijs (vt etiam alibi vidimus) decantante Mastino.

Curritur sacrum, Speciosa, Numen
Ad tuum, Custos Vigil ò popelli,
Oppidi ac, Virgo Veneranda, nostri
Sedula Tutrix.

De

Deinde.

Fundit hic supplex sua vota quisque,
Quisque, profusis precibus, fatigat, &c.

Et post pauca.

Diua, tu nostros miserata casus,
Aure non surda, gemitus trementum
Sumis ab Alto.

Quapropter: tunc, & ab obsidione, & à ceteris malis portentosè admodum liberati sunt; & eâdem fortasse de causa, ad liberandos eosdem, etiam ab obsidione Incursus vltimi, se diuina Miseratio protendit.

Sed potiùs, in ijsdem postremis angustijs leguntur conuersi ad hostes: ab illis, nimirum, pacem leguntur flagitantes: illorum audientes monita: ab ipsis accipientes consilia, documenta, præsidia: vnico verbo, leguntur anteferentes terrena, & humana; diuina, & cælestia postponentes: quod, narratum ex Mastini Prosa, modò conspeximus. Quid igitur mirum, si diuinum ducatum, & adiumentum amittunt; si à signis portentísque cælestibus deseruntur? Sic, ijs contingere solet, qui cælestium, diuinorúmque obliti; solis terrenis, & humanis adhærent.

Ac de suppositis in argumento contrario principali, de ijs, nempe, quæ, ad illius tollendas difficultates quascunque, primò addenda erant, vt promisimus; est satis hactenus dictum: ad quæ tamen spectant etiam nonnulla, dicenda in Secunda Parte. Restat, vt dicamus de illo, quod, propter eandem causam, secundò addendum erat; nimirum, de Præstigio.



DI-

DISTINCTIO QVARTA.

Respondetur ad illud, quod, in fine dicti argumenti contrarij principalis, de Præstigio subijcebatur.

49 AD illud igitur, quod, ad confirmandũ, Liberationẽ Pinnensium, in eodem secundo Incursu, non fuisse Miraculosam, in fine argumenti dicti principalis addebatur de Præstigio; cùm dicebatur, ex eo, quòd eadem Liberatio parum durauerit, vocandam illam potiùs esse Præstigium, non Miraculum (Præstigia nanque sunt, quæ diu durare non possunt) ita respondetur.

Non omnia sanè Mira, quæ parum durant; inter Præstigia ponenda sunt: neq; id, eo loci, qui citatus est in argumento; vult sibi Sanctus Thomas. Aliter enim, Præstigia dicenda essent multa Mira: & maximè duo, quæ referuntur, Exodi 4. & vnum, quod refertur per Petrum Iacobum Baccium, in Vita Sancti Philippi Nerij, lib. 3. cap. 12. Omnia siquidem hæc parum omninō durauerunt.

50 Duo priora quidem: quia, Conuersio virgæ in colubrum, postaquàm iussu Dei à Moyse proiecta est in terram (quod est Mirum primum) tandiu durauit; quoad, eodem iubente Deo, idem Moyses manu apprehendit caudam colubris; qui propterea conuersus est iterum in virgam. Et Manus leprosa, quæ talis effecta est ex eo, quòd, imperante Domino, misit eam Moyses in sinum suum (quod est secundum Mirum) pariter durauit tandiu; quoad, propter eiusdem Domini mandatum; eam iterum retraxit idem Moyses in sinum; & idcirco sanitati pristinæ fuit restituta. Et hanc durationem (si quis diligentiùs perscrutari velit) tantum spatium, in vtroque Mi-

Miro habuisse, ponderando verba Sacri Textus, facilè intelliget; quantum satis fuit, ad peragenda quædam ipsi Moysi; & ad proferenda verba nonnulla, ipsi Deo. In primo nanque Miro: viso colubro, Moyses aliquantulùm aufugit. Deinde, dixit illi Dominus: *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius: qui extendit, & tenuit.* Et hoc est spatium durationis primi Miri; & sanè, quod inficiari non potest, breuissimum. In secundo autem: cùm vidisset idem Moyses manum suam leprosam; audiuit à Domino: *Retrahe manum tuam in sinum tuum:* & ipse retraxit, nihílque fecit aliud. Et hoc est spatium durationis Miri secundi, pariter quambreuissimum.

51 Quòd posterius autem Mirum, relatum in Vita S. Philippi Nerij, vbi supra, durauerit parum; expresse constat ex narratione talis euentus, qui est ad vitam excitatio, cuiusdam adolescentis nobilis Romani, nomine Pauli de Maximis: & (vt citatus Baccius recenset) ita se habet.

Agebat animam adolescens: qui, cùm Sanctus Philippus accersitus, vt adesset, & Sacrum faciens, accedere minimè potuisset; interim moritur. Peracto Sacro, tandem accedit Philippus: cui Fabritius adolescentis parens fit obuiam dicens; Paulus noster mortuus est. Tum Philippus rectà, vbi iacebat defunctus, ingreditur; lectique lateribus innixus, ad dimidium horæ quadrantem, orationem producit. Post hæc, aqua lustrali adolescentis faciem aspergit: modicumque ex ea labijs instillans; in ora insufflat. Quo peracto, imposita fronti dextera, bis alta voce inclamat; Paule. Qui repentè, non secùs ac, si à somno excitaretur; oculos aperit, respondetque. Quid, Pater? & postea subdit. Peccatum memoria exciderat, illudque confiteri, desidero. Philippus monet adstantes, vt parumper secedant: &, Crucifixi imagine adolescenti porrecta; confessionem excipit. Reuersis domesticis, Vir Sanctus fa-

familiariter puerum alloquitur. Et is, perinde ac, si sanus esset, solida semper, claraque voce respondet. Imò, & facies, ac genæ eo fuerant rubore perfusa; vt spectantibus, nihil penitus ægrotasse, videretur. Sermo inter eos fuit, tum de matre, tum de sorore præmortuis. Colloquio ad semihoram producto; Philippus Paulum interrogat: num libenter è vita discederet? Vtique libenter, respondet. Tum secundò interrogat; An verè libenter? Libentissimè, iterat: eò maximè, vt matrem, ac sororem inuisam. Ad hæc Philippus, benedictionem adolescenti impertiens, ait. Abi igitur, fili, Deumque pro me ora. Atque, his dictis, Paulus, inter vlnas Beati Parentis, spiritum efflat. Hæc Baccius.

Ex quibus manifestissime patet, & Mira defuncti Pauli, per Sanctum Philippum, reuocatio; & Miri, hoc est, restitutæ mirabiliter vitæ, ad breuissimum tempus, ad semihoram, videlicet, perduratio.

52 Attamen: & duo priora, & hoc posterius Mirum, necessariò Miracula dicenda sunt: cùm singula necessariò debuerint esse Miracula.

Duo sanè priora: quia illa idcirco facta sunt (quemadmodum ibi dixit ipse Dominus ad Moysem) vt crederent Hebræi, quòd verè apparuerit illi Dominus Deus Patrum suorum. Hoc autem credere, nullo modo coacti fuissent (vt ait Abulensis in eum locum Exodi) nisi subitò, & præter solitum, rem vnam in rem alterius speciei, ad quod nulla naturalis causa sufficit, sed infinita requiritur potentia; se ipsis præsentibus, conuersam vidissent: hoc est (ex dictis, in principio huius Primæ Partis) nisi se ipsis præsentibus, vidissent patrata Miracula. Vt igitur cogerentur Hebræi credere, quod debebant; duo illa Mira, nimirum, duæ illæ Miræ conuersiones, & virgæ in colubrum, iterúmque colubri in virgam, & sanæ manus in leprosam, & leprosæ iterum in sanam, quæ factæ sunt eam

pro-

propter causam; necessariò debebant esse tales, vt ad eas naturalis causa non sufficeret, sed virtus requireretur infinita: atque adeò necessariò debebant esse Miracula.

53 Posterius autem; quia, secùs errasset Ecclesia: cùm tale Mirum inter Miracula ponat in Lectionibus, quas approbauit, & non iam ampliùs ad libitum, sed ex Innocentij Papę X. pręcepto quod hoc anno 1653. postremò prodijt, in festo eiusdem Sancti recitat. Errare autem in similibus Ecclesiam; nulli sanè Catholico, & de Catholica Ecclesia bene sentienti cadere quidem potest in mentem. Quandoquidem, *Neque Romana Ecclesia, neque ipsius Caput errare potest in Miraculorum comprobatione*; vt optimè docet Fortunatus Scacchus, De Cultu, & Veneratione Seruorum Dei, lib. 1. sect. 8. cap. 1. vers. *Perspicuum est igitur*. Cuius rei rationem reddens, hæc addit. *Miraculorum enim iudicium indirectè ad Fidem pertinet: tum, quia in actis Seruorum Dei, ad eorum Canonizationem dirigitur; tum, quia (vt dicit S. Thomas, 2.2. q 178. a. 1. c.) doctrina Fidei fit credibilis per operationem Miraculorum: iuxta illud Marci, cap. vlt. in quo sermo est de prædicatione Apostolorum, post Christi ascensum in Cælum; Et sermonem confirmante (supple Deo) sequentibus signis. Quia necesse est, inquit S. Thomas, vt sermo prolatus confirmetur; ad hoc, vt credibilis fiat. Atque adeò, qui non potest errare in doctrina Fidei, neque in Canonizatione Sanctorum; nec etiam in comprobatione Miraculorū errare poterit.* Hæc Scacchus.

Ex quibus omnibus apertè concluditur, quod, ab initio Distinctionis huius dicebamus: non omnia, scilicet, Mira, quæ parum durant; inter Præstigia ponenda esse.

54 Porrò autem: illa Mira ponenda inter Præstigia sunt; non quidem, quæ parum durant: sed, quæ diu durare non possunt, ex intrinseca ratione sui: nimirum, propterea quòd (vt ait Pererius, De Magia, lib. 1. cap. 8.)

X sunt

sunt opera simulata, non solida, & vera. Etenim, operâ Dæmonum illa fiũt: dum, hi commouent humores, & spiritus visuales oculorum alicuius; ita vt, hæc patiens, ob huiusmodi commotionem, videatur sibi, extra se videre, quod re vera non est, neque videt; quemadmodum contingit, in Apparitionibus phantasticis; de quibus, in hac eadem Quæstione, supra, Sectione 1. Et licèt hinc eueniat, vt tandiu durare possint istiusmodi Præstigia, quandiu Dæmon ipse, vt causa commouens, commouere non cessat; vnde, si per longum tempus non cessaret commouere, per longum tempus etiam durarent, & Præstigia; hæc tamen duratio, nequaquam proueniret ab intrinseca soliditate, ac veritate, quam illa non haberent: sed ab extrinseca Dæmonis commotione. Per occasionem commotionis cuius, hîc incidit etiam, vt intelligamus; quare, Mira taliter effecta, Præstigia nuncupentur. Cùm enim, ea commotio fiat in humoribus, & spiritibus visualibus oculorum; & propterea perstringat, aut quasi obfuscet, & obnubilet oculos: idcirco, à perstringendis, hoc est, quasi obfuscandis, & obnubilandis oculis (propter quam obnubilationem, siue obfuscationem, res aliter videntur, quàm re vera sunt, aut ea videntur, quæ re vera non sunt) Mira huius generis dicuntur Præstigia; hoc est, quasi Perstigia. Sic, Sanctus Thomas, 2. 2. q. 95. a. 3. c. vbi videndus est etiam Caietans.

55 Et ex his oritur: quòd, ad Præstigium propriè dictum, quatuor saltem requiruntur. Primum, Opera Dæmonum: secundum, commotio humorum, & spirituum visualium oculorum: tertium, Visa non realia, sed apparentia: vnde nascitur, & quartum; vt, scilicet, Præstigium, de sui natura, diu durare non possit.

Dixi, ***Ad Præstigium propriè dictum:*** quia, largè, ac non ita propriè; Præstigia solent appellari, etiam illusiones

Mi-

Miræ illæ; quæcunque fiunt opera Dæmonum, absque commotione aliqua humorum, & spirituum visualium in videntium oculis.

Et sic: largè videntur sumi debere Præstigia, in eo loco Sancti Thomæ secundi Sententiarum, dist. 7. q. 3. a. 1. ad 2. qui adductus est in principali argumento contrario. Verba enim eiusdem S. Thomæ, ibi, præcisa, hæc sunt. *Suscitare mortuos, & huiusmodi; Dæmones facere non possunt: sed tantùm in Præstigijs, quæ diu durare non possunt.* Certùm est enim (quemadmodum tradit Delrius, Disquisit. Magic. lib. 2. q. 29. sect. 2.) multas esse solere Dæmonum illusiones circa similia. Ad ostendendos nanque mortuos, ipsorum operâ sui suscitatos; interdum corpora mortuorum furantur, & aërea quædam alia substituunt; quæ mouent instar viuentium. Interdum verò, vt, quæ verè cadauera sunt, viuere fingant; ipsa illi subingrediuntur: quæ, sicut nautæ solent mouere naues; ita illi mouent, & viuorum opera, gestúsque cogunt, imitari. Et interdum etiam, tantummodo perstringunt oculos eorum; quibus volunt, mortuos rediuiuos apparere. Cùm ergo dicat Sanctus Thomas, Dæmones in Præstigijs suscitare mortuos posse; &, in tali suscitatione mortuorum, Dæmones aliter, præterquam per perstrictionem oculorum, hominibus illudere, per allata ex Delrio, constet; apertissimè quoque sequitur: Præstigia, hoc in loco Sancti Thomæ, largè sumi debere; nec tantùm significare illusiones, quibus nobis Dæmones illudunt, per oculorum perstrictionem; sed etiam enumeratas alias.

56 Quocunque autem modo sumantur Præstigia: semper habent tamen, quatuor saltem conditiones. Omnia, nempe, tres habent ex iam dictis; nimirum, primam, tertiam, & quartam: & quæ secundam non habent; vice illius habent aliam. Primam quidem habent omnia; quia

omnia fiunt opera Dæmonum. Tertiam verò; quia dato, quòd, per Præstigia possint apparere corpora, quæ suas habentia veras dimensiones, extra videntem sint: ea tamen, corpora vera dici non debent; sed corporum similitudines potiùs (ex Caietano vbi non longè supra) cùm idem illud nequaquam sint, quod repræsentant. Quartam autem; quia Præstigiosa talia de natura sui semper parum durant: aut saltem tandiu non durant, quandiu durarent; si essent aliquid verum. Quæ tandem, conditionem secundam non habent (cùm non fiant per commotionem humorum, & spirituum visualium) vice tamen secundæ huius conditionis, habent aliam: corpora, nimirum, aut aliunde exportata, aut efformata ex aëre; quæ, nempe, vt modò dictum est, illud ipsum non sunt, quod esse, videntur.

57 Nunc porrò ad rem nostram. Liberatio Pinnæ Billorum, quæ in secundo contigit Incursu; quanquam non diu, sed parum, quinque, scilicet, aut sex dies, durauit; attamen Præstigij conditionem habuit nullam.

Non primam. Quia Dæmones (vt bene notat Petrus Thyræus, De Spirit. Apparitionibus, cap. 10. num. 11.) in suis Præstigijs, pro fine habent Dei contemptum, & summum nocendi studium. Ex hac autem Liberatione sunt orta potiùs Dei, Deique Genitricis honor, & gloria; & Pinnensium salus, & vtilitas.

Vnde patet obiter: nullum etiam ex præcedentibus, hactenúsque examinatis Miraculis, hoc est, neque Miraculum Lacrymarum, neque Miracula, propter Liberationem hanc postremam, & propter alteram perpetrata; posse aliquaquam ab aduersario aliquo Dæmonum operæ adscribi. Ex nullo enim illorum apparent orta, quæ sibi Dæmones, præstigiosè operando, præstituunt, vt fines; sed ex omnibus potiùs, & expresè dignoscuntur, esse profecta; quæ sunt Dæmonum finibus contraria.

Non

Non secundam, & tertiam. Quia hostes ab obsidione re vera recesserunt: cùm re vera sint ab omnibus visi, recedere; sic, vt in Procœmialibus exscripsimus, referente Mastino.

En, tibi sic libuit quoniam, mitissima Virgo,
Prospicimus Montem latantes Felicianum,
Castraq; Arimineas mox, post contendere ad vndas, &c.

Vnde fictitium prorsus, & ridiculum esset, asserere: quòd, per commotionem humorum, & spirituum visualium alicuius, aut aliquorum, quam operati sint præstigiosè Dæmones, apparuerint hostes recedere; aut, quòd recesserint corpora quidem, sed aërea, tanquam à Dæmonibus efformata, & omnino ab ijs diuersa, quorum personas gerere putarentur.

Non denique quartam. Quia, si non durauit huiusmodi Liberatio; non ex intrinseca ratione sui hoc factum est: sed, quia sic Deus voluit, ob occulta sua iudicia, & ad instructionem nostram; vt iam supra declarauimus.

Igitur, affirmari nullo modo potest: quòd, Liberatio istiusmodi Miraculum non fuerit, sed aliquod Præstigiũ.

Ita verò, conclusa sit, & Sectio Quarta, & Tertia tota Quæstio. Imò, & conclusa esset etiam tota Pars Prima Dissertationis; nisi quædam adhuc essent illi appendenda.



APPENDIX,

Quæ partim ad Quæstionem primam, partim ad tertiam pertinet; partim verò toti Primæ Parti communis est.

Occurritur sex contrarijs argumentis.

1 PRoponenda, ac soluenda restant argumenta sex: quorum primum est, contra nonnihil assertum in prima Quæstione: secundum, tertium, & quartum; contra quædam de Apparitionibus tradita in tertia: ac duo demum reliqua, generatim contra principaliter conclusa singulis in tribus huius Primæ Partis Quæstionibus, hucusque discussis. Hæc verò singula; iam conscriptis ceteris omnibus, fuerunt à quodam suggesta: quapropter, hoc loco, ceteris ijsdem appendi debere visa sunt.

Argumentum primum, & Solutio.

2 ASsertum est, in Prima Quæstione, Sect. 2. §. 3. numero 14. & 15. Bonos Angelos nihil præter solitum cursum rerum posse facere; nisi ex nouo speciali Dei iussu, atque imperio: Angelos verò malos, ad agendum præter solitum rerum cursum, talem diuinum iussum, & imperium non expectare. Ergo, si hæc vera sunt; plus possunt Angeli mali, quàm boni. Quia, plus potest, qui ex se solo facere potest; quàm qui facere potest ex alieno iussu, vel imperio. Consequens est absurdum; ergo, & id, ex quo sequitur.

3 Re-

3 Respondetur, negando primam consequentiam. Quia, si Angeli boni, nec operantur, nec possunt operari præter solitum rerum cursum sine diuino iussu; etiam, neque Angeli mali operantur, aut possunt operari sine Dei permissione. Vnde, nullo modo sequitur ex Asserto nostro; plus posse Angelos malos, quàm bonos. Quin, propterea quòd Angeli boni, quando præter solitum rerum cursum est illis operandum, operantur semper ex diuino iussu, congruenter ijs principijs, quibus, loco citato in argumento, nos fuimus nixi; sequitur potiùs, illos multò plus posse, quàm Angelos malos. Cùm enim, diuinum iussum sit etiam diuina quædam specialis virtus (vt eodem loco vidimus) quæ proinde, vt virtus, adiuuat insuper, ac perficit naturalem Angeli virtutem; hinc fit: vt tātò plura, tantóque perfectiora possit Angelus bonus taliter iussus, atque adiutus, quàm Angelus malus, qui, tametsi permissus, tamen haud iubetur, atque adeò diuina virtute speciali haud adiuuatur; quantò plura, ac perfectiora creatura potest à Deo specialiter adiuta, quàm sola sua virtute naturali. Videatur Suarez, De Angelis, lib. 4. cap. 37. num. 9. & 10.

Argumentum secundum, & Solutio.

4 IN Quæstione 3. Sect. 1. §. 1. num. 3. scriptum est: Apparere posse Deum, Angelos, & Animas glorificatas. At, est certissimum; etiam animas non glorificatas apparere: quod ostendunt exempla multa, videnda præsertim apud Petrum Thyræum, De Spirituum Apparitionibus, capite 11. numero, in editione postrema, 217. 218. & 219. Quin, & viuentes quoque solent apparere aliquando: sicuti, rem claram faciunt pariter exempla multa, quæ idem Thyræus affert, in libro, De

Prodigiosis viuorum Apparitionibus, cap. 1. num. 6. & deinceps. Ergo, vel diminutè admodum enumerata sunt, quæ possunt apparere; vel dictum est aliquid, vnde corruant Apparitiones ceterarum animarum, quæ non sunt glorificatæ, ac viuentium prætere.

5 Respondetur: Non omnia, in adducto loco, de Apparitionibus dixisse me; quæ de ijs dici possunt in vniuersum. Quapropter, ibidem, num. 7. Lectorem plura volentem Scriptores ad illos remisi; qui De Apparitionibus tractant ex professo. Et quoniam, de Apparitionibus egi, ad ostendendum, Apparitionem illam indiuiduam, de qua in dicta tertia Quæstione disputaui, non fuisse, nisi Virginis Deiparæ, ac proinde, nisi aliquod Miraculum; atque id putaui, bene me assecuturum, si ostendissem, eam non fuisse Apparitionem aliquam ex impropriè dictis, & vi naturæ inferioris effectam, neq; Apparitionem aliquam ex propriè dictis alicuius mali Spiritus, vel Dæmonis, sed tantùm Apparitionem aliquam alicuius boni Spiritus, atque ita, Virginis Deiparæ, cuius quidem præ se ferebat imaginem; idcirco egi diffusè de Apparitionibus impropriè dictis, & effectis vi naturæ inferioris, vel artis alicuius, ac de Apparitionibus propriè dictis, quæ sunt manifestationes inuisibilium eorum, in quorum est actiua potestate, videri, & non videri, cuiusmodi solùm sunt, & Deus, & Angeli, siue boni, siue mali, qui hanc potestatem habent naturaliter; & Animæ glorificatæ, quæ (vt scribit Sanctus Thomas, in 4. d. 45. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. c. & ad 2. hãc potestatem habent, *ex virtute gloria*, duntaxat. Quapropter: enumerando illa inuisibilia, in quorum est actiua potestate, videri, & non videri; Deum non nisi, Angelos, & Animas glorificatas adduxi.

6 Scio quidem, ac fateor: animas etiam non glorificatas, vt, quæ in Purgatorio detinentur, quin, & quæ damna-

damnatæ cruciantur in Inferno flammis æternis; interdum apparere viuentibus: &, vt cum non paucis, maximè cum Sancto Augustino, lib. De Cura pro mortuis, cap. 15. & 16. loquar; Impudentia summa esset, hoc ipsum diffiteri. Tamen: quemadmodum, illud idem pariter scio, & fateor, obtingere quandóque de hominibus viuentibus, vt, nimirum, ipsi alijs viuentibus appareant; sic, dicere non audeo de Animabus in Limbo demorantibus. ***Habemus enim testimonium grauissimorum Auctorum de regressu Animarum ex omnibus Receptaculis, præter quàm ex Limbo puerorum;*** inquit Bellarminus, tomo primo Controuersiarum, controuersia 6. lib. 6. cap. 8.

Sed Apparitiones huiusmodi omnes (sicuti Petrus Tyræus, Isagoge, in librum, De Prodigiosis hominum Apparitionibus, de his præsertim loquendo, tradit) vel fiunt naturaliter, vel præter, & supra naturam. Si fiant naturaliter (addit idem Thyræus, modò citati libri cap. 2. num. 32.) illarum ***causa est natura, vel Calum:*** & sic, ad somnia pertinent. De Apparitionibus autem ad somnia pertinentibus nos agimus expressè. Si fiant præter, vel supra naturam; quicquid in his conspicitur, sicut quidem ex obedientiali potestate, vel potentia dependet, qua prædictæ animæ, vel homines viuentes præditi sunt, ad apparendum; sic, nequaquam illud accidit ex actiua potestate, quam, vel eædem, vel ijdem habeant, vt videantur, & non videantur pro suo libito: sed omnino totum fit permissione, dispositione, ac iussu, virtutéue diuina, per bonos, vel malos Angelos. Ita Sanctus Thomas, ac Thyræus: ille, in 4. Sentent. vbi paulo supra; hic, de Spirit. Apparit. cap. 11. cit. in arg. num. in editione postrema 221. & alibi.

7 Vnde si loquamur de animabus, quæ, vel cruciantur in Inferno, vel in Purgatorio purgantur; earum Apparitiones (vt eodem loco docet Sanctus Thomas) propter

eam

eam causam interdum à Deo permittuntur, vel iubentur; vt per illas, qui præsentem vitam adhuc agunt, vel erudiantur, vel à vitijs absterreantur; vel ad suffragandum illis animabus adducantur, quæ suffragiorum sunt capaces. Quamobrem: earum, quæ, vel perpetuas in Tartaro pœnas luunt, vel expiantur igne in Purgatorio, animarum speciem obtutibus viuentium exhibeant; est necesse. Si verò loquamur de hominibus viuentibus; etiam est necesse, vt eorum Apparitiones, quò dici possit, hæc esse talis, illa vero talis viuentis hominis Apparitio; particulares, indiuiduósq; homines ad amussim repræsentent, neq; aliud quidpiam.

Vt ergo, propter hæc, nemo argumentari poterat circa illam Apparitionem, quam examinaui, ac dicere; Fuit Apparitio animæ alicuius damnatæ, vel in Purgatorio existentis, ergo non fuit Virginis Deiparæ; vel, Fuit Apparitio talis hominis viuentis, ergo non fuit Virginis Deiparæ; quia speciem nullius ex dictis animabus, & nullius talis hominis viuentis exhibebat: sic mihi, ad ostendendum, illam fuisse non nisi Virginis Deiparæ, & non nisi Miraculosam; non erat necesse argumentari, ac dicere; Non fuit animæ vllius existentis, vel in Inferno, vel in Purgatorio; siue non fuit vllius hominis viuentis; ergo fuit Virginis Deiparæ, ac Miraculosa: quia, si apparent dictæ animæ, atque homines viuentes (nisi appareant naturaliter, ac per somnia), & præter, & supra naturam apparent, & miraculosè; & non aliam, nisi propriam speciem repræsentant. Atque hæc est ratio; quare, de Apparitionibus huiusmodi mihi non fuit agendum. Ac proinde, propterea quòd de ijs non egi; dici non possunt illæ corruere. Præsertim, cùm, vt proximè notum fiet, Apparitiones tales ad Apparitiones arte factas, de quibus egi; omnino pertineant.

Ar-

Argumentum tertium, & solutiò.

8 IN eadem Quæſt. 3. Sect. 1. n. 1. poſita eſt Apparitionis definitio,& dictũ eſt: Apparitionem eſſe manifeſtationem quandam, qua ſe res illa, ſecundùm ſuam naturam inuiſibilis, aliquando manifeſtat; in cuius poteſtate eſt, videri, & non videri. Sed huiuſmodi definitio Apparitionibus non glorificatarum, animarum,atque hominum viuentium nullo modo competit; cùm, ex dictis,in animarum non glorificatarum, atque in hominum viuentium poteſtate non ſit, videri, & non videri; ergo definitio illa non eſt bona.

9 Reſpondetur: Apparere propriè (vt patet ex ijs, quæ ibidem, n. 2. ſcripſimus) dicere potentiam, ſiue poteſtatem quandam actiuam, ſeſe conſtituendi in oculis eorum, quibus Apparens apparet, & ſeſe pariter, tanquam inuiſibilem, pro libito ſubducendi ab ijſdem: quam poteſtatem, cùm animæ non glorificatæ, hominéſq; viuentes abſq; vllo dubio non habeant; ideo, non fuit neceſſe: vt Apparitionis propriè dictæ definitio, non glorificatarum animarum, atque hominum viuentium Apparitionibus competeret: quæ proinde,nec videntur Apparitiones propriæ dicendæ, ſed potius Viſa quædam, atque arte facta; non arte quidem hominum; verùm, vel bonorum,vel malorum Angelorum, ſic, Deo ſummo diſponente, vel permittente; iuxta illa, quæ, tum paulò ſupra, tum etiam alibi dicta ſunt ;& ex Sancto Thoma, & ex Thyræo. Quare, non ſequitur: definitionem à nobis traditam Apparitionis propriè dictæ, non eſſe bonam.

Vbi obiter addendum eſt:hinc omnem prorſus occaſionem tolli præterea, qua calumniari quis fortaſſe vellet meum illud effatum, tanquam non ſolidum; quo eadem

Quæſt.

Quæst. 3. Sect. 1. n. 64. pronunciaui; Dari tantùm Apparitiones propriè dictas, vt, in quibus ea se manifestant, in quorum est potestate, videri, & non videri; & impropriè dictas, quæ, nempe, fiunt vi naturæ inferioris, aut artis. Non enim affirmari potest, non glorificatarum animarum, atque hominum viuentium Apparitiones in diuisione hac non comprehendi; si ad Apparitiones illæ spectant, quæ arte quapiam sint factæ.

Argumentum quartum, & Solutio.

10 IN eadem Quæst. 3. sect. 1. §. 3. Dist. 2. n. 15. positum est: in Apparitione vlla illarum, quæ naturaliter, aut artificialiter fiunt, illa inuisibilia se manifestare; in quorum est potestate, videri, & non videri. Tamen ibidem, n. 19. scriptum est etiam: Contemplationem inuisibiliũ pertinere ad intellectualem Apparitionem naturaliter factam: quemadmodum, Dist. 4. n. 31. est additum; Cognitionem scientificam de Dei, Angelorum, & Animæ rationalis existentia; ad Apparitionem intellectualem artificialiter factam pertinere. Sed, in his, omni dubio procul, se illa inuisibila manifestant; in quorum est potestate, videri, & non videri. Ergo, per hoc illi contradicitur, quod erat iam positum.

11 Respondetur: In Apparitionibus intellectualibus, & naturaliter, & artificialiter factis manifestari quidem inuisibilia: sed, non sanè manifestantur hæc efficienter, & actiuè: veruntamen, obiectiuè tantùm, ac passiuè. Certum est enim: esse huiusmodi quoddam obiectum, & materiam contemplationis, vel scientificæ cognitionis: circa quæ, licèt aliquid operetur vtique, vel agat contemplans, & cognoscens; obiectum tamen, & materia merè passiuè se prorsus habent, vt est clarum. Totum contrarium in Ap-

Apparitionibus intellectualibus propriè dictis contingit. Ibi enim ipsa inuisibilia, quæ se quomodocunque visibilia faciunt; proinde, vt facta visibilia, se manifestant: atque ita, operantur, & agunt; dum, Apparitionem talem efficiunt: quæ postea, vbi se quoquo modo visibilia fecerint; omnino se habent obiectiuè, & quasi materia quædam intellectionis, & cognitionis. Quare: cessat ex his, iam in contrarium conclusa, contrarietas; ac cernitur obiter differentia maxima, quæ inter Apparitiones intellectuales propriè dictas, & naturaliter, vel artificialiter effectas; intercedit.

Argumentum quintum, & Solutio.

12 MIracula fiunt (vt est suppositum, in Præfatione huius Primæ Partis, ex ipso Sancto Thoma) vel ad prædicatam veritatem confirmandam; vel ad facientis testificandam Sanctitatem. Ad neutrum istorum erat necesse, vt Miraculosè fieret aliquid ex ijs; quæ Miraculosè fuisse facta, tanto conatu probata sunt hactenus. Non ad prædicatam veritatem confirmandam: quia, tunc temporis Beatissima Virgo, quæ talia Miracula dicitur patrasse; certum est, quòd nullam veritatem prædicabat. Non ad facientis testificandam Sanctitatem: quia, Virginis eiusdem Beatissimæ Sanctitas testatissima iamdudum erat. Ergo, Miraculosè illa facta esse, dicenda non sunt.

13 Respondetur: Quòd, si duo illa, quæ tanguntur hoc in argumento, essent Miraculorum omnium principalis finis; ex allata ibi ratione affirmandum quidem esset: non, ad prædicatam vllam veritatem confirmandam, fuisse talia facta Miracula; verùm, duntaxat, ad facientis, hoc est, ipsius Virginis Deiparæ, Sanctitatem testificandam. Et hoc sanè dici posset, non, quòd antea non esset illa testatis-

sima

sima (hac enim de re dubitare, quisnam potest?) sed, quòd homines pro illorum corrupta, & animali natura, quæ (vt ait Apostolus, 1. ad Corinthios 2.) *Non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*; subinde solent illius obliuisci: maximè, *si nimis* (inquit Bellarminus, Concione 10. De Natiuitate Domini) *afficiantur erga mundum*. Præoccupatus enim sæcularibus desiderijs animus (vti Sanctus Bernardus antea tradiderat Sermone sexto, in Ascensione Domini) illud Psalmi 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum*; dicere nequaquam potest. Quandoquidem (ex eodem Sancto Bernardo, ibidem) *Nec misceri possunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; vt pariter sapias, quæ sursum sunt, & quæ super terram*.

14 Attamen, illud hîc est bene aduertendum: quòd, tam confirmatio prædicatæ veritatis, quàm testificatio Sanctitatis, propter quæ, dicitur in eodem argumento, fieri Miracula; tendunt principaliter ad hominum vtilitatem. Sic, expressè docet Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 178. a. 2. c. qui est locus adductus, tum, huiusmodi in argumento, tum, in Præfatione, de qua in eo; quapropter, in illa quoq; idipsũ adnotauimus; et Sãcti Doctoris ecce verba. *Vera Miracula*, inquit, *non possunt fieri, nisi virtute diuina. Operatur enim ea Deus ad hominum vtilitatem, & hoc dupliciter. Vno quidem modo, ad veritatis prædicatæ confirmationem; alio modo, ad demonstrationem Sanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere, in exemplum virtutis*. Sic ille: & ad rem præsentem, quam ego assero; clariùs loqui sanè non poterat. Hinc igitur fit: vt fateri prorsus oporteat; Miracula omnia fieri principaliter, propter hominum vtilitatem.

15 Quoniam autem ad hanc vtilitatem (præter exempla capienda virtutum, & fidem adhibendam veritati prædicatæ) congruenter ijs, quæ tradunt, & Sanctus Augusti-

gustinus, lib. De cura pro mortuis, cap. 6. & Dominicus Sotus, in quartum Sententiarum, dist. 45. q. 1. a. 4. vers. *Atque, & vsu*, & Gregorius de Valentia, Commentariorum Theologicorum tomo 4. disput. 11. q. 1. puncto 2. vers. *Certum est* (quæ loca citata sunt etiam alibi supra) reducuntur insuper, & consolationes, & fauores, quibus diuinitus ipsi sint homines prosequendi, & auxilia, quibus, eodem pacto, sint ijdem, vel præseruandi, vel eripiendi ab ærumnis, & id genus alia; quibus equidem accedunt insolita, tum excitamenta, tum inductiones ad Sanctorum cultum, quæ procul dubio pertinet admodum ad capienda virtutum (quæ dicebamus) exempla; quocirca (vt omittamus alia Sanctorum Patrum effata de hac re) scriptum reliquit idem Sanctus Augustinus (in Sermone 47. De Sanctis) illud, etsi tritum, grauissimum tamen; *Solemnitates Martyrum exhortationes sunt Martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat*; proinde concludendum est: Miraculorum finem principalem, qui (vt vidimus ex clara S. Thomæ doctrina) vtilitas est hominum; huiusmodi omnia, quæ hic enumerare libuit, includere. Quapropter: tametsi (vt ad rem nostram tandem veniamus) confirmanda prædicata veritas non esset; neque fortè fuisset Virginis Deiparæ testatissima Sanctitas rursum testificanda, per Facta Miraculosa, de quibus agimus; aliæ nihilominus Pinnensium, ceterorúmque Fidelium vtilitates certè non deerant; quarum causa dici possit, voluisse Deum, ipsius Deiparæ intuitu, prece, nimirum, vel nutu; istiusmodi Miracula patrare.

Argumentum Sextum, & Solutio.

16 TRibuta sunt Angelo cuipiam opera illa singula, quæ Miraculosa fuisse, conclusimus; atque probaui-

bauimus. Ergo, Angelus quispiam emisit illas Lacrymas: Angelus quispiam, Ignitis Radijs, percussit oculos hostium: Angelus quispiam apparuit: & sic de ceteris. Ergo mendacium loquuntur monumenta, quæ de his in Procemialibus relata sunt: cùm dicunt, Imaginem, siue Figuram Virginis Deiparæ Lacrymas effudisse; Virginem Deiparam Ignitis Radijs oculos furentium percussisse; eandem apparuisse; ac de reliquis ita.

17 Respondetur: Concedo antecedens; & nego consequentiam. Et quoniam, in ea tria præsertim erant expressa; de singulis etiam illis rationẽ libet aliquam reddere negationis. Inde verò, poterũt rationes etiã elici negationis eiusdem circa cetera, quæ in eadem expressa non sunt.

Si loquamur ergo de primo expresso, quod est emissio Lacrymarum: idcirco negaui cõsequentiam; quia, iuxta vsitatum loquendi modum; non dicuntur, emittere Lacrymas veras, ac proprias, causæ illæ, quæ sunt illarum efficientes, vel materiales, vt dictum est in prima Quæstione: sed homines illi, ex quorum oculis huiusmodi Lacrymæ re vera fluunt. Pariter ergo: neque Angelus, qui, præcedentibus Dei Genitricis ad Deum precipus, ipsius Dei, atque ipsius Dei Genitricis iussu, dictus est, per motum localem, Analogicas, & Miraculosas effecisse Lacrymas, de quibus hæc nostra Scriptura partim procedit; erat exprimendus, in prædictis monumentis, Lacrymatus esse, aut Lacrymas effudisse: Sed Veneranda illa Deiparæ Virginis tantùm Imago, ex cuius Oculo dextero depicto verè, ac reapse tales Lacrymæ sunt effusæ; precibus, & iussu præsertim eiusdem Dei Genitricis, vt dictum est.

18 Si verò loquamur de secũdo expresso, quod est oculorum Percussio per Ignitos Radios: idcirco negaui consequentiã; quia (vt bene, atque ingeniosè obseruat Sanctus Augu-

Auguſtinus, in tractatu, De Trinit. lib. 3. cap. 11. vbi loquitur de hiſce rebus, & ideo videndus, & conſiderandus) *Cum verba iudicis præco pronunciat; non ſcribitur in geſtis, ille præco dixit: ſed ille iudex.* Sic igitur: cùm, à Dei Genitrice iam exorato Deo, illáque imperante, quiſpiam Angelorum effecit Corpus illud lucidum, cuius Ignitis Radijs, oculi furentium hoſtium ſunt percuſſi; non ſcribendum erat in ijſdem monumentis, Angelus percuſſit: ſed Virgo Dei Genitrix percuſſit. Quæ quidem illa regula nituntur omnia, quam ad propoſitum idem attulimus alibi; *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere, cenſetur.*

19 Si demum loquamur de tertio expreſſo, quod eſt Apparitio Dei Genitricis: idcirco negaui conſequentiam; quia, quanquam illa perſonaliter (quemadmodum concluſimus in ſuo loco) ipſi Vigili non apparuit, ſed imperſonaliter; & quicquid ab illo viſum eſt, totum alicuius Angeli opera, ſed eadem Virgine, reſpectu Dei, deprecante, reſpectu Angeli autem imperante, factum eſſe, ſit credendum; non tamen, præfatis monumentis erat conſignandum, Angelum apparuiſſe: verùm, conſignandum erat, vt eſt conſignatum, apparuiſſe Chriſti Matrem; cuius, apparens illud Simulacrum, præ ſe ferebat imaginem. Angelum apparuiſſe monumentis ijſdem conſignandum vtique fuiſſet; ſi (vt ait Petrus Thyræus, De Spirituum Apparitionibus, cap. 4. num. 24.) *res ab effectoribus, non autem à formis, & earum imaginibus nomina ſortirentur. At, non res id dicuntur, à quo fiunt: ſed, quod ſunt, quodque repræſentant. Imago Imperatoris non pictor: ſed Carolus V. dicitur.* Sic ille: qui videndus eſt, tum ibi, tum De Locis infeſtis, parte prima, cap. 23. num. 8. & 9. & cum illo Conſaluus Durantus, De Viſionibus, cap. 4. verſ. *Sed hic quiſpiam*, & deinceps; vbi citat Suarez, Valentiam, & alios: & iterum videatur omnino Sanctus Auguſtinus, vbi ſuprà.

20 Ex quibus apertissimè præterea patet: ex nostris Positionibus, vel Conclusionibus inferri nullatenus illud posse; quod, hoc sexto in argumento, inferebatur: loqui, nempe, mendacium, quæ sunt in Prooemialibus relata, monumenta. Imò contrà, procul dubio mentirentur ipsa; dum exprimerent, Angelum Lacrymas effudisse: Angelum percussisse oculos furentium Ignitis Radijs: & Angelum apparuisse. Cùm, stantibus nostris huiusmodi Positionibus, & Conclusionibus; tum Imago, quæ Lacrymas emisit, tum Corpus, quod emisit Ignitos Radios, tum demum Simulacrum, quod apparuit; Angelus re vera non fuisset, nec Angelum repræsentasset. Qua in re satis quidem clara (nisi quis adire Cornelium à Lapide velit, explicantem illa verba, quæ Tob. 5. Raphaël Angelus habuit cum ipso Tobia, dum dixit, *Ego sum Azarias Ananiæ magni filius*; vbi ad hoc propositum plura, & pulchra) sufficiunt prorsus hactenus dicta.

Per quæ, finiat etiam huius nostræ Dissertationis Prima Pars.



SE-

SECVNDA PARS
DISSERTATIONIS.

De illorum Probatione, quæ dicimus Facta Lacrymarum, & Liberationis vtriusque.

PRÆFATIO.

Ad rerum continuationem, iam dicta summatim repetuntur: de Probatione dissertare, Quid hic sit; breuiter expenditur: ac demum, quærenda proponuntur.

IN Prima Parte, iam absoluta: motus ea ratione, quam explicui, §. 5. Procemialium; de Factis huiusmodi quæsiui, Quid, & Quale, in esse quasi entis, & naturæ. Cùm enim, Facta hîc appellem, tum, quæcunque obtigerunt in Lacrymatione illa Venerandæ admodum Imaginis Virginis Deiparæ, quæ, Pinnæ Billorum, Sancta Maria Nouissima De Gratijs nuncupatur; tum, quæcunque pariter obtigerunt in Liberatione vtrâque Pinnensium ab armis hostilibus; quæsiui proinde: tum, Quid fuerint illæ Lacrymæ; tum, Quid etiam fuerint ea omnia, quæ hostes ab obsidione Pinnensium discedere compulerunt, vt Igniti illi Radij, & id, vnde processerunt, & Apparitio illa Virginis Matris; tum præterea, Quid fuerit etiam Liberatio illa præcisè sumpta, cum alijs quibusdam, quæ nunc repetere non est opus: & de his quærendo, quæsiui quoque, An prædicta singu-

la fuerint Miraculosa; quod est quærere, Qualia fuerint, in esse item (vt dixi) quasi entis, & naturæ.

Restat ergo: vt, ob eandem rationem, quæram nunc de Factis ijsdem, An sint: hoc est, An sit aliquod medium probans, talia Facta esse, vel potiùs aliquando fuisse, atq; extitisse. Quærens enim, An aliquid sit (vt ibidem dicebatur, cum Sancto Thoma) nihil quærit aliud; nisi, An sit medium aliquod probans, & ostendens, tale aliquid esse. Et id quærens, de nulla re alia; nisi de Probatione quærit: cùm Probatio (vt similiter ibi dicebatur, ex Siluestro, quod plures alij confirmant) nihil sit; nisi rei dubiæ, per argumenta, ostensio. Quærere igitur de Factis Lacrymarum, & Liberationis vtriusque, An sint; est, illud idem quærere, seu potiùs de illo eodem dissertare; de quo esse dissertandum, est, hîc in titulo, propositum: est, nimirum, de illorum Probatione dissertare; quæ dicimus Facta Lacrymarum, & Liberationis vtriusque.

De qua Probatione, quærenda nunc occurrunt solùm duo.

Primum est. *Quid probet Factum Lacrymarum.*
Secundum est. *Quid probet Facta Liberationum.*



QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

Quid probet Factum Lacrymarum.

DIstinguitur Quæstio, tribus Responsionibus congruenter, quæ illi adhibentur sigillatim; in tres etiam Sectiones: quarum singulæ singulas continent Responsiones; vt patebit.

SECTIO PRIMA.

Ponitur prima Responsio, cum suis Rationibus; & adduntur Argumenta contraria, cum Solutionibus.

HÆc autem omnia quinque Paragraphis expediuntur; quorum nullus distinguitur.

§. I.

Resoluitur, probari propositum Factum, Inscriptione incisa Lapidi; & ostenditur quare.

1 REspondetur igitur ad Quæstionis titulum primò. Tale Factum Lacrymarum plenè probat Inscriptio, in Lapide incisa, quæ, §. 3. Proœmialium, relata est; & ex duplici capite.

Primò. Quia, talis Inscriptio Scriptura publica est.
Secundò. Quia, illa eadem est Scriptura in lapide.

Quod ad primum spectat, sic arguitur. Omnis Scriptura publica plenè probat. Inscriptio supradicta Scriptura

generis huius est; ergo plenè probat.

2 Quòd Scriptura publica plenè probet; docet Mascardus, De Probationibus, conclusione 105. num. 7. & 8. addens, huiusmodi Scripturam probare *vsque adeò; vt, in antiquis, maior sit adhibenda fides Probationibus, quæ fiunt per Scripturam; quàm illis, quæ fiunt, per testes: licèt regulariter, testes pares sint Scripturæ: cùm, in antiquis, testes præsumantur obliuiosi; quod non contingit in Scriptura.* Hæc ille. Quòd autem, Factum Lacrymarum sit antiquum; patebit ex dicendis: maximè, cùm spatium interiectum inter tempus, quo illud accidit, & præsens; excedat longè centum annos.

3 Quòd verò, eadem Inscriptio Scriptura publica sit; ostenditur ex eo, quòd est in loco publico exposita. Scripturas enim expositas in loco publico publicas esse; firmat, & Laurentius Calcaneus, in consil. 90. & Bartholomæus Cassanæus, in consil. 15. & Hieronymus Gratus, in respons. 122. num. 3. volum. 2. & Hieronymus de Monte, tract. De Finibus, cap. 65. apud eundem Mascardum, De Probat. conclus. 399. num. 6. & 10. Sed locum, in quo exposita est dicta Inscriptio, esse locum publicum; deduci planè potest ex lege 4. ff. Ad Legem Iuliam peculatus; vt apparebit ex dicendis infra, num. 24. & num. 66. ac deinceps, & alibi.

4 Quod attinet ad secundum: difficultas consistit, in demonstrando, Scripturas in lapidibus incisas, plenè probare. Hoc autem sic demonstratur.

Primò, Quia, iuxta Glossæ intellectum, ibi, hoc ipsum deducitur ex canone, *Sane*, secundo, 24. q. 2. vbi dicitur post quædam: quòd Sancti Patres, *eos, qui iniustè condemnati sunt, reuocauerunt post mortem; &, in Sacris Diptychis, scripserunt.* In quem locum dicta Glossa, verbo, *Diptychis*, hæc habet. *Et est argumentum, quòd, si in*

si in aliquo lapide, vel columna inueniatur Scriptura; fides est ei adhibenda. Ergo, ex hoc Canone, sentit Glossa, deduci argumento; Scripturas inuentas in lapidibus, vel columnis; plenè probare. Et huius consequentiæ ratio est: quia, simpliciter, & absolutè illa loquitur: cùm simpliciter, & absolutè dicat; *Est ei fides adhibenda.* Verba autem simpliciter, & absolutè prolata, simpliciter etiam, & absolutè intelligenda esse, nisi, sic intellecta, superflua reddantur, nihilque significent; (quod hoc in casu non potest accidere) bene tradit Barbosa, in Axiomatibus Iuris, axiomate 222. num. 29. firmans principale dictum, auctoritate legis, *Hoc legatum*, in fine, ff. De Legat. legis primæ, §. *Si quis simpliciter*, ff. De verborum Obligat. Ruini, consilio 56. in fin. lib. 2. & Cardinalis Tuschi, Practicarum Conclus. tomo 8. litt. V, conclusione 92. per totam; & limitationem, auctoritate Baldi, in l. *Liberti, libertæque*, num. 28. C. De Oper. libert. Simonis de Pretis, De Interpret. vltimarum volunt. lib. 4. interpret. 2. dub. 2. numero 7. & Cardinalis Manticæ, De Coniecturis vltimarum volunt. lib. 10. tit. 1, num. 2. & tit. 2. num. 25. At verò: Probatio plena est illa, cui simpliciter, & absolutè fides adhibenda est: ad differentiam semiplenæ Probationis, cui fides est adhibenda tantùm cum addito, & secundùm quid; hoc est, fides tantùm aliqua: propterea quòd semiplena Probatio (quemadmodum scribit Mascardus, De Probat. q. 4. num. 17.) est, per quam rei gestæ fides tantùm aliqua fit, & non plena. Ergo, cùm simpliciter, & absolutè dicit huiusmodi Glossa, argumento deduci ex dicto Canone, Scripturis inuentis in lapidibus, vel columnis, fidem esse adhibendam; sanè concludendum est, eam loqui de Probatione plena, non de semiplena.

5 Sed est notandum: hoc argumentum Glossæ deduci ex eo Canone, à simili. Compertum enim arbitror: di-

ctionem illam, ***Diptychis***, in qua sita videtur argumenti vis; nihil significare lapideum. Quare, ex duabus expositionibus eiusdem dictionis, quas hæc affert Glossa; primæ tantùm adhæreo, qua dicit, eà significari tabulas: non secundæ, qua, ***Diptychas***, interpretatur, columnas esse, vbi imagines patrum, in suo catalogo, ponuntur: nisi fortè sic, velit conuenire cum Ecclesiasticis, de quibus infra. Nanque certum est, dictionem hanc esse Græcam. Et, qui de vi Græcarum dictionum agunt; vt Budæus, in Commentarijs linguæ Græcæ, & Henricus Stephanus, in suo Thesauro, tomo 3. significationes huius dictionis tres tantùm assignant. Quarum prima est: vt **Δίπτυχος** idem sit, ac duplex, vel duplicatus, vel complicatus: quod etiam **Διπλοῦς** dicitur. Secunda, vt, **Πτύχες**, dictio simplex, ex qua componitur, **Διπτύχες**, idem sit, ac valuæ testaceæ, quæ in ostreis, modò panduntur, modò clauduntur. Vnde Sanctus Ambrosius, lib. 5. Hexameron, cap. 8. eas valuas, tali Græca voce composita, Latinéq; terminata, ***Diptychum*** appellat. Etenim, loquendo de cancro pisce, qui ostrei carnibus, tanquam epulo sibi lautissimo, vescitur; ac difficultate, periculóque monstratis, in quæ, cibum huiusmodi temerè venando, posset incidere; hac illum, quò voti sui, citra vllum incommodum, compos euadat; vti scribit industria: nimirum: ***Explorat, si quando ostreum, remotis in locis ab omni vento, contra Solis radios, Diptychum illud suum aperiat, & reseret claustra testarum; vt, libero aere, visceris sui voluptatem quandam capiat: & tunc, clanculo calculum immittens impedit conclusionem ostrei, ac sic aperta claustra reperiens tuto inserit chelas; visceraque interim depascitur.*** Hæc Sanctus Ambrosius. Et inde (præter lepidum cancri piscis ingeniũ, quod obiter possumus obseruare) significatio secunda, de qua nos, restat expensa. Tertia demum est, vt, **Πτύχες**

lami-

laminas pugillarium denotet, in quibus antiqui stylo scribebant; vt apud cunctos antiquitatum obseruatores est notum. Ex quibus omnibus, consideratis etiam dicti Canonis verbis, quæ, vt vidimus, hæc sunt, ***Et in sacris Diptychis scripserant***, facilè intelligitur; tertiam tantùm allatarum significationum competere ibi dictioni, ***Diptychis***: quod, & congruit cum prima, quam attulimus, expositione Glossæ, & fortassis etiam cum secunda.

6 Et sanè sic est. Sacræ nanque ***Diptycha*** (inuenio siquidem apud Latinos Auctores dici, vt singulari numero, ***Diptychus***, ***Diptycha***, & ***Diptychum***; sic & plurali, ***Diptychi***, ***Diptycha***, & ***Diptycha***) apud Ecclesiasticos, erant antiquitus tabellæ duplices inuicem compactæ, & conglutinatæ, instar libelli, vt complicari possent (quam duplicitatem, complicationémque, vt ex dictis apparet, ipsa quoque dictio designat) in quarum altera viuorum, & Episcoporum maximè, aliorúmque dignitatis aliquo in gradu locatorum; in altera verò, mortuorum nomina scribebantur: quæ nomina præter hæc, ex ipsis, ***Diptychis*** in ipso Canone Missæ quotidie recitabantur; prima videlicet, ad viuorum recordationem illam, quam communiter eorundem Memento solemus appellare; secunda porrò, ad Memento mortuorum. Ita, nouissimè traditur à Dominico Magrio Congregationis Oratorij Messanensis Presbytero, sua Vocabulorum Ecclesiasticorum in Notitia, verbo, ***Diptychũ***; vbi citat, & Anastasium, in Agathone, & Alcuinum, De Celebrat. Missarum: & ante ipsum Magrium, hoc ipsum tradiderat, tũ, Annotatio ad dictũ Canonem, littera, *B*, quæ est vna de Annotationibus illis, quibus, iussu Gregorij XIII. Gratiani Decretum illustratum est; vbi pro hac re, præter citatos à Magrio, multi allegantur, & multa; tum maximè, Ioannes Stephanus Durantus, De Ritibus Ecclesiæ, lib. 2. cap. 43. n. 8. & 9. &

Ga-

Gauantus, in Thesauro sacrorum Rituum, tomo 1. p. 2. tit. 9. n. 2. litt. c, & fusissimè omnium Heribertus Ros-rueydus in suo Onomastico ad Vitas Patrū, verbo, *Diptychum*.

7 At verò: tabellas, quas pugillares etiam, vel pugillaria vocabant, & in quibus antiqui stylo scribebant, lapideas fuisse; non lego: quemadmodum lego, fuisse illas, vel cereas, vel eburneas, vel membraneas, vel ligneas; vt citreas. Quin, ab initio nascentis Ecclesiæ, etsi non fuerit chartarum vsus, quas ex linteis contritis effectas, nostris temporibus adhibemus; certè tamen, iam vsus erat chartarum, ex papyro, frutice in Ægypti palustribus nascente, præparatarum; inuentus ante tempora Numæ: vt sunt auctores, & Plinius, Naturalis Historiæ lib. 13. cap. 13. & Polidorus Virgilius, De Inuentoribus rerum, lib. 2. cap. 8. Quare: potest esse, vt huiusmodi Sacræ, & Ecclesiasticæ, *Diptycha*, fuerint, nedum ex cera, aut ex ligno, vt ex citro, aut ex ebore (vnde refert loco citato Rosuueydus hos duos versus à Fortunato lib. 10. carm. 10. sumptos;

Nomina vestra legat Patriarchis, atque Prophetis,
Cui hodie in Templo Diptychus edit Ebur)

aut ex membrana; sed etiam ex papyro: nequaquam tamen, aut difficillimè saltem; ex lapide: vocatæ autem semper, *Diptycha*; siue à duplicitate; siue, quia plicarentur, vt dictum est.

8 Ex his manifestè satis dignoscitur: Glossæ argumentum à simili, quod præ manibus habemus adhuc; posse, in eum, qui sequitur, modum, procedere. Fides adhibetur Scripturis in Diptychis. Ergo fides adhiberi debet, etiam Scripturis in lapidibus. Cōuincit consequentia: tum, quia, *Vbi est eadem ratio, ibi debet esse Iuris eadem dispositio*, l. *Illud*, ff. Ad legem Aquiliam, & lege, *A Titio*, ff. De verborū Obligationibus; tū, quia, *De similibus idem debet esse*

esse iudicium, cap. *Inter ceteras*, De Rescriptis, cap. 2. De Translat. Prælat. cap. *Cum secundum Apostolum*, in principio, De Præbendis, cap. *In causis*, De Re iudicata; ceteris omissis textibus, & Canonicis, & Ciuilibus, idem prorsus probantibus, quos affert Euerardus, in Locis argumentorum legalibus, loco, *A simili*, n. 3. Inter, *Diptychas*, autem, & lapides intercedere similitudinem, esséque in ijs eandem rationem; intellectus est istiusmodi Glossæ. Glossam verò, vbi textus deest, esse maximæ auctoritatis; docet idem Euerardus, in loco, *A contrario*, n. 42. ex Bartholo, in legem, *Vt vim*, ff. De Iustitia & Iure, & ex Baldo, in legem, *Cum hæreditas*, C. Depositi, vel contra; maximè, si ratione iuuetur, vt idem Euerardus addit, in loco, *Ab auctoritate*, in fine numeri 9. quæ ratio hîc certè non deest. Quemadmodum enim ratio, quare sit fides adhibenda, *Diptychis*, ea est, quæ colligitur ex dicto Canone, nimirum, quia Sancti Patres in illis scribebant; sic ratio, quare fides est adhibenda lapidibus, est eadem; quia, scilicet, in illis (cùm soleant in publicis locis exponi) scribitur auctoritate Maiorum, vel expressa, vel saltem tacita. Quocirca: eorundem pariter auctoritate (vt experientijs non paucis patet) interdum, cùm est opus; talium lapidum Scripturæ corriguntur. Ceterùm: argumentum à simili, si dictis modis procedat, nimirum, cum auctoritatis, & rationis fundamento, esse admodum fortè; concludit idem Euerardus, dicto loco, *A simili*, num. 7. Et hactenus de primo, quo demonstratur, Scripturas in lapidibus plenè probare.

9 Secundò, demonstratur illud idem, & breuiùs. Quia, Glossa, in cap. *Cum causam*, De Probationibus, verbo, *per libros*; æquiparat Scripturam repertam in aliqua columna, vel lapide, Instrumento producto ex Archiuo publico. Instrumentum autem huiusmodi plenè probat: vt

ex-

expressè statuitur, C. De Fide Instrumentorum, lege, ***Ad hac***, & Authent. De ijs, qui ingrediuntur, §. ***Illud***, vers. ***Si verò***. Ergo, pariter plenè probat Scriptura reperta, in aliqua columna, vel, in aliquo lapide.

10 Tertiò. Quia sic sentiunt, & firmant multi Doctores, apud Mascardum, citata conclus. 399. num. 5. 6. 7. & 8. vt Guido Papæ, in quæst. 193. num. 1. & idem in consil. 88. num. 2. & Hippolytus de Marsilijs, in rubricam Codicis, De Probat. num. 192. & Alexander, consil. 90. num. 22. volum. 6. & Barbatia, consil. 6. num. 8. volum. 2. & Laurentius Calcaneus, in consil. 90. num. 8. & alij. Ipse verò Mascardus, ibidem, num. 14. explicando, quid hac in re sentiat; asserit, Hanc esse veritatem.

11 Quartò. Quia sic habet consuetudo. Quare, si Sancti alicuius iam canonizati, aut ex antiquis illis, qui certò sciantur, in Sanctorum Ecclesiasticis Tabulis esse conscripti, aliquando contingit, vt Reliquiæ denuo reperiantur; illas pro veris approbat is, ac publicæ decernit exhibendas venerationi, cuius istud, secundùm Canones, est munus; vnico nixus fundamento Scripturarum, in lapidibus: maximè, si nihil timeatur, Hæreticorum, vel Schismaticorum fraude, siue circa eas esse confictum, siue pro ijs, quæ veræ, ac legitimæ sint, esse suppositum; vt rectè docet Fortunatus Scacchus, De Cultu, ac Veneratione Seruorum Dei, lib. 1. sect. 9. cap. 3. vers. ***Vt autem***.

Ac proinde: sic ad amussim, factum est Romæ, cùm inuenta sunt Corpora Sanctorum Caij Papæ, Ricchardi, Philippi, Nicasij, & Martini Martyrum, anno 1622. die 21. Aprilis; vt refert, Cæsar Becillus, post suas Notas, ad Acta Sancti Caij Papæ, & Martyris; sub titulo, ***Inuentio Corporis Sancti Caij Papa***.

Sic etiam factum est, item Romæ, cùm inuenta sunt alia

alia Corpora Sanctorum, Martinæ Virginis, Concordij, Epiphanij, & Socij Martyrum, anno 1634. 25. Octobris, vt, in Historia Sanctæ Martinæ Virginis,& Martyris,enarrat Marsilius Honoratus; qui (vt modò citatus Cæsar Becillus quoque) Congregationis Oratorij Romani Presbyter est.

Sic tandem, partim saltem, factum est in comprobandis aduentu, & identitate Lauretanæ Domus; vt scribit Siluius Serrallius, in libello Italicè conscripto, cuius titulus est, *La Santa Casa abellita*; parte 1. cap. 7.

12 Et eapropter Sanctus Carolus Borromæus, in Concilio Prouinciali primo (vt apparet in Actis Ecclesiæ Mediolanensis,parte 1. lib. 1. tit. *De Sanctarum Reliquiarum Veneratione, atque Custodia*) circa istiusmodi lapidum Scripturas, quædam sanxit: & præsertim, num. 18. vt, in lapide illius arcæ, in qua Reliquiæ, siue Corpora Sanctorum reconduntur, Inscriptio certa incidatur; ex qua Sanctorum Nomina; quo tempore, siue Reliquiæ, siue Corpora fuerint reposita; vnde translata; & id genus alia; perspicuè cognoscantur: &, num. 46. vt, si quando Sanctorum insignes Reliquias, ab vno ad alium locum, transferri contigerit; eius rei gestæ (præter Tabulas, vel dicamus Instrumenta, publicè à Notario confecta, & apud Ecclesiam, quò translatio facta sit, asseruanda) Litteræ in ære, vel marmore incisæ, in ipso Reliquiarum loco, collocentur. Atque hæc omnia, ea sanè de causa; vt perpetuis futuris temporibus, ex huiuscemodi lapidum Scripturis, ceteris deficientibus, veritatis plena fides fieri subinde valeat; quotiescunque sit opus.

§. II.

§. II.
Afferuntur Argumenta in contrarium tria.

13 Contra prædicta potest obijci tripliciter.

Primò. Quia Glossa, super capit. primum, De Fide Instrumentorum, Scripturas eas, quæ publicæ dicuntur, ex varijs textibus, tum Canonici, tum Ciuilis Iuris excerpens, & enumerans; nullam facit eius mentionem Scripturæ, quæ sit ex eo publica; quòd est in loco publico posita. Et, quòd hoc ita sit: en Scripturas, tanquam publicas, excerptas, & enumeratas à Glossa. Prima est. Quæ, per manum publicam, idest Notarij (qui, ff. Rem pupilli saluam fore, lege 2. seruus publicus vocatur) siue, per manum Iudicis, exarata sit; habens tamen, vel trium testium, vel duorum saltem, appositam subscriptionem, siue Scriptura sit Notarij, siue sit Iudicis. Et hæc ex Authentico, De Instrumentorum Cautela,& Fide, §. *Sed, etsi Instrumenta*. Secunda est. Quæ scripta sit, per duos viros idoneos: Et hæc ex cap. *Quoniam contra*, De Probationibus. Tertia est. Quæ habeat sigillum authenticum. Et hæc ex capit. *Scripta*, De Fide Instrumentorum. Quarta demum est. Quam fecit priuatus, in præsentia trium testium. Et hæc ex Authentico citato, De Instrumentorum Cautela, & Fide, §. *Si tamen quisquam*, & ex lege, *Scripturas*, C. Qui potiores in pignore habeantur. At verò: inter huiusmodi Scripturas ita excerptas, & enumeratas; quis reperiet Scripturam illam, quæ ex eo publica sit; quòd est in loco publico posita? Igitur ab expositione in loco publico, Scriptura nulla videtur, esse dicenda publica. Quod est contra primum caput, quo, primam nostram ad titulum Quæstionis Responsionem, comprobauimus.

14 Secun-

14 Secundò. Quia, in lege, *Monumentorum*, C. De Religiosis, & Sumptibus funerum, sancitum est: sepulchri, vel monumentorum Scripturas non probare proprietatem ipsorum. Quidam enim in hunc sensum intelligunt huius legis illa verba, *Monumentorum Inscriptiones, neque sepulchrorum iura, neque dominium loci puri, ad libertos transferunt*. Sed sepulchri, & monumentorum Scripturæ sunt in lapidibus. Ergo Scripturæ in lapidibus, plenè non probant. Quod est contra secundum caput, quo comprobauimus eandem Responsionem.

15 Tertiò. Quia Felinus, in capitulum, *Cum causam*, De Probationibus, duo notat; quæ nobis multùm aduersantur. Quorum

Primum est. *Scriptura in lapide non probat, vbi agitur de grandi præiudicio*: id quod (vt refert Siluester, verbo, *Probatio*, q. 2.) sentit etiam Panormitanus Abbas. Sed, cùm agimus de prædicto Facto Lacrymarum: agimus quidem de re; vnde pati posset grande præiudicium Religionis virtus: si fortè huiusmodi Factum non esset verum, aut eo modo Miraculoso non existeret; quo supponitur existere. Quandoquidem, istiusmodi Facti occasione, tribueretur falsus cultus Virgini Deiparæ; quæ coleretur, tanquam eius Miraculi auctor, quod re vera non existeret. Non est ergo dicendum, tale Factum plenè probari Scriptura in lapide.

16 Secundum est. *Scriptura in lapide non probat, nisi ab eo scripta sit; qui potest illi dare fidem, & auctoritatem*: Et sic habemus, etiam per textum, in lege 2. §. *Exactis*, vers. *Pro rostris*, ff. De Origine Iuris. Scriptor autem talis, circa Miraculosum Factum Lacrymarum, de quo in præsenti speciatim loquimur; est sanè Feretranus Episcopus duntaxat: vt patebit ex dicendis, Quæstione sequente. Atqui apertè constat: præfatam Inscriptionem,

nem, seu Scripturam in lapide, nomine Pinnensium tantùm; neutiquam autem nomine Feretrani Episcopi fuisse incisam. In zophoro enim, sub coronide crustæ illius, in qua (vt in Procemialibus, §. 3. notatum est) commissus apparet lapis, eandem Inscriptionem, siue Scripturam insculptam habens; leguntur hæc.

IESVPARÆ. SERVATIS. PRO. LARIBVS. S.P.Q. PINNENSIS. SACELLVM. PHIDIACE. INSIGNITVM. FVNDITVS. POSVIT. ANNO. A. CHRISTI. NATIVITATE. M. D. XXVIII

Et in ipsiusmet crustæ latere, quod vergit ad Austrum; leguntur hæc alia.

AC. COMPLETVM. FVIT. PRÆSENS. SACELLVM. PRVDENTIVM. VIRORVM. SOLERTIA. EGREGII. IVRISPERITI. D. IACOBI. MASTINI. LVCÆ. CORTINI. DEPOSITARII. OLIVERIIQVE. PALMERINI. AC. MAGISTRI. CAMILLI. DE. CARBONIBVS. PRIORIS. SVB. ANNO. DOMINI. M. D. XXVIII

Per hæc autem verba: siue considerentur omnia simul, siue considerentur singula per se, nullam fieri mentionem Episcopi Feretrani; nemo sanè non videt. Et nihilominus: ostendunt illa, quis posuerit Sacellum funditus, & quorum solertia fuerit ipsum completum; atque adeò crusta forinsecus exornatum, & intectum; quæ Scripturam in lapide continet, de qua nunc verba facimus. Non ergo dici potest, eam Scripturam, siue Inscriptionem, ex eo, quòd est scripta in lapide; Factum Lacrymarum plenè probare: cùm eius nomine scriptam illam esse, non constet; qui solus fidem illi, auctoritatémque adiungere potuerat, ad probandum. Et hoc etiam (quemadmodum pariter, quod ex primo Felini adnotato conclusimus) est contra præmemoratum secundum caput.

§. III.

§. III.
Soluuntur primum, & secundum Argumentum.

SEd huiusmodi argumenta, quæ sic obiecta sunt; facilè soluuntur. Et idcirco,

17 Ad primum dico. Glossa illa, super capitulum primum, De Fide Instrumentorum, eas tantùm Scripturas enumerat, quæ in Iure, tum Canonico, tum Ciuili publicæ decernuntur expresè: (quod, ex lectione textuum in argumento citatorum, liquidò sanè apparet:) non autem eas, quas publicas efficit, vel consuetudo, vel admodum implicitè Ius, aut Canonum, aut Ciuilium Legum. Scripturæ porrò, quæ in loco publico positæ sint; vt huiusmodi, publicæ dicuntur, ex consuetudine: &, si ex Iure, vel Canonum, vel Ciuilium Legum quoque, dici eas publicas, contendamus; hoc certè non est, nisi admodum implicitè. Quare, mirum videri non debet: si huiusmodi Scripturas ex eo publicas, quòd in loco publico sint expositæ; inter Scripturas ceteras publicas, Glossa non enumeret. Et, si non enumerat ex iam dicta causa, non quòd illæ verè publicæ non sint; manifestè prorsus apparet, ex huiusmodi non enumeratione haudquaquam sequi, quod concludebat argumentum: ab expositione, videlicet, in loco publico; nullam Scripturam dici publicam.

Sed, vt hæc Responsio percipiatur exactiùs, & mentem sedet vndequaque: ostendẽdum est adhuc, cur dixerim ibi, Scripturas in loco publico positas, vt huiusmodi, publicas dici, *Ex consuetudine; &, si ex Iure, &c. admodum implicitè.*

18 Dixi ergo, Scripturas in loco publico positas, vt huiusmodi, publicas dici; primò, *ex consuetudine:* quia, sic sentit expresè Laurentius Calcaneus, in consil. 90. supra-

pracitato, apud Maſcardum, citata concluſione 399. numero 6. vbi ſic loquitur. ***Huiuſmodi litteris*** (publicè nempe expoſitis) ***fides habetur; quòd non propriè dicuntur Scriptura priuata: ſed, quodammodo publica; quia, in loco publico expoſita ſunt; quibus conſuetudo fidem adhibet: & ideo, quò ad fidem eis adhibendam; pro publicis habentur.*** Sic ille. Et hanc doctrinam Calcanei Maſcardus ipſe, ibi, num. 14. dicit, eſſe veritatem; vt etiam, §. ſuperiore, notatum eſt.

Neque angat aliquem dictio illa, ***quodammodo***, impropriètatem quandam importans, quam Calcaneus hîc vſurpat. Quid enim per eam intendat, ſatis exprimit, cùm addit; ***quò ad fidem eis adhibendam, pro publicis habentur.*** Sentit igitur, eas publicas eſſe, quò ad faciendam fidem: & huc reſpicit illa dictio, ***quodammodo.*** Hoc autem perquamcumulatè ſufficit nobis.

Neque ſimiliter, alicui gratìs dictum videatur, quod ſubdit, & in præſenti, pro nobis principaliter facit; Scripturis huiuſcemodi, ***per conſuetudinem, adhiberi fidem.*** Nititur enim hoc pronunciatum textui §. ***Numularios***, l. ***Quadam***, C. De Edendo; qui, & videri debet, &, vt ibi notat in margine Bologninus, eſt pro hac re valde notandus; cùm inde colligatur, quòd conſuetudo, quemadmodum iuriſdictionem dat; ita dat etiam fidem Scriptoribus, & Scripturis.

19 Dixi pariter, Scripturas eaſdem, in loco publico, poſitas, vt huiuſmodi, dici publicas, ***ex Iure, tum Canonum, tum Ciuilium Legum, ſed admodum implicitè***; quæ ſecunda huius rei ratio erat. Quia, ſi loquamur de Iure Canonum; canone, ***Peruenit***, 30. q. 1. & capitulo, ***Ad audientiam***, De Præſcriptionibus, iuxta intellectum, Gloſſæ, ibi, & in cap. ***Cum cauſam***, De Probationibus, verbo, ***per libros***, decernitur implicitè, Scripturas, in Archi-

chiuo publico repertas, etiamsi subscriptionem non haberent; reputandas esse propterea publicas: & ea ratione (vt eadem Glossa, in citatum capitulum, *Ad audientiam*, verbo, *censualem*, notat) quia testimonium publicum, idcirco habere, dicuntur. Atqui: Scripturæ aliæ repertæ publicis in locis, per Glossam, in idem cap. *Cum causam*, iam hîc allegatam, & supra; Scripturis dictis, in Archiuo publico repertis, æquiparantur. Igitur, quod in citatis textibus implicitè decernitur de Scripturis repertis in Archiuo publico; decernitur etiam, sed multò magis implicitè, de Scripturis alijs, quæ sint in locis publicis repertæ.

20 Si loquamur autem de Iure Ciuilium Legum; certum est: quòd, cùm Lex Ciuilis animaduertit in eum, *Qui tabulam aream, Leges, formamue agrorum, aut quid aliud continentem, refixerit, vel quid inde immutauerit*; (quod expressè fit, in lege, *Qui tabulam*, ff. Ad Legem Iuliam peculatus;) ea Lex animaduertit in eum, qui peculatus crimen incurrerit. Sic enim apertè conuincitur ex titulo. Vnde fit, vt certum sit etiam: quòd, ea Lex in eum animaduertit; qui, circa rem aliquam, quæ sit publica, deliquerit. Quandoquidem, in taliter delinquendo, crimen peculatus consistit; ex Institutione De publicis iudicijs, §. *Item lex Iulia*, secundùm intellectum explicatum ibi, in summario Aretini. Vnde Glossa, in eam legem, *Qui tabulam*, explicando prima eius verba, dicit; *Qui tabulam aream, dic publicam*.

Hoc posito: duo notanda sunt ex Doctoribus, circa istiusmodi Legem: ex quibus dilucidè colligemus rationem nostri propositi, quod ad Ius Ciuilium Legum spectat.

Primum est: quòd, licèt expressè statuat pœnam hæc Lex, contra delinquentem tantummodo circa Scripturam

insculptam, vel repertam in ærea tabula; implicitè tamen idem statuit, contra delinquentem circa Scripturam incisam, vel inuentam in muro, aut in alia materia quacunque. Ita Bartholus ibi.

Secundum est: quòd, cùm eadem Lex decernat pœnam peculatus, in delinquentem circa Scripturas incisas, vel repertas in ærea tabula (quod facit expressè) & contra delinquentem circa Scripturas, in muro, vel in alia materia quauis incisas, vel repertas (quod facit implicitè, vt modò vidimus ex Bartholo) decernit etiam, sed multò magis implicitè; huiusmodi Scripturas esse publicas. Quia, ex dictis, crimen peculatus incurritur à delinquente tantùm circa ea; quæ sunt publica. Tales autem Scripturæ, vt incisæ, vel repertæ, siue in ære, siue in muro, siue in alia quauis materia (sub nulla enim alia ratione, nisi tantùm, vt incisæ, vel repertæ sic, in illa considerantur Lege, vt ex ipsius lectione patet) non alia de causa dici possunt publicæ; nisi, quia exponuntur in loco publico. Quare, decernit insuper, & multò magis implicitè, ipsa eadem Lex (& en, quod erat colligendum) huiusmodi Scripturas esse publicas; quia, in loco publico exponuntur. Atque hæc, quæ, loquendo de Iure Ciuilium Legum, scripsi; desumpta sunt, originaliter saltem, ex doctrina Calcanei, supracitato loco. Porrò autem: ex his, & ex ceteris omnibus antecedentibus iam remanet ostensum; quod ostendendum, institui.

22 Ad Secundum dico. Negandum est: in illa lege, *Monumentorum*, sancitum esse absolutè, ac simpliciter; sepulchri, vel monumentorum Scripturas, non probare proprietatem ipsorum: & asserendum: hoc esse verum respectiuè, in eo casu tantùm; quo Scriptura, siue Inscriptio sepulchri, vel monumenti esset ita concepta: v.g. *Mihi, hæredibusque meis facio*. Tunc enim, huiusmodi

Scri-

Scriptura, vel Inſcriptio non probaret pro libertis ius, quo valerent ibi ſepeliri; niſi eſſent hæredes. Hunc autem eſſe verum intellectum huius Legis, multi ſentiunt: & maximè (iuxta ſecundam lecturam Baldi) Paulus de Caſtro, ibi, in ſummario: Gloſſa, item ibi: & Bartholus, tum, in legem primam, De Albo ſcribendo, vbi num. 4. dictæ Gloſſæ ſubſcribit; tum, in hanc eandem legem, ***Monumentorum***. Quare, ex hac Lege, quæ expreſsè loquitur tantùm de Scripturis, vel Inſcriptionibus monumentorum; de Scripturis ceteris in lapidibus, à ſimili, nihil aliud poteſt inferri; niſi, quòd hæ non probant pro ijs, qui in earum diſpoſitione non comprehenduntur. Ratio enim, ſecundùm iam poſitum huius Legis intellectum, propter quam ea ſancit, Inſcriptiones monumentorum non transferre ſepulchri ius in libertos, eſt; quia liberti in diſpoſitione talis Inſcriptionis, cùm non ſunt hæredes, non comprehenduntur. Neceſſe eſt ergo, vt eadem ratio procedat in ſimilibus ceteris; ad hoc, vt argumentum, à ſimili, valeat: quod (ex Euerardo, loco ſupra citato, & ex Barboſa, in Locis communibus, loco 101. num. 3.) ſecùs nihil valeret. Atque ita: quemadmodum, ex hac Lege, Inſcriptio monumenti nihil probat pro liberto, quando ille, in diſpoſitione talis Inſcriptionis, non comprehenditur; ita, ex eadem Lege, à ſimili, hoc tantùm valide inferri poteſt, & nihil aliud; quòd, alia quælibet Inſcriptio, ſiue in lapide, ſiue in alia quauis materia, pro quocunque alio nihil probet; quando is, in diſpoſitione talis Inſcriptionis, non comprehendatur. Hoc autem, eſt ſanè perquammanifeſtum, vel contra noſtram Reſponſionem, vel contra rationes allatas pro illa; nequicquam facere.

23 Si quis verò, pertinaciter adhuc hæreret in eo, vt hanc Legem abſolutè, ac ſimpliciter ſancire aſſereret, Inſcriptiones, monumentorum, &, à ſimili, Inſcriptiones

alias quascunque fidem non facere, neque plenè probare; quemadmodum, ita esse, dicit ibi Bartholus, num. 1. secundùm vnum intellectum, quem Paulus à Castro, in supracitato summario, scribit, esse Baldi;

Attamen (hoc dato, & non concesso) dico præterea: quòd illud locum non haberet, saltem in quinque casibus.

24 Primùs est (congruenter iam firmatis, in solutione primi argumenti) quando Inscriptiones essent in loco publico expositæ. Tunc enim essent publicæ: & effectus, in Probatione, quem Scripturæ publicæ producunt; supra demonstratus est. Inscriptionem autem, de qua disputamus, esse publicam, propterea quòd est, in loco publico exposita; est ostensum, in §. primo: & locum, in quo est exposita, esse publicum; patet, tum, quia est sacer, ac proinde, qui circa illum delinqueret (ex lege 4. ff. Ad Legem Iuliam peculatus, & ex Instit. De publicis Iudicijs, §. *Item Lex Iulia*, supracit.) teneretur pœna peculatus, hoc est (ex antescriptis) pœna constituta in delinquentem circa rem, quæ sit publica; tum, ex dicendis infra.

Secundùs est (iuxta Felinum, vbi supra) quando non ageretur de grandi præiudicio. De quo non agi in casu nostro; constabit ex ijs, quæ scribentur paulò post, in solutione ad tertium argumentum.

Tertiùs est (ex eodem, ibidem) quando Inscriptiones huiusmodi essent illius auctoritate scriptæ; cuius de Iure: quam conditionem habere Inscriptionem nostram; fiet manifestum, Tertia Parte.

Quartùs est (prout habet Bartholus, iam citato loco, num. 2.) quando Inscriptiones essent antiquæ. Inscriptionem autem, de qua verba facimus, antiquam esse; clarè colligitur ex Inscriptionibus alijs, adductis in argumento tertio; vnde dignoscitur, annũ centesimum illã excedere. Quòd verò, tale tẽpus antiquum sit; posteriùs declarabitur.

Quin-

Quintus demum est (si sequi velimus eundem Bartholum, ibidem) quando Inscriptiones continerent aliquam enunciationem, vel dispositionem possibilem. Quòd porrò, alicuius Imaginis Lacrymatio, nisi creata virtute, diuina saltem, & per Miraculum, sit possibilis, qualem Lacrymationem enunciat Inscriptio, quam præ manibus habemus; apertum est, ex dictis, Parte Prima, tota prima Quæstione. Et ita, dilutum sit secundum argumentum.

§, IV.

Soluitur tertium Argumentum, quantùm ad illud, quod spectat ad primam partem.

25 TErtium argumentum duas, vt vidimus, continet partes. Quare, soluendum est primò, quantùm ad primam partem. Vnde: Ad obiectionem ex primo, quod ponit Felinus; respondetur in primis: Huiusmodi Positionem, ***Scriptura in lapide non plenè probat, vbi agitur de grandi praiudicio;*** non concedi à Bartholo, iam citato loco, in legem, ***Monumentorum:*** imò ab eodem putari verum Dictum contrarium: si maximè, Scriptura sit antiqua, & contineat enunciationes possibiles; vt paulò supra diximus. Et Mascardus (vt etiam vidimus alibi) de eodem Dicto contrario, aliquid addit ampliùs: ait enim absolutè (limitationibus Bartholi postpositis) illud esse veritatem.

Deinde autem: Esto (quod non concesserim) sit potiùs verum hoc ipsum, quod ponit Felinus, quàm contrarium: illud nihilominus, casum nostrum, assero, non ingredi.

26 Primò. Quia, in rigore, in casu nostro non agitur de præiudicio aliquo. Quandoquidem, præiudicium dupliciter sumitur: vt bene aduertit Siluester, verbo, ***Praiudicium***. Vno modo, ***Secundùm vocabulum***, inquit ipse. Et tunc, nihil est aliud, nisi iudicium; quo vna res iudicatur priùs altera. Hoc nanque significat vocabulum ipsum, præiudicium; vnde dicitur præiudicium, quasi prius iudicium. Et, de præiudicio sic sumpto agit Bartholus, in legem, ***Si contra***, §. ***Quia Plautianum***, num. 5. ff. De Liberis agnoscendis, & in legem, ***Fundum Titianum***, ff. De Exceptionibus, seu Præscriptionibus, num. 4. & Panormitanus, in capitulum, ***Cum tuam***, De ordine cognitionum, & Glossa, in Instit. De Actionibus, §. ***Praiudiciales***, vbi ad hoc propositum dicit, inter cetera; Quæstiones præiudiciales (de quibus ibi agitur in textu) ideo sic dici; quia omnes aliæ quæstiones, quæ interim mouentur, debent silere; ita vt de illo, de quo habetur præiudicialis quæstio; iudicetur priùs. Altero modo, ***Secundùm vsum***, & hoc dupliciter. Primò, propriè: & tunc præiudicium est præoccupatio quædam, qua, siue in iudicio, siue extra, surripitur indirectè res, aut ius alicui, quod ei debebat iustè adiudicari. Secundò, largè: & tunc præiudicium est item præoccupatio, qua, siue in iudicio, siue extra, res, aut ius indirectè alicui surripitur; quod ei poterat adiudicari, siue iustè, siue iniustè. Et clariùs: præiudicium propriè infert alicui; qui aliquid facit, vnde ille lædatur iniustè: vt, cùm Caius Notarius, exempli gratia, Scripturam cælat; qua iustè debebat adiudicari Titio fundus: tunc enim, hoc faciendo; iniustè illum lædit. Largè præiudicium infert alicui; qui aliquid facit, vnde lædatur ille iustè: vt, cùm carnifex, v.g. suspendit latronem; qui iustè suspendi debebat: tunc enim, iustè lædit vxorem latronis. Hæc, & similia Siluester.

27 Ad

27 Ad rem nostram. Præiudicium primo modo sumptum, nullo pacto, locum habet in casu nostro. Quoniam, nullo pacto, versamur circa res, de quarum vna sit iudicandum priùs, quàm de altera; cùm dicimus, illud, quod Factum appellamus Lacrymarum, extitisse ex eo; quòd habemus Inscriptionem in lapide, hoc enunciantem. Nec etiam in eo locum habet, in rigore, præiudicium sumptum secundo modo; siue propriè, siue largè. Dicendo nanque illud idem; nullam sanè rem, nec ius aliquod, quod esset adiudicandum alicui, siue iustè, siue iniustè; aut præoccupamus vllatenus, aut surripimus. Benè igitur assertum est, in casu nostro, in rigore, non agi de præiudicio; & sic, primum, quod ponit Felinus, illum non ingredi.

28 Secundò. Quia, tametsi supponebatur in obiectione, quòd, cùm agimus de eodem Facto Lacrymarum, agimus de re, vnde pati posset grande præiudicium Religionis virtus; etenim, nisi esset verum, & Miraculosum huiusmodi Factum, tribueretur, propter illud, falsus cultus Virgini Deiparæ, & sic illa Religio, tribuens hunc falsum cultum, esset falsa, illique esset surrepta veritas, quod est, ex dictis, præiudicium; ad hoc tamen duo dicenda sunt.

29 Primum est. Quòd huiusmodi surreptio, dato, quòd, hoc in casu nostro, posset contingere, non autem concesso; illa tamen haud esset, in rigore, surreptio. Quãdoquidem surreptio, in rigore, illa est; qua surripitur aliquid alicui, vel quod possideat, vel cuius habeat dominium, vel in quo, siue ad quod habeat aliquod ius. Iura verò, vel possessiones, vel dominia, tantùm rationali creaturæ competunt. Quia fundamentum potestatis, disponendi de aliqua re, qualem dant possessio, & dominium, & cetera iura (vt, cum Sancto Thoma, 1. 2. q. 1. a. 1. & 2. c.

2. c. & alibi, tradunt reliqui Theologi, inter quos videndus est Leonardus Lessius, De Iustitia, & Iure, lib. 2. cap. 4. dubitatione 1. num. 1.) est intellectus, & voluntas; quæ, præter Deum, solius rationalis creaturæ sunt propria. Vnde, cùm virtuti Religionis, tanquam intellectu, & voluntate carenti, non conueniat alicuius rei, vel possessio, vel dominium, vel aliud quodlibet ius; inde fit: vt nec etiam, in rigore, possit illi aliquid surripi. Ac proinde: si fortè accideret, vt in eodem nostro casu, vel in alio simili, propter fidem adhibitam Scripturæ in lapide repertæ, de virtute Religionis detraheretur aliquid; in rigore, talis detractio surreptio non esset: atque adeò, nec esset præiudicium in rigore; cùm præiudicium substantialiter, vt vidimus, in surreptione consistat. Et, quanquam concedo, quòd abusiuè, atque impropriè talis detractio posset appellari, tum surreptio, tum præiudicium: nihilominus, Felinus, aut alius quisuis cum eo sentiens, Dictum illud suum, circa quod versamur; de tali præiudicio neutiquam intelligit.

30 Secundum est. Dato etiam, quod Felini, atque adhærentium mens præiudicium quoque, de quo modò sermo erat, præiudicium, scilicet, abusiuè sumptum, & impropriè, forsitan respiciat: illi tamen, in eodem casu nostro, quemadmodum iam dictum est de præiudicio sumpto quouis alio modo; non est locus. Nimirum: cùm, ex eo, Factum nostrum Lacrymarum extitisse, affirmamus, quòd, in lapide Scripturam habemus, hoc enunciantem; accidere propterea non potest: vt de Religionis virtute, siue potiùs de Hyperdulia, specie ipsius, secundùm quam, propriè cultum exhibemus Virgini Deiparæ; detrahamus aliquid, hoc est, surripiamus veritatem. Accidere, inquam, non potest: vt eidem Virgini Deiparæ, quæ (vt Sanctus Bernardus, Epistola 175. ad Canonicos Lugdunen-

nenses quondam scripsit) tanquam *Virgo Regia veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum, falso non eget honore*; falsum tamen exhibeamus, & honorem, & cultum, colentes illam, vt Miraculosi Facti Lacrymarum auctorem; quod re vera non extiterit. Quo modo: nec accidere potest, vt erremus, ac fallamur, Sacris Reliquijs Canonizatorum exhibentes cultum; quæ (quod, ex dictis, §. 1. regulariter fit) pro veris fuerint approbatæ, & omnium expositæ venerationi ab eo, cui de iure; nixo duntaxat Scripturarum in lapidibus repertarum fundaméto. Atque horum omnium est illa sanè ratio: quòd communis Ecclesiæ, ac Fidelium sensus est, huiusmodi Scripturas humanam, ac moralem certitudinem efficere; quæ nobis, ad Religionis exercendos actus absque vllo errore, prorsus est satis: vt ex doctrina Dominici Bañes, etiam 4. Parte, fusiùs videbimus. Et per hæc, sit solutum tertium argumentum, quantùm ad illius primam partem.

§. V.

Soluitur idem Argumentum tertium, quantùm ad illud, quod spectat ad partem secundam.

31 AD obiectionem ex secundo, quod idem Felinus ponit(hęc enim est argumenti tertij secũda pars) ita respõdetur.Nego:Scripturã in lapide nõ probare,nisi sit ab eo scripta; qui potest illi dare fidẽ, & auctoritatem. Defectu enim Scriptoris huiusmodi,fidem illi,& auctoritatem dat locus publicus, in quo sit exposita; quemadmodum supra monstratum est.

Textus autem ille legis secundæ, ff. De Origine Iuris, qui affertur in contrarium; contra nos vtique non est. Ibi nanque fit sermo de Lege. Vnde,non potest exinde argui,

Scri-

Scripturam enunciatiuam, in lapide scriptam, nisi ab eo scripta sit, qui dare potest illi fidem, & auctoritatem; non probare: sed tantùm Legem, aut quid Legi simile, non habere obligandi vim; nisi sit ab eo scriptum, vel latum, qui de Iure potest Legem ferre. Et ideo: ad ostendendum, Leges illas, quas Duodecim Tabularum vocant, hanc vim obligandi habere; vbi dixisset ibi textus, quòd, cùm populus Romanus vsus esset, prope viginti annos, magis incerto Iure, & consuetudine aliqua, quàm lata Lege; tandem explicat, cuius auctoritate sint illæ constitutæ, subiungitque. *Ne postea diutiùs hoc fieret: placuit, publica auctoritate, decem constitui viros, per quos peterentur Leges à Græcis Ciuitatibus; & Ciuitas fundaretur Legibus: quas in tabulis decem æneis perscriptas; pro Rostris* (hoc est, in pulpito) *proposuerunt:* quibus adiectis, anno sequenti, tabulis duabus alijs; ex eo *accidente, Leges* huiusmodi *Duodecim Tabularum* dictæ sunt. Et sic: omnes ex eo ligant; quòd, vt ex textu videmus, auctoritate publica sunt præscriptæ.

32 Quòd autem, ex eodem textu argui non possit, Enunciationem in lapide scriptam, nisi eius auctoritate scripta sit, cuius de Iure, non probare; patet ex eo, quòd Lex, & Enunciatio scripta in lapide, sunt inter se diuersa. Hoc verò (deficientibus doctrinis Iurisperitorum) ex ijs liquet; quæ de Diuersis tradit Aristoteles, libro 5. Metaphysicorum, tex. *16.* Cuius auctoritatem in Legalibus afferendi, habemus exemplum Iuliani Iurisconsulti; qui Aristotelem, ad intentionem suam comprobandam, expresse allegauit, in lege, *Si pater*, ff. De Solutionibus. Imò Bartholus, in legem primam, ff. De Rebus creditis, si certum petatur, n. 22. & 23. concludit; quòd *Aristotelis, Hipocratis, & similium dicta, cùm procedant disponendo, & determinando, & non simpliciter tantùm enunciando;*

do; in Studijs, & in Scholis, tanquam authentica Scriptura reputantur. Et Euerardus, De Locis legalibus, loco, *ab Auctoritate*, n. 9. addit; quod *Istis* (modò, nempe, memoratis, ac similibus) *est standum: &, quod argumentum ab auctoritate huiusmodi Scripturarum est probabile, & necessarium.* Aristoteles igitur, in adducto loco, dicit: quòd, *Diuersa dicuntur, quorum, aut species plures, aut materia, aut ratio substantiæ.* Per quæ (vt explicat ibi Sanctus Thomas, lectione sua 12.) sibi vult illud: vt Diuersa sint, aut, quæ materiâ, hoc est, numero non sunt eadem, vt Caius, ac Titius; aut, quæ specie, vel ratione substantiæ, hoc est, definitione declarante speciem, & substantiam rei, non sunt pariter eadem, vt homo, & equus. Vnde, ad ostendendam diuersitatem inter Legem, & Enunciationem, in lapide scriptam (quæ, quin sint diuersa numero, non est dubium) sufficit, vt, in definitione, sistamus: quam quidem reperiemus diuersam in vtrisque.

33 Definitionem verò Legis (iuxta Sanctum Thomam, 1. 2. q. 90. a. 4. in fine corporis, quam, vt optimã, cum Thomistis ego semper sequar) hanc possem afferre. *Lex est rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Quemadmodum etiam (ex Aristotele, Priorum resolutionum lib. 1. cap. 1.) Enunciationis definitionem sic assignare possem; Enunciatio *est oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo.* Ex quibus definitionibus, manifestè quoque appareret quæsita diuersitas: cùm videamus inde, poni Legem in genere ordinationum, siue dispositionum (hæc enim duo ordinatio, ac dispositio idem sunt, vt optime colligitur ex eodem Sancto Thoma, 1. p. q. 22. a. 1. per totum, qui videatur) & à ceteris ordinationibus, ac dispositionibus differre, per id, quòd, bonum commune spectat, & ab eo promulgata est, qui curam habet communitatis: Enuncia-

ciationem autem in orationum genere poni, ac differre à ceteris orationibus per illud; quòd, est affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo: ac proinde specie, ratione, definitionéque, diuersa esse inter se; Legem, & Enunciationem scriptam in lapide. Sed, cùm definitiones rerum istiusmodi apud Iuristas, vtique non desint; ipsos, quæso, audiamus: & in re Legali missos faciamus ceteros, ad præsens.

34 Papinianus igitur Iurisconsultus, lege 1. ff. De Legibus, definiendo Legem, sic ait. *Lex est commune praeceptum: Virorum Prudentium consultum: delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitio: communis Reipublicæ sponsio.*

Affero autem hanc definitionem Legis, non, quòd aliæ, siue in Ciuili, siue in Canonico Iure non inueniantur: sed, quòd præ ceteris exactiùs hæc videatur, Legis essentialia complecti. Quanuis fortè, descriptio potiùs appareat.

Enunciatio verò (ex lege, *Hæc Enunciatio*, ff. De rerum, & verborum Significatione; ex Bartholo, in legem 1. ff. De Rebus creditis, si certum petatur; & ex Antonio Nebrissensi, in suo Vocabulario vtriusque Iuris) definiri, seu describi sic potest: vt, sit Oratio, vel Clausula, vel Scriptura, tantùm enuncians, vel recitans aliquid esse, vel non esse: & ideo dicta Enunciatio; quia similis est nuncio, qui, ministerium tantummodo præstans, refert voluntatem domini sui; scilicet, quid velit, & quid non velit.

35 Ceterùm: definitiones huiusmodi duæ, quas ex Iuristis attulimus: etiam, superficie tenus fortè considerata; diuersitatem illam, quam quærimus, omni dubio procul, manifestè satis videntur ostendere. Attamen, vt hanc dignoscamus expresiùs: definitiones easdem expendere diligentiùs & comparare penitus inuicem; operæ pretium puto.

Di-

Dicitur itaque primò Lex, *praeceptum*. Quia (lege 7. eodem tit. De Legibus, cum Glossa, ibi) Legis virtus, vel potestas est, imperare, quæ fieri vult, hoc est, virtutis actus; & vetare, quæ fieri non vult, hoc est, actus vitiorum. Per quæ, diuersa est ab Enunciatione, quæ tantùm enunciat, ac recitat, vt nuncia, & ministra, vt iam scriptum est; non præcipit, neque vetat, vt Dux, Princeps, & Regina; quibus nominibus nuncupatur Lex, titulo eodem, l. 2.

Dicitur secundò, *commune*: hoc est, ad communem vtilitatem; qui Legis est finis. Glossa, ibi. Et per hoc etiam, est Lex ab Enunciatione diuersa, cui tale quid haudquaquam tribuitur.

Dicitur tertiò, *consultum*: hoc est, decretum, statutum, ordinatio, dispositio. Glossa, ibi, S. Isidorus, lib. 5. Etymologiarum, cap. 12. relatus, canone *Senatus consultum*, dist. 2. Barthol. in legem 1. De Rebus creditis, si certum petatur, num. 22. Per quod, ex eodem Barth. ibidem, Lex, nedum diuersa est; sed contradistinguitur, ab Enunciatione.

36 Dicitur quartò, *Virorum Prudentium*: hoc est, cum deliberatione Prudentium. Glossa, ibi. Et hinc patet primò: auctoritatem requiri in ijs, qui Leges condunt. Vna enim pars Iuris Ciuilis scripti, sunt Responsa Prudentum; quibus concessa est publica potestas componendi Leges, Institutione, De Iure Naturali, Gentium & Ciuili, §. *Responsa*. Quin, & primæ Leges Romanorum, quæ sunt Leges Duodecim Tabularum, fuerunt (vt supra, ex lege 2. ff. De origine Iuris notatum est) à Prudentibus Viris, publicam habentibus facultatem, sancitæ. Patet secundò: rationis deliberatæ actum, ad Leges decernendas, necessarium esse. Deliberatio nanque, cum qua (iuxta Glossæ intellectum) dicit Papinianus, debere Prudentem, Legem disponere; non est, nisi prouida exploratio, in qua

ratio

ratio totum agat, & furor sibi nihil vendicet, ad statuendum, expedire, vel non expedire, hanc, vel illam Legem ferre, vel non ferre: ex can. *Illa præpositorum*, 11. q. 3. &ex lege, *Aristo*, ff. De Iure deliberandi. Horum verò nullum ingredi definitionem Enunciationis, vel explicitè, vel implicitè; ac proinde Legem, & Enunciationem inuicem esse diuersa; clarum est.

Dicitur quintò, *coercitio*. Quia, alia virtus, vel potestas Legis est(ex eadem lege 7. de qua supra) punire delicta: neque solùm voluntaria, (vt patet ex lege, *Si quis seruo*, C. De Furtis, & Seruo corrupto) sed etiam inuoluntaria: vt patet ex lege, *Scientiam*, §. *Sed si*, ff. ad Legem Aquiliam. Et idcirco additur: *delictorum, quæ spontè, vel ignorantia contrahuntur*. Hoc non facit Enunciatio, hinc ergo diuersitas.

Dicitur tandem sextò, *communis Reipublicæ sponsio:* quò denotetur legitima Legis promulgatio, communísque populi acceptatio. Glossa, ibi, & Instit. De Iure naturali, &c. §. *Lex*. Enunciatio porrò, solùm enunciatur, siue recitatur, siue ad summum exponitur publicè, si publica; priuatè, si priuata. Et hæc est vltima diuersitas.

37 Lex igitur per hæc (vt summatim cuncta colligantur) ab eo, qui auctoritatem habet, lata, & promulgata, & communi populi consensu acceptata; rationis actu statuit, ordinat, siue disponit, præcipit, vetat, ac punit, ad vtilitatem communem. Quorum cùm nullum competat Enunciationi; proinde fit: vt in omnibus, & per omnia, mutuò diuersa sint Lex, & Enunciatio; definitione, videlicet, ratione, atque specie.

38 Ex his autem omnibus primò infertur: Quicquid potest ex illo textu Legis secundæ, De Origine Iuris, argui validè; certè quidem, hoc esse: Legem, aut quid aliud ei simile (quid aliud, nempe, quod, ad instar Legis, ratio-

tionem dispositionis, ordinationis, vel decreti habeat) nisi ab eo scriptum, aut latum sit, à quo de Iure; vim obligandi non sortiri. Et huius illationis ratio est: quia, quæ dispositionis, ordinationis, vel decreti rationem habent; ea Legi, de qua in illo textu sermo fit; similia sunt: cùm ex Aristotele supracitato loco (quod apud Barbosam, De Dictionibus, dictione 367. num. 3. confirmat etiam Baldus) illa sint similia; quorum vna qualitas est, licèt sint in ceteris diuersa: &, ex dictis alibi, bene valet argumentum, à simili; data identitate rationis. Vnde fit: vt valeat argumentum; à Lege, ad pactum: à Lege, ad testatoris voluntatem: à Lege animata, ad Legem inanimatam: à Legibus communibus Romanorum; ad ordinationem successionis Regnorum, & huiusmodi: quemadmodum docet idem Barbosa, in Locis communibus, loco 60. per totum. Et ratio est: quia, hæc omnia conueniunt in vna, & eadem ratione dispositionis, & ordinationis; & ideo sunt similia.

39 Secundò infertur, quod principaliter intendebam ostendere: nimirum; ex eodem textu nullatenus argui posse; Scripturam enunciatiuam, in lapide scriptam, non probare, nisi ab eo scripta sit; qui dare potest illi fidem, & auctoritatem. Et solidum huius rei fundamentum illud est: quia Lex, de qua loquitur textus, & Enunciatio (vt apertè iam vidimus) diuersa sunt. Et, cùm *Diuersorum diuersa* quoque *ratio sit* (lege finali, ff. de Calumniatoribus) hinc, *A diuersis non fit illatio* (lege, *Neque natales*, C. De Probationibus, secundùm intellectum Baldi, ibi in summario) hoc est (vt ab indefinitis ad nostra finita procedamus) A Lege ad Enunciationem nihil infertur, nihilque concluditur.

40 Et, si quis vlteriùs obijciat, multoties dari casus, vt etiam Enunciatio dispositiò sit, quos casus enumerat Bartholus, in legem, *Ex hac Scriptura*, à n. 1. ac deinceps, ff. De Donationibus;

Dico vlteriùs & ego: inter illos casus nostrum connumerari non posse. Cùm, casus illi de Enunciationibus procedant, quæ reperiuntur in testamentis, instrumentis, pactis, & similibus, quæ rationem sortiuntur dispositionis; Enunciatio verò nostra simplex est, & pura, & extra omne pactum, instrumentum, testamentum, & aliud eius generis quodcunque; atque idcirco, extra quamcunque dispositionem. Videatur citatus Bartholus, citato loco.

Et, ex hucusque dictis, iam inde Solutionis huius à principio, planè relinquitur, satis bene demõstratum esse; textum, qui allegabatur in contrarium, nequaquam stare contra nos: ac proinde, quod Felinus ponebat illo nixus, quatenus militat saltem contra nos; omnino corruisse.

Sed esto, sit verum hoc idem, quod secundò Felinus ponebat, & verum vndequaque: Scripturam tamen, siue Inscriptionem in lapide, quam nunc singulariter perpendimus, eius auctoritate, cuius de Iure conscriptam esse (quod supra tetigimus) plenè remanebit ostensum ex dicendis, Tertia Parte. Atque hæc ad tertium argumentum.

SE-

SECTIO SECVNDA.

Ponuntur ad Quæstionem secunda Responsio, & Rationes illius.

41 HÆc omnia sanè duobus Paragraphis absoluentur: sed vt horum primus breuissimus, & indistinctus erit; sic secundus, quia diffusus, tum primò, tum secundò, tum tertiò secari debebit: additis etiam Digressione vna, atque Appendicibus duabus.

§. I.
Continet simplicem Responsionem, quæ promissa est.

AD Quæstionis itaque titulum respondetur secundò. Idem Factum Lacrymarum plenè probat Liber, in quo (vt in Procœmialibus, §. 3. relatum est) Factum ipsum, adductis etiam testibus, de visu; describitur.

§. II.
Responsionis Rationes afferuntur.

HIc autem Liber plenè probat, hoc in casu, ex triplici capite.

Primò. Quia, est antiquus, & publica sub custodia reperitur.

Secundò. Quia, illi ab antiquis nostris fides est adhibita.

Tertiò. Quia, propter fidem illi sic adhibitam, præiudicium nullum vlli fit.

Et, cùm hæc omnia sint explicanda sigillatim; proinde, Paragraphus distinguendus tripliciter in primis est.

DISTINCTIO PRIMA.

Discurritur, circa primum caput.

42 QVod attinet ad primũ caput: postulat illud equidem, vt ostendantur tria. Primum, quòd Libri antiqui, & sub custodia publica reperti, plenè probent. Secundum, quòd dictus Liber sit antiquus. Tertium demum, quòd idem sub custodia publica reperiatur. Quocirca, his tribus congruenter, Subdistinctionibus etiam tribus vtendum est.

SVBDISTINCTIO PRIMA.

Ostenditur primum ex propositis: quòd, scilicèt, Libri antiqui, sub custodia publica reperti, plenè probent.

HOc est, vt patet, vniuersale aliquid, atque indefinitum; ac proinde, fundamentum ceterorum. Ad ostendendum autem illud, sunt sanè satis ipsius verba Mascardi: qui, cùm dixisset quædam huc spectantia, conclusione 105. num. 9. De Probationibus; tamen, exactiùs, ac distinctiùs, conclus. 398. num. 4. tit. eodem; pro re nostra, sic habet. *Libris antiquis plena fides adhibetur, dummodo sub custodia publica reperti fuerint. Et ita in terminis consuluit Corneus, consilio 171. num. 3. vers. Videtur, volumine 1. & ibi quamplurimos adducit: & præcipuè Ioannem Andream, in cap. Cum causam, & ibi Hostiensem, De Probationibus: & communiter hoc ait teneri: quem refert, & sequitur Hieronymus de Monte, in suo tra-*

ctatu

ctatu, De Finibus, cap. 62. num. 3. Neque hoc casu erit necessarium, vt Libri sint authentici, quando reperiuntur sub custodia publica; vt respondit Corneus, vbi supra, dicto consil. 171. nu. 3. & Hieronymus de Monte, dicto cap. 62. nu. 3. Hæc Mascardus.

SVBDISTINCTIO SECVNDA.

Ostenditur secundum ex propositis, quòd, nempe, dictus Liber sit antiquus.

HOc porrò, finitum ac particulare vnum est, circa quod versamur. Verùm illius ostensio (quibusdam omissis, cuiusmodi sunt lingua Italica prisca, & priscus character, quibus (vt notauimus etiam in Procemialibus (Liber huiusmodi conscriptus est, alijsq; similibus eiusdem circunstantijs, vetustatem satis clarè, sed fortè non certam denotantibus) hauriri potest, quando cetera deficiunt; potissimùm ex duobus: primò, videlicet, ex contentis in eo; secundò, ex ijs, quæ de illo habentur in Inscriptione incisa lapidi, de qua supra: applicatis tamen Iuristarum doctrinis, quin doctrinis etiam Aristotelis, ac Sancti Thomæ, atque aliorum; vbi præsertim, illæ primæ desint. Hinc rursum cogor partiri.

✱

MEMBRVM PRIMVM.

Tribus Argumentis ductis ab ijs, quæ recensentur, contineri libro, de quo agimus; probatur ipsius antiquitas: & Solutio quædam adhibita secundo illorum; tripliciter oppugnatur.

43 LIber autem (vt primò loquamur de primo) tria principaliter in se continet.

Primum est Relatio breuis Facti Lacrymarum, emissarum ex Oculo dextero Marianæ Imaginis, depictæ in muro, & existentis Pinnæ Billorum, in Sacello Ecclesiæ Sancti Christophori; vnà cum adscriptione diei, mensis, & anni, quo Factum contigit, ac nominum virorum illorum, qui testes fuerunt eiusdem Facti, de visu.

Secundum est Indicatio Sodalitatis, vel Confraternitatis cuiusdam; occasione Lacrymationis huiusmodi, & Indulgentiarum illi Sacello, & Altari, per Honorium III. quondam concessarum; ibi erectæ. Et hæc duo, ipsismet verbis Italicis priscis, ac rudibus, ex ipso Libro, supra in Procemialibus, citato §. 3. exscripta sunt.

Tertium est Descriptio nominum, tum virorum, tum etiam mulierum, qui memoratæ Sodalitati, siue Confraternitati fuerunt adscripti. De quibus, ibidem, hæc, à nobis in Procemialibus haud notata, attamen ad propositum præsens valde conducentia, & hîc idcirco valde quoque notanda; verbis ipsissimis, adduntur sic. *Li quali, tanto homini, quanto donne, sono scripti qui de sotto.* Inter nomina verò sic descripta (quod valde pariter, ad id, quod nunc intendimus, notandum est) nomina primò reperiuntur duorum, qui supra similiter scripti erant, inter testes

Facti

Facti Lacrymarum, de visu; & eadem lingua, qua loquitur Liber, huiusmodi sunt. ***Giouanantonio da Sextino. Iuliano Speciale da Piagnano.*** Deinde, legitur nomen vnius, cuius ibi notatur mors è regione, siue in margine, cùm dicitur; ***Antonio del Bailo. Morì adi 16. de Marzo*** 1519.

44 His positis: aperitur via, tripliciter argumentandi. Primò, à primo contento, sic. Attendendum est, quod fieri solet: lege, ***Certi condictio*, §. *Si nūmos***, iuxta intellectum Bartholi, ibi, in summario, & aliorum, ff. De Rebus creditis, si certum petatur. Sed, quando Factum aliquod notabile scribendum est in Libro quopiam, cum adscriptione diei, mensis, & anni; scribi solet circa tempus, quo accidit: ne temporis processu, labatur quidquam è memoria. Ergo, sic factum esse, dicendum est, quando scriptum fuit in libro Factum Lacrymarum; de quo loquimur. Sed, accidit Factum tale, anno Christi 1489. Martij die 20. vt suo loco vidimus; ergo, circa tale tempus, dicendum est, idem Factum scriptum fuisse, cum suis adscriptionibus, in Libro. Ergo, hic Liber, qui est ille, de quo verba facimus; circa tale tempus extabat. Nam secùs, nihil in illo potuisset conscribi. Et hoc argumentum, quod dicitur, ***Ab vsitato***, seu, ***A solitis*** (ex Decio, in citatum §. ***Si nummos***, num. 4.) bonum est, & (ex Euerardo, in suis Locis Legalibus, loco eiusdem tituli) probabile, frequens in Iure, & vtilissimum: præsertim, nisi contrarium probetur, quod hîc non potest.

45 Secundò, à contentis omnibus, hoc modo. Ioannes Antonius, & Iulianus vocati, alter à Sextino, alter à Planano, qui leguntur in hoc libro vnà cum alijs, tanquam adscripti præfatæ Confraternitati; asseruntur ab ipsomet Libro, adscripti esse in eodem dictæ Confraternitati. Dicitur enim ibi, expressis, & apertis verbis, de ijs, qui Confraternitati huic dedere nomen, vt iam vidimus; non se-

mel, *Li quali, tanto homini, quanto donne, sono scripti qui de sotto*. Ergo hic Liber, quando isti Ioannes Antonius, & Iulianus in eo fuerunt adscripti, extabat. Etenim aliter, in eo non potuissent adscribi. Sed, in eo fuerunt adscripti, dum viuebant; quod ex infra dicendis apertè constabit. Ergo, dum isti viuebant, hic liber extabat. Porrò: isti viuebant, quando contigit Factum ipsum Lacrymarum: quia, scribuntur in eodem Libro, tanquam testes etiam eiusdem Facti, de visu; vt, ex relatis in Procemialibus, citato §. 3. manifestissimè constat. Ergo, saltem prope tempus, quo Factum Lacrymarum accidit, nimirum, prope annum Domini 1489. extabat hic Liber.

46 Sed, conabitur fortasse aliquis, huius argumenti vim elidere, dicendo; ipsum necessariò non concludere. Quandoquidem: cùm vnusquisque præsumatur viuere ad centum annos (ex lege, *Vt inter diuinam*, C. de Sacrosanctis Ecclesijs) potest esse, vt quamuis prædicti Ioannes Antonius, & Iulianus numerarentur in viuis, dicto anno 1489. atque adeò tunc potuerint præmemorati Facti testes esse; nihilominus, esse inceperit præfatus Liber, septuaginta, vel octoginta post annos, à prænotato anno 1489. & sic, eorundem Ioannis Antonij, & Iuliani adhuc vita durante; potuerint illi, in Confraternitatem, de qua facta est mentio, in eo viuentes adscribi.

47 Attamen: contra solutionem huiusmodi

Facit primò; quod dictum est in primo argumento: Facta notabilia, videlicet, solere scribi in Libris, prope tempus, quo acciderunt.

Facit secundò; quòd, præsumptio vitæ tam diuturnæ cessat; respectu saltem antedicti Ioannis Antonij: quem certissimè constat ex Scripturis authenticis, hîc iustis de causis non transcribendis; Pinnæ Billorum, in ædibus Magiorum familiæ, quam ipse primus ibi collocauit, diem

suum

suum obijsse; anno Christi 1515. Vnde, saltem ante hunc annum, Liber, de quo loquimur, extabat necessariò.

Facit demum tertiò sequens argumentum: quod, in ordine argumentorum, à contentis in eodem Libro deductorum; tertium est.

48 Argumentari possumus igitur, ab vltima particula tertij cõtenti, tali pacto. Antonius dictus de Baiulo, siue, vt ibi scribitur, *del Bailo*; qui quidem legitur in eo libro, tanquam adscriptus Confraternitati; ibidem è regione, siue in margine, mortuus adnotatur, die 16. Martij anni 1519. Ergo ante annum 1519. oportet hunc Librum extitisse. Nam, si hic Antonius fuit in hoc Libro adscriptus in Confraternitatem; quemadmodum, ab eodem Libro de ipso vnà cum ceteris asseritur, per iam adducta verba, *Li quali, tanto homini; quanto donne sono scripti qui de sotto;* necesse est: vt ante mortem ibi fuerit adscriptus, & dum viuebat. Tum, quia, quod in Libris è regione, & in margine notatur, supponit scriptum priùs, quod legitur in textu; vnde, annotationes marginales consueuerunt appellari Postillæ; tum, quia Sodalitatibus, & Confraternitatibus non mortui, sed viuentes adscribuntur.

Sed, cùm secũdum hoc probet etiam alterum ex Assumptis præcedentis Argumẽti secundi; digrediendum aliquantùm est, ad ostendendum; bonis illud niti, ac certis fundamentis.

DI-

DIGRESSIO SPECTANS AD MEMB. I.

Afferuntur fundamenta, quibus nititur Effatum illud, Confraternitatibus non mortui, sed viuentes adscribuntur: & si quid est, quod ex aliqua parte videatur, ea soluere; hoc ipsum impugnatur.

49 FVndamenta igitur hæc sunt.

Viuentes tantùm, & non mortui, conditiones habent, essentialiter, ac necessariò requisitas in ijs, qui sunt adscribendi Confraternitatibus. Ergo, viuentes tantùm, & non mortui, Confraternitatibus adscribuntur. Patet consequentia. Quia, si Confraternitatibus, præter viuentes, adscriberentur etiam mortui; cùm hi dictis careant conditionibus; huiusmodi adscriptio actus esset omnino nullus, & frustraneus. Nullitates autem, ac frustrationes, nedum natura; sed etiam ars abhorret: iuxta tritissimum illud Axioma, *Natura, et ars nihil faciunt frustra;* quod quamplurimis auctoritatibus, tum legalibus, tum philosophicis, confirmatur per Barbosam, in Axiomatibus Iuris, axiomate 33. n. 3.

Antecedens verò sic ostenditur. Confraternitas, ex eodem Barbosa, Iuris Ecclesiastici lib. 2. cap. 11. à n. 66. & deinceps, potest ita definiri: vt, nimirum, sit *Congregatio plurium hominum, vel personarum Religionis, vel Deuotionis causa, instituta.* Ergo viuentes tantùm, & non mortui conditiones habent, essentialiter, ac necessariò requisitas in ijs, qui sunt adscribendi Confraternitatibus. Probatur consequentia tripliciter: iuxta tres conditiones, quas innuit hæc definitio.

50 Pri-

50 Primò. Quia homo mortuus, putà, cadauer, non est homo. *Nam, ad esse hominis* (inquit Innocentius III. in capitulo, *In quadam*, De Celebratione Missarum, §. *Aduersus*) *duo principaliter exiguntur, videlicet, corpus, et anima; ex quorum coniunctione verus homo subsistit*. Quocirca: concludunt Canonistæ quidam (licet alij, cum quibus citatur doctus Episcopus Eugubij Sperellus, tomo 1.decis. 45. num. 8. contrariũ opinentur) quòd, qui Clericum mortuum, vel Clerici cadauer percutit; excommunicatus non euadit: quia, non potest dici, qui Clericum mortuum percutit; hominem Clericum percutere: ac proinde cessant à vi sua verba canonis, *Si quis*, 17. q. 4. Qua de re videri potest inter ceteros citatus Barbosa, in Axiomatibus Iuris, axiom. 144. n. 7. quamuis Iuris Ecclesiastici lib. 1. cap. 39. §. 1. num. 7. sentire secùs videatur. Imò, nec etiam est homo anima ipsa separata; quæ, tãquam immortalis, post mortem remanet. Id quod optimè demonstrant, & Sanctus Augustinus, lib. 19. De Ciuit. Dei, cap. 3. & Sanctus Thomas, 1.p.q. 75. a. 4. c. videndi. Ergo, viuentes tantùm, & non mortui primam conditionem ex dictis habent, indicatam in iam adducta definitione Cõfraternitatis, per illam dictionem, *hominum*.

51 Secundò. Quia mortui non sunt personæ. Tum quia, licèt anima rationalis, à corpore per mortem separata, per se existat, & non in alio, & ideo dicatur subsistere; quia tamen, est pars humanæ speciei, & ideo, quid incompletum, & retinens naturam vnibilitatis; propterea, dici non potest substantia prima completa, indiuidua, rationalis naturæ; in quo, per Boëtium, libro De duabus Naturis, consistit, esse aliquid personam: & per consequens, nec est, nec dici potest persona. Quæ omnia docet Sanctus Thomas, 1. p. q. 29. a. 1. c. & ad 5. & q. 75. a. 4. cit. ad 2. Tum etiam quia, secundùm Iuristas, appellatione

latione personæ veniunt, & masculi, & fœminæ. Barbosa De Appellatiua verborum Significatione, appellatiuo 198. num. 12. Sed mares, & fœminæ in viuentibus tunc tantùm sunt; quando corpus est vnitum animæ: quia (vt habet Arist. lib. 2. De Generatione animalium, capite primo) *Generationis gratia sunt mas, & fœmina*. Et ad generationem animalium, requiri, nedum animam, sed etiam corpus; manifestum est, & de se, & ex eiusdem Aristotelis doctrina. Qui lib. 2. De Anima, textu 34. generationem animalium, ait, esse opus nutritiuæ animæ, quæ sine corpore non est; vt idem docet, ibidem, tex. 49. Ergo, viuentes tantùm, & non mortui secundam conditionem ex dictis habent, indicatam in definitione suprapo sita Confraternitatis, per illam dictionem, *personarum*.

52 Tertiò, Quia Religionis actus, quorum causa, ex posita definitione, Confraternitates instituuntur; requirunt necessariò, pro hoc statu, corpus. *In cultu enim diuino*, qui est Religionis actus (inquit Sanctus Thomas, 2. 2. q. 61. a. 7. c.) *necesse est aliquibus corporalibus vti; vt eis, quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo coniungitur*. Sed post hanc vitam, animæ separatæ non habent corpus: cùm repugnet, esse illas à corpore separatas; & corpus habere. Ergo, licèt, post hanc vitam, in separatis animabus virtutes morales, quarum vna, eáque maxima, Religio est, quò ad habitum, quin quò ad actum etiam (si actus corpus non requirat) permanere dicantur; (vnde, dicuntur eædem separatæ animæ, in illo statu, virtutum istiusmodi moralium actus, corpus non requirentes, alio modo à nostro, exercere; quibus de rebus videri debent, inter ceteros Theologos, ipse Sanctus Thomas, cum Caietano, 1. 2. q. 67. a. 1. c. & Gregorius de Valentia, Commẽtariorum Theologicorum tomo 2. disputat. 5. quæst. 7. puncto 4.)

tamen,

tamen, in eodem statu, actus Religionis præsenti statui congruentes, ac proinde corpus requirentes, exercere non possunt. Ergo, viuentes tantùm, & non mortui tertiam conditionem ex prædictis habent, indicatam in allata definitione Confraternitatis, per illas dictiones; *Religionis, vel Deuotionis causa*.

Quoniam verò, sunt essentiales, ac necessariæ tres conditiones istiusmodi (definitio nanque, vti clarum est, essentiam explicat, atque naturam rei) manifestè propterea sequitur (quod nostrum erat intentum) ad hoc, vt actus validus adscriptio sit, non autem nullus, ac frustraneus; Confraternitatibus adscribi tantùm viuentes, quibus conditiones eædem non desunt: non verò mortuos, qui carent illis omnino.

53 Sed, vim illationis huius infringere, tentabit fortasse quispiam, illud afferens in medium; quod fieri dicitur in praxi. Dum, Confraternitatibus quibusdam, & (sicuti scribit Archangelus Caraccia, in sua Instructione, ad Rosarium persoluendum, quæ vulgi lingua prodijt, parte 1. cap. 11.) Confraternitati speciatim Sanctissimi Rosarij; mortui quoque in praxi dicuntur, adscribi.

Attamen (dato etiam, quòd hoc verum sit) vis adhuc illationis nostræ manet inconcussa. Quandoquidem, huiusmodi mortui sic adscripti, de talibus Confraternitatibus, re vera, non sunt. Et ratio est: quia, cùm huiusmodi mortui (vt dictum est suprà) nec homines, nec personæ sint, nec exercere possint Religionis virtutis actus, præsenti statui congruentes, quorum causa Confraternitates, in præsenti statu, instituuntur; sequitur: vt sint omnino similes, & ad instar illorum hac in parte; qui à Prælatis Regularium, in bonorum operum communionem, ac participationem, sint admissi, quæ suis fiunt in Religionibus.

Quod inde liquet: quia, sic à dictis Prælatis admissi, non

alium

alium ex hac admissione fructum recipiunt; nisi, quòd, per bona opera dictorum Regularium; illis directè, vel indirectè impetratur de congruo diuina protectio, diuinúmque auxilium. Propterea quòd, Indulgentiæ rationem nequaquam habet eadem admissio: cùm Indulgentiæ, per modum iurisdictionis concedantur viuis; & mortuis, quanuis per modum suffragij concedantur; semper tamen conceduntur ex clauium potestate: talis autem iurisdictio, & potestas Prælatis Regularium, vt huiusmodi, non competit. Nec etiam rationem habet satisfactionis: cùm, quòd Prælatus taliter admissis applicet illa bona opera, post quàm facta sunt; dici minimè possit: quia quatenus superabundant, in thesauro communi remanent Ecclesiæ; cuius dispensator est Summus Pontifex, non sunt Prælati Ordinum: nec dici pariter possit, quòd applicet eadem priùs quàm fiant, vel cùm fiunt: tum, quia cederet id in perturbationem, & grauamen subditorum, & daretur locus præuentioni, ita vt, si subditi pro suis, vel aliorum peccatis, per illa opera satisfacere intenderent, incerti essent, num Papa, vel Prælatus, ipsis inscijs, & non consentientibus, fructum omnem, aut partem eius alteri iam applicuisset; tum, quia illamet bona priùs quàm fiant, vel, cùm fiunt, non sunt quidem communia, ita vt à Communitatis Prælato possint applicari cuilibet; sed, ipsius operantis particulari dominio subiacent. Et ideo: cùm nec etiam rationem habere possit meriti de condigno, quoniam certum est, nullum purum hominem alteri de condigno posse mereri, ex illis, quæ habet Sanctus Thomas, 1. 2. q. 114. a. 6. c. cum ceteris Theologis; à sufficienti partium enumeratione relinquitur: vt eam solam rationem habeat, quam diximus; rationem, videlicet, impetrationis, & meriti de congruo, quæ sunt prorsus idem. Et, ita docet optimè Paulus Layman, Theologiæ moralis lib. 5.

tract.

tract. 7. cap. 4. n. 5. & deinceps, vnà cum Suarez, Nauarro, Corduba, Henriquez, & Rodriquez, quos citat; quicquid aliqui dicant in contrarium. Sed in Confraternitates, etiam post mortem, & non viuentes, adscripti; non alium fructum, propter easdem rationes, & à simili, ex hac adscriptione consequi possunt; nisi hunc fructum impetrationis, & meriti de congruo. Quandoquidem, propter hanc adscriptionem, ex eo, quòd non sunt homines, nec personæ, nec apti, ad actus virtutis Religionis huic statui congruentes exercendos, vt diximus; tantùm admittuntur ad communionem, & participationem bonorum operum, quæ fiunt in Confraternitate: si tamen in gratia, charitatéque decesserint. Ergo, sunt similes prædictis, vt affirmaui.

54 Fateor nihilominus: quòd, quemadmodum participantibus bonorum operum alicuius Religionis, dicto modo, interdum, per specialem gratiam Sedis Apostolicæ, eædem Indulgentiæ conceduntur, quæ ipsismet Religiosis; (vt notat idem Layman, ibidem, in capitis fine;) sic potest accidere, vt alicui Confraternitati, per eiusdem Sedis Apostolicæ gratiam, tribuatur; vt eædem Indulgentiæ, quæ defunctis illius Confraternitatis concessæ sunt, qui in illam adscripti fuerant in vita; transeant etiam ad illos defunctos, illisque intelligantur concessæ; qui in eandem Confraternitatem adscripti sint, post mortem. Quod tamen, cùm priuilegium sit, nulli Confraternitati præsumi debet, esse concessum; nisi per Scripturam probari possit, vel saltem per testes: ex doctrina Mascardi, De Probationibus, conclus. 528. num. 19. ac Decij in legem, *Si quis asserat*, num. 11. C. De Mandatis Principum. Et in quocunque casu priuilegium huiusmodi sit indultum; non Prælati quidem Religionum, aut Confraternitates, eas Indulgentias concedunt: sed personas tantùm designant,

quibus

quibus concedendæ sint: & Papa solus concedit. Quod scribit perspicacissimus Pater Diana, suorum Operum Parte 9. tract. 2. resol. 2. vers. *Nota tamen:* maximè, si sermo fiat de ijs Indulgentijs, quæ sint in fauorem defunctorum concessæ.

55 Porrò autem (vt argumentum concludamus) admissi ad communionem, & participationem bonorum operum Religionis alicuius, de illa Religione propterea nequaquam sunt: ex defectu præsertim essentialium votorum. Ergo, à simili, sic est asserendum etiam de mortuis: vt post mortem, in aliquam Confraternitatem admissi, de illa Confraternitate propterea non sint, aut dici non possint, ob defectum essentialium talis, quasi status hominum; quæ in supra posita Confraternitatis definitione exprimuntur.

Atque ita: remanet in suo robore, prorsúsque inconcussa nostra illa illatio, qua inferebamus; ad hoc, vt adscriptio in Confraternitatem aliquam, sit actus validus, & non frustraneüs; Confraternitatibus adscribi tantùm viuentes, qui conditiones, ad id, habent necessarias; non autem mortuos, qui sunt illis destituti: non obstante praxi, quæ, ad illationem infringendam, afferebatur.

Per quæ omnia, satis demum, ac super ostensum sit, quàm certis, ac bonis nitátur fundamentis effatum illud; *Confraternitatibus non mortui, sed viuentes adscribuntur:* id quod in hac Digressione demonstrare, proposueramus.

AP-

APPENDIX MEMBRI I.

Quid eruendum, & quid non eruendum ex doctrina proximæ Digressionis, ad nostrum, quò iam redimus, Insti-tutum.

56 EX doctrina igitur Digressionis præmissæ, illud vnum, ad propositum nostrum, est eruendum; quòd per ipsam intendebamus: nimirum: quàm bene per illud effatum, quod tam certis, ac bonis niti vidimus fundamentis; probata relinquantur, quæ per idem supra, Memb. 1. num.45. & 48. in fine probauimus: & maximè, Antonium illum de Baiulo, siue *del Bailo*, ante suam ipsius mortem, Confraternitati, de qua fiebat sermo, fuisse adscriptum.

Ex eo autem, quòd mortuos interdum adscribi Confraternitatibus, vt admittantur ad cõmunionem bonorum operum, quæ inibi fiunt, in discursu Digressionis istiusmodi concessimus; erui, vel inferri sanè haudquaquam potest: quòd hinc noua, circa eundem Antonium, difficultas insurgat; quatenus proinde quispiam possit, aut velit asserere; fuisse illum Confraternitati memoratæ adscriptum, suam post mortem, ad hoc tantùm; vt, suam post mortem, ad communionem prædictam admitteretur; non, vt esset de Confraternitate. Si enim hoc, vel per Scripturas non probetur, vel per testes, quod nunc est prorsus impossibile; præsumi nullatenus potest. Imò: Iuris è contra præsumptio est (de qua textus est notabilis, in capitulo primo, De Clericis non residentibus, prout ibi notant Cardinalis, Ioannes Calderinus, Ioannes de Imola,

Panormitanus, ac ceteri Canonistæ, & in lege, *Ideoque*, ff. De Legibus, & in lege, *Quadam*, §. *Numularios*, ff. De Edendo, & in lege, *Qua natales*, C. De Probationibus, quæ omnia, & cum his etiam alia refert Euerardus, loco, *A communiter accidentibus*, num. 1. & 2. & loco, *Ab vsitato*, num. 1. præter id, quod nos etiam supra, num. 44. retulimus) vt, *Quod fieri solet, factum esse, præsumatur*. Fieri autem communiter solet: vt Confraternitatibus adscribantur viuentes, quò fiant verè de illis: non mortui, præfatam ad communionem duntaxat; quod est notissimum, Igitur ex his (eo nihil obstante, quod concessimus) præsumendum præsumptione Iuris est; dictum Antonium adscriptum fuisse dictæ Confraternitati viuentem, quo de illa reuera esset: non mortuum, ad communionem dictam solam; maximè, dum non constat, neq; constare potest de contrario.

57 Et ad extremum, inde multò minùs erui, vel inferri potest istud aliud: nempe, quòd idem fuerit in Libro Confraternitatis adscriptus post mortem, non autem viuus, ea sola de causa; vt, nisi fuerat viuus, post mortem saltem, de tali Confraternitate foret. Quia (præterquam quòd, concessis hoc directè contraponitur) supponendum etiam esset, hoc ipsum factum fuisse, vel ex ignorantia illorum, quæ requiruntur ad hoc, vt quispiam de aliqua Confraternitate fiat, de quibúsque iam diximus; vel sine tali ignorantia. Hoc secundum dici non potest. Fuisset enim proinde huiusmodi actus (vtpote de industria deficiens in necessarijs, ac substantialibus) nullus, ac frustraneus omnino: cùm, sic adscriptum, de Confraternitate neutiquam fecisset, contra ipsorum adscribentium voluntatem. Nullitates autem, ac frustrationes, maximè voluntarias, nequaquam esse præsumendas; demonstrat illud axioma, quod supra retulimus: *Natura*, sci-

ſcilicet, *& ars nihil faciunt fruſtra*. Nec etiam dici poſſet primum. Quandoquidem, hæc ignorantia fuiſſet certè non Facti; ſed tantùm Iuris: cùm per illam fuiſſent ignorata requiſita prædicta ſimpliciter, in quo Iuris ignorantia conſiſtit; non autem aliquid particulare, circa obiectum eiuſdem actus, vt, verbi gratia, ipſum Antonium adhuc mortuum non fuiſſe; in quo conſiſtit ignorantia Facti: de quibus differentijs ignorantiarum explicatis in prætactum modum; videndus eſt Layman, Theologiæ moralis libro primo, tract. 2. capite 4. numero 2. Explorati autem Iuris eſt, *Ignorantiam Iuris non præſumi*. Pro quo effato multa congerit Barboſa, in Axiomatibus Iuris conſulendus, axiomate 113. numero 7. Præterquam quòd, alterutrum quoque ex his duobus aſſerens, aſſerti ſui probandi onus omnino ſubiret; quod nunc, vt, in ſimili re alia, ſupra diximus, profectò fieri non poteſt.

Atque hæc, de primo ex duobus, quæ, ad hauriendam noſtri Libri antiquitatem, propoſueram, de contentis, nimirum, in illo; dicta ſufficiant.

MEMBRVM SECVNDVM.

Satis efficaciter probatur eiuſdem Libri antiquitas ex ijs; quæ de illo leguntur in Inſcriptione, de qua ſuperiùs eſt actum.

58 SEd, vt loquamur de ſecundo, quod erant illa, quæ habentur de dicto Libro, in Inſcriptione inciſa lapidi, de qua iam ſupra, in hac ipſa Quæſt. Sect. 1. §. 1. num. 1. Certum eſt: ex Annalibus deſumptum eſſe; quicquid hæc enunciat Inſcriptio: quod eâdem ex Inſcriptione

ne certè quidem apparet. Dicit enim illa, ceteris omissis, quæ recenset; *Vt Annales docent*. Sic fanè in Procemialibus retulimus, tertio Paragrapho. Ergo pariter certum est: Annales narrantes Factum Lacrymarum (hoc enim est, quod ex Annalibus enunciat Inscriptio istiusmodi, si tenoris meminerimus illius) tunc temporis, cùm Inscriptio incisa est lapidi; extitisse. Quia, hæc Inscriptio (vt Quæstionis huius citato loco, vidimus) hoc dicens, & enuncians, plenè probat, fidé nque facit.

Nunc autem recolendum est, quod, ad hoc propositum, optimè docet Baldus, in legem, *Ex persona*, nu. 2. C. De Probationibus: dari, nimirum, hanc Regulam: vt, *Quando ex duobus extremis primum, nempe, à quo, quod est præteritum, sit verum, & secundum, hoc est, ad quod, & est præsens, sit possibile; de præterito trahatur argumentum ad præsens, in omnibus prædicamentis*.

59 Hoc posito: sermonem habentes nos de hoc nostro Libro, sumus haud dubiè in prædicamento substantiæ. Nam, Librum substantiam esse quandam; quis negabit? Possumus itaque, hoc pacto, argumentari. Eo tempore, quo lapidi incisa est Inscriptio, nostrum Factum Lacrymarum enuncians; extabat absque vlla controuersia Liber, qui, ad instar Annalium, idem factum enarraret. Hoc enim Inscriptio illa eadem enunciat, quæ fidem facit, vt, citato loco, iam vidimus; & hoc ipsum consequenter verum est. Ergo, idem Liber, extat etiam nunc: quod est equidē ex eo possibile; quòd, nūc extant absq; dubio Libri, qui, nedum ante centum; sed ante ducentos, tercentos, & longè plures annos, extabant. Patet consequentia: quia (vt habet iam posita Baldi Regula) Trahitur, & valet argumentum à præterito ad præsens, in prædicamento substantiæ; quando præteritum est verum, & præsens est possibile.

60 Quo

60 Quo firmato: argumentandum est iterum, à sufficienti enumeratione partium, sic. Extat nunc Liber, qui, ad instar Annalium, nostrum Factum Lacrymarum enarrans; extabat etiam, quando supradicta Inscriptio idem Factum enuncians, incisa est lapidi: quia, ita conuincit modò explicatum argumentum. Atqui: euolutis Libris omnibus, qui nunc Pinnæ Billorum extant; non alius reperitur Liber, qui, ad instar Annalium, tale Factum narret, præter illum; de quo verba facimus. Ergo, hic est Liber ille, qui extabat, cùm Inscriptio fuit incisa lapidi; hoc est, anno Christi 1528.

61 Duo tandem hîc aduertenda sunt.

Primum. Nihil esse, cur aliquis asserat; Librum, qui extabat, cùm Inscriptio incideretur; nunc esse perditum, blattis corrosum, & consumptum. Quia, tale quidpiam asserens, tenetur, omnino suum probare assertum: vt, & in similibus dictum est aliâs; & ipse Baldus ait in materia huius argumenti, ***A præterito ad præsens.***

Secundum. Quanta sit, apud Iurisconsultos, argumenti, ***Ab enumeratione partium***, vis, quo pariter, hîc sumus vsi; peti posse ab Euerardo, in suis iam pluries citatis Legalibus Locis, loco, qui eo titulo inscribitur. Et hæc de secundo.

APPENDIX SVBDISTINCTIONIS II.

Quid colligatur ex hactenus dictis de nostri Libri antiquitate. Ac tandem concluditur, ipsum, non modò antiquum, sed valde antiquum esse; secundum doctrinas Iuristarum.

62 PОrrò autem: ex omnibus, quæ de nostri Libri antiquitate sunt hactenus dicta; colligimus: Librũ hunc iam extitisse, vel prope annum Domini 1489. quando accidit ipsum Factum Lacrymarum; vel ante annum 1515. quando excessit è vita memoratus Ioannes Antonius de Sextino, vel ante annum 1519. quando mortuus est dictus Antonius de Baiulo; vel saltem ante annum 1528. quando Inscriptio fuit incisa.

63 His verò sic firmatis: adhuc tamen perfectè non est conclusum, Librum hunc antiquum esse; quod erat intentum principale. Quandoquidem, nec adhuc apparet; Num, secundùm Iura, & Doctores, tempus existentiæ Libri huius, quod ab annis modò notatis vsque in præsens elapsum est; verè sit, ac verè dici possit antiquum. Sed, hoc facilè concludemus, cùm, inter ceteros, Iosephi Mascardi doctrinam audire, non fuerimus grauati; quæ, quid apud Iuristas dicatur antiquum, planè declarat. Ille igitur: suo in tractatu eleganti, De Probationibus, quem tam sæpè citamus, conclusione 103. num. 7. post recitatas hac de re opiniones laxiores; concludit, per hæc verba. *Tamẽ, magis recepta opinio, & magis communis est: vt antiquum intelligatur, finiri spatio centum annorum: vt supracitati attestantur, & Cacheranus, in decisione Pedemontana*

173.

173.*n.* 8. *& Cephalus, qui infinitos allegat, in consilio* 250. *n.* 18. *volumine* 2. *& Mãtua, in consil.* 72. *n.* 2. *volum.* 1. *& Milleus, in suo repertorio, in verbo, Antiquum*. Hæc Mascardus. Quæ quidem opinio, quemadmodum ab illo dicitur magis recepta, magísque communis; ita ex ijs omnibus, quæ per totam eandem conclusionem 103. idem tradit; apparet etiam, esse magis rigorosa.

64 Ex hac igitur doctrina, siue dicamus potiùs, ex hac opinione, quæ apud Legum Doctores, de antiquo rigorosior est, nostro Libro applicata; supputando etiam ab anno vltimo, quo, de Libro istiusmodi mentionem fieri, iam vidimus, hoc est, ab anno Christi 1528. vsq; ad annum 1653. nũc elabentem; eundem Librum, nedum antiquum, sed valde antiquum esse, apertè intelligimus. Cùm sic, nedum centum; sed centum viginti quinque ab hinc annos, vt minimum; luce clariùs, illũ extitisse, compertum sit.

Et per hæc, absolutum est secundum ex tribus illis, quæ proposita sunt, in primæ Distinctionis huius ipso principio. Procedamus igitur ad tertium.

SVBDISTINCTIO TERTIA.

Ostenditur tertium ex propositis in principio Distinctionis huius, nempe, Librum eundem publica sub custodia reperiri. Et concluditur, quod dicendum erat circa primum caput, de quo in principio huius Paragraphi secundi.

65 HOc tertium etiam est particulare, ac finitum ad nos attinens: & in hoc genere, si de secundo diximus, illud esse vnũ, vel primum; consequenter, hoc est alterum. Quòd autem, publica sub custodia reperiatur hic

liber (hoc enim est illud, quod nunc est ostendendum) habere sanè videtur aliquam difficultatem. Certum enim est: quòd, sub totius Pinnæ Billorum publica custodia, non reperitur.

Attamen, indubiè dicendum est: eo nihil obstante, quòd sub totius Pinnæ Billorum publica custodia, talis Liber non reperiatur; ipsum verè, ac propriè, sub custodia publica, reperiri. Et ratio est: quia, sub custodia reperitur Officialis cuiusdam (quem Factorem appellant) Confraternitatis illius, quæ Sanctæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs dicitur, & Confalonis; quæq; per occasionem, de qua supra (tum, in huius Quæstionis num. 43. tum, in Procemialium num. 11.) fuimus etiam locuti; Pinnæ Billorum, in Parœciali Ecclesia Sancti Christophori Patrum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, ritè, canonicéque, quondam erecta, & instituta est.

66 Hanc autem custodiam esse publicam; sequenti discursu, satis manifestè conuincitur.

Quandoquidem: Confraternitatem huiuscemodi Locum esse Pium; omnino certissimum in primis est. Tria nanque requiruntur (vti post multos tradit Barbosa, Iuris Ecclesiastici lib. 2. cap. 11. n. 79. & 80.) quò Confraternitas aliqua sit Pius Locus. Primum est: Episcopi auctoritate, Confraternitatem erectam esse: secundum: habere illam Sacellum, & Altaria, vel Altare: tertium: habere Campanile. Porrò: Confraternitatem, de qua loquimur, ordinaria Feretrani Episcopi auctoritate, fuisse olim erectam in Ecclesia prędicta; ceteris omissis, Litteræ aggregationis Confraternitatis eiusdem ad Archiconfraternitatem Confalonis de Vrbe, sub Dat. Romæ, die 13. Octobris 1579. & nunc apud eandem Confraternitatem seruatæ; clarè testantur: quas, breuitatis gratia, non transcribo. Habere autem ipsam in eadem Ecclesia suum Sacellum,

suum-

suúmque Altare ; Fideles illi , qui prodigiosam Virginis Matris Imaginem , ex cujus Oculo dextero Lacrymæ prodierunt , quarum Factum in præsentia probare conatur , eò venerari accedunt , vnitersi noverant . Ac deinde : eandem habere pariter , & suum Campanile , constat ex eo , quòd in Ecclesia sit erecta ; quæ procul dubio Campanile habet .

67 Et quamvis fortè , Campanilia illius Ecclesiæ , in qua Confraternitas hæc erecta est , ipsa dominium , possessionémue re vera non habeat ; (quod dominium , possessionémue significari , per verbum illud , *habere* , quo vsi modò fuimus , expressè patet ex lege , *habere* , ff. De verborum Significatione , & ex notatis à Barbosa , Iuris Ecclesiastici lib. 3. cap. 20. n. 14.) id attamen asserto nostro nihil obstat . Cùm dominium , possessionémue Campanilis , ea tantùm de causa , dicendum sit in aliquo Loco Pio requiri vt inde , pulsatis Campanis , detur signum Fidelibus , illac ad diuina conueniendi . Hanc enim Campanilis , Campanarúmque in Ecclesijs , Locisque Pijs instituendarum , fuisse finem ; patet ex Guilelmo Durando , in suo Diuinorum Officiorum Enchiridio , lib. 1. cap. 4. n. 3. quin ex capitulo , *Ioannes* , De Homicidio voluntario , & ex capitulo 1. & 2. De Officio Custodis ; vnde , quod scripsit , & ipse Durandus , desumpsit . Atqui , notum est : Confraternitatem prædictam finem consequi Campanilium , & Campanarum institutioni ; finem conuocandi , nimirum , Fideles illùc ad diuina ; quando pulsantur Campanæ Campanilis eius Ecclesiæ , in qua erecta est , & in qua est suum suum Sacellum , & suum Altare : absque eo , quòd vllius Campanilis dominium , possessionémue re vera obtineat . Non est ergo necesse , vt dominium , possessionémue habeat Campanilis alterius . Ea enim , quæ sunt ad finem , sunt eatenus necessaria ; quatenus non potest sine ipsis finis habe-

beri: habito autem fine, non ampliùs necessaria sunt. S.c, Sanctus Thomas, 1. p. q. 19. a. 3. c. & q. 82. a. 1. & 2. c. & alibi. Quod idem Iurisperiti explicant per illud aliud axioma (de quo Barbosa, axiomate 40. n. 4.) *Cessante causa finali, super qua fundatur dispositio Legis; cessat, & ipsa dispositio:* hoc est, habito iam in re ipso fine, super quo, cum tantùm erat in intentione, fundabatur dispositio Legis, circa media, quæ directa erant ad eundem finem; cessat obligare huiusmodi Legis dispositio. Vnde manifestè apparet: quòd, esto, Confraternitas hæc nostra, neque dominium, neque possessionem habeat vllam Campanilis alicuius; cùm tamen Campanilis habeat finem, Campanile habere dicenda sit; & cum eo illa omnia, quæ requiruntur ad hoc; vt sit Locus Pius.

68 Hoc posito, recolendum est: quòd cuncta Loca Pia, quæ (ex textu notabili, in lege, *Omnia priuilegia*, C. De Episcopis, & Clericis, & in §. *Pro temporalibus*, Authent. De Ecclesiasticis titulis) æquiparantur Ecclesijs; vnà cum ipsis Ecclesijs (ex alio textu notabili, in lege, *Vt inter diuinum*, C. De Sacrosanctis Ecclesiijs) æquiparantur etiam Reipublicæ, & Ciuitati.

Quam æquiparationem, licèt Iason, in hanc eandem legem, n. 2. putet non procedere, nisi, quantùm ad tres casus, ibi, eodem in textu expressos, quos non refero, quia, cùm secundùm diuersos diuersimodè intelligantur, præsentis instituti non est, talem controuersiam dirimere; Barbosa tamen, Iuris Ecclesiastici lib. 2. cap. 13. n. 10. rectissimè sentit, post Euerardũ, loco, *A Fisco ad Ecclesiam*, n. 2. procedere vniuersaliter in omnibus, in fauorem Reipublicæ, Ciuitatísque dispositis: stante tamen identitate rationis, & vbi fauor, qui præsumitur communicatus, est applicabilis, & contrarium non reperitur in Iure decisum. Cui sententiæ, tanquam æquissimæ, ego quo-

que

que subscribo; conditione tertia nihilominus excepta.

69 Et huius exceptionis ratio est. Quia, contrarium illud, quod supponitur, posse esse decisum in Iure; vel decisum est antè latam Legem illam, *Vt inter diuinum*; vel post. Si primũ: iam per Legem eandem, *Vt inter diuinum*, vim obligandi amisit illud in Iure decisum, in contrarium. Quandòquidem: per posteriorem Legem tollitur prior, licèt de ipsa mentio non fiat; (vt exprimitur clarè, in capitulo primo, De Constitutionibus, in 6.) demptis tamen Decretis Concilij generalis, quibus derogatum non censetur posteriore contraria Lege; nisi explicitè derogatoria clausula subiungatur. Quæ limitatio, tum ad propositum præsens minùs facit; tum videri potest, omissis ceteris, apud Layman, Theologiæ moralis lib. 1. tract. 4. cap. 21, num. 2. vbi adducit textus, & Doctores. Si secundum: hoc nulliter, & frustra factum esset. Quia, quod toti Ecclesiæ semel concessum est à quocunque sæcularium Principum; ab ijs reuocari non potest: vt acutissimè, contra Rabardeum, probat Pater Diana videndus, parte 7. tractat. 1. qui est De Immunitate Ecclesiastica, resolut. 8.

Igitur: per hanc æquiparationem, vt modò explicauimus, acceptam, qua Loca Pia cum Ecclesijs æquiparantur Reipublicæ, ac Ciuitati; quæcunque priuilegia Reipublicæ, ac Ciuitati concessa sunt ab Imperatoribus; intelliguntur eadem concessa esse, etiam Ecclesijs, ac Locis Pijs; quando stet rationis identitas, & priuilegium sit applicabile.

70 Porrò: inter priuilegia, Reipublicæ, ac Ciuitati ab Imperatoribus concessa, vnum est illud; de quo, in Authentico, De Ijs, qui ingrediuntur ad appellationem, §. *Illud*, vers. *Si verò*, & in alijs textibus, quos affert Glossa, in capitulum, *Cum causam*, De Probationibus, verbo, *per libros*. Et hoc in eo consistit: vt Libri omnes, & Scri-

pta

pturæ, sub custodia Officialis illius publici repertæ, quem Archiuistam vocant; siue, nimirum, reperiantur illæ in Archiuo, quod (ex lege, *Moris est*, C. De pœnis, & ex Authentico, De Defensoribus Ciuitatum, §. *Si verò*, & ex Clem. vn. in fine, De Iureiur.) non est aliud, nisi locus publicus, vbi Libri, Scripturæq; reponuntur; siue reperiãtur etiam in camera ipsiusmet Officialis, vt loquitur capitulum, *Ad audientiam*, De Præscriptionibus, super quo videndus est maximè Felinus; siue sint illæ per se authenticæ; siue tales per se non sint; dummodo (ex eodem Felino, ibidem, num. 11.) sint cum Scripturis authenticis coniunctæ; sub custodia publica, prorsus esse repertæ, intelligantur.

71 Ratio autem concessionis huius priuilegij stat omnino eadem, in Locis Pijs, & in Ecclesijs; quæ, in Republica, & in Ciuitate. Nam, si ratio, quamobrem Reipublicæ, ac Ciuitati concessum est hoc priuilegium, est illa præsertim, quæ redditur in Authentico supra citato, quæque tangitur etiam in supra citata Clementina, & notatur insuper à Caballino, in sua Glossa, verbo, *Archiuijs*, num. 1. ad cap. 12. lib. 2. Constitutionum Marchiæ, vt, nimirum, Scripturæ, Librique continentes iura, tum publica, tum priuata Ciuium, conseruentur, non depereant, ac facilè reperiri, & inspici possint, cum est opus; eadem quoque ratio mouet, vt idem priuilegium concedatur. Ecclesijs, ac Pijs Locis. Etenim: est etiam necesse, vt Libri & Scripturæ continentes ea, quæ spectant ad Ecclesias, & Loca Pia; conseruentur, non depereant, & facilè, cùm oportet, inueniri, & inspici queant.

72 Nec est, cur dicatur; posse huiusmodi Libros, & Scripturas Ecclesiarum, Piorúmque Locorum seruari, ad dictos fines, & effectus, in Archiuo Reipublicæ, ac Ciuitatis. Quia, cùm Ecclesiarum, Piorúmque Locorum ex vna parte, & Reipublicæ, ac Ciuitatis ex alia, diuersi sint fori;

fori; debent etiam esse diuersa, quæ spectant ad foros: inter quæ custodiam Scripturarum, ac Librorum generis iam explicati, ponendam esse; non est dubium. Qua de re, quædam innuit Mascardus, De Probationibus, quæst. 1. num. 4. 5. & 6. & quæst. 2. num. 22. quatenus, ex Glossa, in capitulum primum, verbo, *Contra*, De Re iudicata, in 6. & ex lege, *Illicitas*, §. *Veritas*, ff. De Officio Præsidis, dicit in primo loco, Iudicem, qui in foro decernit, controuersias, per probata astringi, atque ligari, & secundùm ea debere iudicare; & in secundo, Probationes, maximè per Instrumenta, & per Scripturas fieri; quæ per dictam custodiam conseruari, modò explicabamus.

73 Quòd verò tale priuilegium Reipublicæ, ac Ciuitati concessum, bene sit applicabile ipsis etiam Ecclesijs, ac Pijs Locis; omnino sequitur ex posita rationis illud habendi omnimoda identitate, in vtrisque. Si enim ratio, quæ mouit Imperatores, ad cōcedendum hoc priuilegium Reipublicæ, ac Ciuitati, mouet etiam absolutè ad concedendū idem Ecclesijs, ac Pijs Locis, quia non magis in primis illis, quam in secundis his, est necessaria Scripturarum, Librorùmque prædicti generis conseruatio, & facilis eorundem inuentio, atque inspectio; eadem ratio facit, vt idem priuilegium non magis primis illis, quàm his secundis, applicabile sit. Præterquàm quòd, quemadmodum non repugnat illis primis, ita non repugnat secundis his: & quemadmodum ex eo, quòd concessum est primis, nullum sequitur absurdum; sic neque absurdum sequitur, cùm conceditur secundis.

74 Infertur igitur ex his præmissis perquammanifestissimè: vt hoc idem priuilegium intelligatur prorsus concessum, etiam Ecclesijs, & Pijs Locis: cùm concurrant omnia, quæ, ad huiusmodi concessionem necessaria esse, dicta sunt. Ita vt, quæcunque Scripturæ, & quicunque

Libri

Libri continentes ea, quæ spectant ad Ecclesias, & Pia Loca reperiuntur vnà cum Scripturis alijs, quæ authenticæ sint, sub illius Officialis custodia, ad quem, tanquam ad canonicè electum ad hoc munus, custodia spectat Scripturarum; verè, ac propriè dicendi sint, sub custodia publica reperiri, etiamsi non reperiantur in loco, qui verè sit Archiuum.

75 Atque ita: noster ille Liber, qui reperitur, sub custodia Officialis illius, quem à prædicta Confraternitate Sanctæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs, & Confalonis, ac proinde à Loco Pio canonicè electum, vt vidimus, Factorem vocant, cuiúsque munus est, inter cetera custodire Scripturas, & Libros ad eandem Confraternitatem pertinentes; verè, ac propriè sub custodia publica reperitur: etiamsi fortè in domo, siue in camera ipsiusmet Factoris reperiretur: maximè, cùm semper, quocunque reperiatur loco, cùm Scripturis multis alijs Confraternitatis eiusdem, quæ per se authenticæ sunt, soleat esse coniunctus. Et hoc est illud, quod conuincere, per hunc discursum totum (vt ab ipsius initio propositum fuit) intendebamus.

Cùm itaque, num. 42. sit ostensum ex Mascardo, Libros antiquos, publica sub custodia repertos, plenè probare; & præter hæc, sit etiam ostensum ex multis in sequẽtibus numeris, Librum hunc nostrum antiquum esse, & sub custodia publica reperiri; sequitur, ipsa luce clariùs: per eundem Librum plenè probari Factum Lacrymarum, quò ad primum caput, ex tribus iam propositis; quod erat, & ipsa Libri Antiquitas, & ipsum Librũ, Publica sub custodia, reperiri: quódque per hæc omnia sit ostensum, & expensum.



DI-

DISTINCTIO SECVNDA.

Discurritur, circa secundum caput: quod est, Fides Libro adhibita ab antiquis nostris.

76 QVòd ad secundum attinet caput; doctrina communis est: Libros antiquos plenam facere fidem, plenéque probare; si ab antiquis nostris fuerit illis fides adhibita. Pro qua doctrina: consulendi sunt Felinus, num. 1. & cum illlo Decius, num. 6. in capitulum, *Cum causam*, De Probationibus; & Mascardus in eiusdem tituli suo tractatu, conclusione 398. num. 5. qui omnes allegant non paucos. Quin, ea procedere intelligenda est; etiamsi huiusmodi Libri non sint Scripturæ publicæ, vel authenticæ, &, sub custodia publica, non custodiantur. Hi enim Doctores, citatis in locis, exemplificando, mentionem faciunt Chronicorum, Historiarum, & similium, quæ Scripturas publicas, vel authenticas non esse, neque, publica sub custodia, custodiri; notissimum est.

Monstrandum est itaque; quòd Libro nostro ab antiquis nostris fuerit fides adhibita. Sed hoc, duplici sanè via monstrari facillimè potest.

Primò quidem: quia constat, fidem illi adhibuisse antiquos nostros, iam inde ab Orbis redempti anno, saltem 1528. Tunc enim incidendam curarunt, idem Factum Lacrymarum enunciantem, Inscriptionem. Qua de re sint illa satis, quæ, in hac eadem Quæstione, Sectione prima, §. 2. num. 16. iam scripta sunt.

77 Secundò autem: quia Pinnæ Billorum, testes non pauci, maximéque idonei, quos hîc nominare, non est opus; non desunt: qui excedentes ætatis annum septuagesimum,

simum, quin etiam, & octuagesimum, de auditu, vt minimùm, auditus, huic Libro fidem ab antiquis nostris fuisse semper adhibitam, deponunt. Quam Probationem sufficientem esse, concurrente præsertim publica fama, quæ in casu nostro, vt alibi monstrabimus, non desideratur; docent Felinus, in capitulum, *Licet ex quadam*, num. 1. circa principium, De Testibus; & Mascardus, De Probationibus, conclusione 104. à num. 1. vsque ad 6. qui multos alios citant.

Ex quibus est palam: per Librum hunc nostrum, plenè probari Factum Lacrymarum, ex hoc secundo capite; etiam (quantum tamen ad publicam custodiam duntaxat) primo secluso.

DISTINCTIO TERTIA.

Discurritur circa tertium caput: quod est, Nullum alicui præiudicium nasci, ex adhibita fide Libro tali.

78 QVod postremò spectat ad tertium caput: Libros antiquos, etiam non authenticos, aut publicos, & publicè non custoditos facere plenam fidem, ac probare plenè, si propter fidem illis adhibitam, nulli fiat præiudicium; docet expresse Mascardus, De Probat. conclus. 399. num. 4. Doctores alios adducens: & ante ipsum docuerat hoc idem Felinus, num. 2. in citatum capitulum, *Cum causam*; vbi allegat Hostiensem, Imolam, & Abbatem.

Quòd autem, si huic nostro Libro fides adhibeatur, nulli præiudicium fiat; ex ijs declaratur, & comprobatur, quæ in hac ipsa Quæstione, Sect. 1. §. 4. circa Inscriptionem,

nem, siue Scripturam incisam lapidi iam dicta sunt. Illa igitur adeantur.

Interim verò: proportionaliter dicendum est hîc etiam, quod paulò ante dicebamus: quòd, nimirum, secluso prorsus capite secundo, &, quantùm ad custodiam publicam, etiam primo; hic idem Liber ipsum Factum Lacrymarum, ex isto tertio capite per se, satis plenè confirmat, ac probat.

Et sic, ad extremum relinquitur: Factum istiusmodi Lacrymarum, concurrentibus omnibus, ac singulis iam expensis tribus capitibus, quemadmodum re vera concurrunt; probatum esse, per eundem Librum, nedum plenè satis, verùm vsquequaque plenissimè.

SECTIO TERTIA.

Ponitur ad Quæstionem tertia Responsio, cum suis rationibus: nimirum: asseritur, & ostenditur, probari Factum idem Lacrymarum quibusdam ipsarum effectibus, vel signis; quæ adhuc perseuerant.

79 ILlud in præsenti recolendum est, quod ex Libro, de quo hactenus, in Procemialibus quoque tetigimus; & planè constat ex ipsamet inspectione: videlicet: quòd, in Sacra Facie Marianæ huius Imaginis nostræ, & præsertim, immediatè sub Oculo dextero ipsius, expressè cernitur etiam nunc à cunctis eam intuentibus Macula, seu Labes quædam subfusca. Quæ quidem, in suo principio, & iuxta Oculi angulum, tantæ latitudinis est, quanta,

 pari-

pariter in suo principio, & iuxta oculi viuentis alicuius angulũ, solet esse latitudo riuuli cuiuspiam Lacrymarum, inde fluentium; infra principiũ autem, latitudinis longè maioris, & super naso, & prętereа super alijs quibusdam Faciei partibus, quin, & super Facie pueruli Christi Domini, dexterâ, sed prope stantis, continuitatem tamen haud seruans; expansa.

Deinde notandum: quòd Oculus dexter prædictus est altero, qui prorsus apertus apparet, longè constrictior; & vtrâque palpebrâ, superiore, nimirum, atque inferiore multùm conniuens. Id autem ex inspectione similiter, tum ipsiusmet Prototypi Miraculosi, tum etiam Iconis eius, quæ in huius Voluminis cernitur impressa principio, sic esse re ipsa; dilucidissimè constat.

Quibus positis:

80 Ad Quæstionis titulum tertiò respondetur, hoc pacto. Tale Factum Lacrymarum plenè insuper probat Macula, seu Labes prædicta: &, præterea, constrictio maior Oculi dexteri, quæ conspicitur ibi euidentissimè; sicut est modo suppositum, ac notatum.

Probatur prima pars Responsionis.

Et illius quidem vna ratio, iuxta doctrinam Legistarum, sic potest institui. Ex lege, ***Rem non nouam***, circa finem, C. De Iudicijs, ex §. ***Quorum***, in proemio Institutionum, & ex canone, ***Quatuor***, 12. q. 3. clarè colligitur: Effectum indicare causam suam. Sed Macula, seu Labes, de qua loquimur, & sic descripta, vt modò, ante Responsionem, in primo Notabili, nos ipsi descripsimus; indicat sanè, vti causam, humorem quendam, qui exierit ab illo dextero Oculo, & abstersione, per aliquem linteolum, vel aliter super naso, & super ceteris partibus fuerit expansus. Ergo indicat, vti causam, Lacrymas illas, in quarum Facti Probatione, nunc versamur: illas, inquam,

quam, quæ quondam eodem ex Oculo profluxiſſe, creduntur, quæque, re ipſa, vt in Prœmialibus vidimus, dicuntur fuiſſe non ſemel abſterſæ linteolo; & ſic ſuper naſo, & ſuper partibus reliquis, vt diximus, expanſæ. Porrò autem: ***Probatio, ab effectu, eſt Probatio ſenſitiua*** (inquit Euerardus, in loco talis tituli, num. 1.) ***qua nulla eſt efficacior.*** Ergo plenè probat. Atque ita, huiuſmodi Macula, ſeu Labes, cùm ſit ſenſitiua, hoc eſt ſenſibilis (ita enim hic terminus, apud Euerardum citatum, eſt intelligendus) ac proinde viſu ſentiatur; plenè prorſus probat noſtrum Factum Lacrymarum.

81 At, alia ratio, neruoſiùs, vt arbitror, tametſi ſubtiliùs, id ipſum confirmans; ex Ariſtotelis, & Peripateticorum principijs peti poteſt, in hunc modum. Ex ſignis inſeparabilibus, quæ Græci dicunt, τεκμήρια, hoc eſt, indicia, ſiue proprias notas; Probationes conficiuntur inſolubiles, ac neceſſariæ. Sic Ariſtoteles, & Expoſitores eiuſdem, primo Rhetoricorum, cap. 8. Et huius rei ſi quis vellet exemplum, hoc audiat Ariſtotelicum. ***Hac mulier lac habet***, inquit ipſe, ***ergo peperit.*** Atqui: Labes illa, ſiue Macula, quam apparentem, dicto ſub Oculo dextero, iam ſatis deſcripſimus; vtique ſignum eſt inſeparabile (ſecundùm ordinē, & habitudinem, ſaltē) à Lacrymis; quas erupiſſe proinde oportet eodem ex Oculo. Quod ſanè manifeſtum fiet ex his.

82 Reuocandum in memoriam illud eſt, quod alibi diximus: noſtram, nempe, Dei Genitricis Imaginem totam, in parietis tectorio depictam eſſe: & præter hæc inſuper (quod paulò ante innuimus) Maculam, ſeu Labem in eius Facie, & ſub eius Oculo dextero, de quo verba facimus; eſſe ſubfuſcam.

Hoc poſito: quatuor ex cauſis (vt colligitur ex eodem Ariſtotele, in libello, De Coloribus, cap. 1. & 5.) poteſt

subfuscus color in parietum tectorijs naturaliter, ac necessariò prouenire. Nimirum, ex fumo: ex ignis adustione: ex vetustate: & ex aliquo humore aqueo, per illud perfluente; ac postmodum exsiccato. His addamus nos causam voluntariam: vt, cùm in aliquod parietis tectorium, per manum hominis, inducitur liquor aliquis subfuscus: & causam tandem, per accidens; vt, cùm accidit, vt fuscus liquor ex aliquo vicino loco, vel aliter, in tectorium parietis resultet. Et hæc omnia discimus etiam ex ipsa experientia.

83 Porrò, conuertamur ad rem nostram. Dici nequaquam potest: quòd, ex accidentaria resultantia, siue ex voluntaria inductione subfusci liquoris, prouenerit subfusca Macula, seu Labes; de qua sermo noster procedit. Quia, tale dictum probari nullatenus potest. Propter quam causam, dici nec etiam potest; quòd, ex ignis adustione prouenerit.

Quòd verò non prouenerit ex fumo, & ex vetustate: non solùm dici non potest, quia impossibilis est probationis; sed præterea, quia, cùm fumus, & vetustas vniuersales causæ sint; vniuersalem etiam, vt producant effectum, est necesse. Quocirca: Sacrosanctam Lauretanam Imaginem, quæ fortè his duabus de causis nigra est (qua de re, qui plura volet, supra citatum Siluium Serrallium, in supracit. suo Libello, parte 1. cap. 12. consulat) nigrare, videmus non in parte; sed per totam. At, nostram hanc Maculam subfuscam videmus, non in tota Facie, in qua est: sed tantùm in illius partibus quibusdam, & sine continuitate; vt iam descripsimus, & explicauimus.

84 Relinquitur igitur, à sufficienti: vt hæc Macula tantùm prouenerit ex aqueo, Lacrymalique humore; quem, necesse est, vt Oculus, vnde ipsa incipit, emiserit. Ergo, hæc numero Macula, sine huiusmodi numero humore aqueo,

aqueo, Lacrymalique; hoc est, sine huiusmodi numero Lacrymis, ex dicto Oculo numero emissis; esse non potuit. Nam, cùm ex alia causa, vt est ostensum, de facto non prouenerit; sequitur, vt saltem simul, eodémque tempore (quod in præsenti sufficit) nec ab alia causa prouenire potuerit. Fieri enim non potest naturaliter (quod item in præsenti sufficit) (quanuis non desint, qui addant, etiam supernaturaliter, siue de absoluta Dei potentia, vti apud Suarez, vbi mox infra, num. 3. videri potest) vt idem effectus numero à pluribus causis totalibus (de his quippe nunc verba facimus) simul efficiatur. *In qua conclusione* (inquit Suarez, tomo 1. suæ Metaphysicæ, disp. 26. sect. 4. num. 22.) *ferè conueniunt Philosophi*. Quemadmodum è contra, huiusmodi numero Lacrymæ, sine hac eadem numero Macula, esse non potuerunt. Posita siquidem causa naturali, cui adsint, ad agendum, necessariæ conditiones omnes (qualem causam dictas fuisse Lacrymas, ex effectu, qui remansit, prorsus est palam) necessariò sequitur effectus. Qua de re, ceteris omissis, est videndus idem Suarez, citato 1. tomo Metaph. disp. 19. sect. 1. Sicut easdem Lacrymas, tametsi Miraculosè productas, tamen quidpiam fuisse naturale; patet ex iam dictis alibi, cum Vasquez. Ergo rursus, hæc numero Macula, & huiusmodi numero Lacrymæ, secundùm quòd (ex his, quæ diximus) illorum alterum sine altero esse non potuit; conuersim prædicantur. Hoc est: quemadmodum verum est dicere, Hæc numero Macula esse non potuit, sine huiusmodi numero Lacrymis; sic verum est dicere, Huiusmodi numero Lacrymæ esse non potuerunt sine hac numero Macula. Ergo rursus, hæc numero Macula, & huiusmodi numero Lacrymæ, sunt inuicem sibi aliquid Proprium. Prædicari nanque conuersim, est vnum ex illis, in quibus ratio Proprij consistit; ex Arist. 1. Topicorum, cap. 4.

Ergo rursus, hæc duo, nimirum, hæc numero Macula, & huiusmodi numero Lacrymæ, secundùm illud idem, quòd alterum illorum esse non potuit sine altero; sunt inuicem inseparabilia. Quoniam (ex Logicis, ad cap. 4. & 5. Prædicabilium) Propria inseparabilia sunt: & magis quidem, quàm Accidentia illa, quæ inseparabilia vocant: hæc enim separatione reali, non intellectuali sunt inseparabilia; Propria verò, etiam intellectuali. Sed, hæc numero Macula præterea Signum est. Quia, præter speciem, quam ingerit sensibus; facit aliquid aliud, hoc est, dictas numero Lacrymas, in cognitionem venire: quod de ratione Signi esse, Sanctus Augustinus tradit, lib. 2. De Doctrina Christiana, cap. 1. tomo 3. Ergo rursus (quod erat intentum) est signum inseparabile (quantùm ad quendam ordinem, & habitudinem, vt iam diximus) hæc numero Macula à dictis numero Lacrymis. Et, si tale signum est; ergo tandem, ex hac numero Macula, tanquam ex signo inseparabili (vt est explicatum) à dictis numero Lacrymis; conficitur (illo stante principio, quod ex Aristotele, Peripateticisque posuimus) earundem numero Lacrymarum insolubilis, ac necessaria Probatio.

85 Restat probãda secũda pars, quę tali pacto probatur. Non enim est vllo modo dicendum: fuisse hunc dexterum Oculum à Pictore, qui Sacram pinxit Imaginem, tam diuersum ab altero depictum; vt, existente sinistro planè aperto; dexter, solus conniueret. Siquidem, nimis (vt, qui hanc rem obseruarũt, Pictores ipsi testantur) contra Picturæ Artis Leges, ille sic peccasset: & peccata, cùm de ipsis non patet (ex Regula tritissima Iuris, de qua alibi) præsumenda non sunt: maximè verò, si de picta Facie sermo sit, quæ tantam præ se ferat maiestatem; quantam facto præ se illa fert, cuius est portentosus hic Oculus dexter, de quo facimus verba. Asserendum est igitur: Lacryma-

tio-

tionis Miraculo (cùm lacrymantes præ dolore, tristitiáue, constringamus, & contrahamus oculorum palpebras, quod, & ipsâ docemur experientiâ, & ex Aristotelis doctrina, Problematum sect. 11. probl. 15. colligimus) accessisse Miraculum alterum: quo, nempe, dexter Oculus, qui lacrymatus est; supra vim naturæ, atq; artis ordinem, ad ostẽdendam sanè veram suam Lacrymationem, verè connixerit, ac sit verè constrictus; vti conspicitur. Quod, si est ita: proinde, constrictio maior isthæc Oculi dexteri, quæ taliter cernitur; non ostendere non potest Lacrymationem euidentissimè; propter quam (vt modò conclusimus) admirandum cõtigit in modum.

Atque ita, primæ Quæstioni sit finis impositus.



QVÆSTIO SECVNDA.

Quid probet Facta Liberationum.

N Sectiones tres est partienda tota Quæstio: & sanè illis de causis; quæ per se patebunt, in eius processu.

SECTIO PRIMA.

Ponuntur ad Quæstionem Responsiones, quæ duæ tantum sunt, & rationes earum afferuntur.

SEctio autem, iuxta duas Responsiones, Quæstioni adhibendas, in duos Paragraphos distinguitur.

§. I.

Asseritur, probari Facta Liberationum Inscriptione quadam, & ostenditur, quare. Deinde, proponitur, ac soluitur vna Difficultas: additurque nonnihil de Inscriptionis antiquitate.

1 AD Quæstionis titulum respondetur primò, sic. Huiusmodi Facta Liberationum plenè probat Inscriptio pictæ Tabulæ, quæ, in fine §. 4. Procemialium, de verbo ad verbum, relata est; vt eadem Facta narrans, & enuncians.

Et

Et ratio Responsionis est hæc. Quia Scriptura publica, quod ex alibi dictis est prorsus indubitatum, plenè probat. Talis verò Inscriptio est Scriptura publica. Atque istud ex eo, quòd in loco publico, nempe, in prædicta Parœciali Ecclesia Sancti Christophori, est exposita. Scripturam autem, in loco publico expositam, esse propterea publicam; ostensum est satis diffusè, Quæstione præcedenti, maximè verò, Sect. 1. §. 1. num. 4. Quemadmodum, ex dictis ibidē, Sect. 2. §. 2. num. 66. & deinceps, patet; materialem omnem Ecclesiam esse, ac dici debere publicum locum.

2 Sed soluamus hîc Difficultatem, quam ibi, de ipsa eadem Ecclesia, non tetigimus.

Contra id igitur, quod supponimus, materialem omnem Ecclesiam esse locum publicum, ac proinde, Scripturam ibi expositam, esse publicam; dicet aliquis. Institutione, De rerum Diuisione, §. *Superiore libro*, §. *Nullius*, & §. *Res sacra*, materialis Ecclesia, tanquam sacer locus, contradistinguitur à locis publicis: qualia sunt, vel communia populorum omnium, vt flumina, & portus, quæ ibi, §. *Flumina*, dicuntur propriè publica; vel communia vnius tantùm populi, vt theatra, curiæ, & similia profana, quæ ibi, §. *Vniuersitatis*, dicuntur vniuersitatis. (Quibus de rebus videnda est etiam, eo loci, Glossa cum Doctoribus.) Et idcirco, ad distinctionem, Ecclesia materialis, quæ ibi vocatur Sacra Ædes; ponitur ibidem, non inter communia omnium, neque inter publica, neque inter ea, quæ sunt vniuersitatis, neque inter ea, quæ singulorum sunt; sed inter ea, quæ sunt nullius. Ergo, materialis Ecclesia non est locus publicus. Et ideo, non potest efficere, vt Scripturæ ibi expositæ sint publicæ; ac si essent in loco publico expositæ.

3 Verùm, ad obiectionem huiusmodi respondendum est:

est: quòd, licèt, secundùm Ciuilia Iura, materialis Ecclesia, vel Sacra Ædes, vel Templum, non ponatur inter loca publica, nec inter loca reliquarum specierum, positiuè denominatarum, sed tantùm (tanquam locus ab huiuscemodi reliquis, ipsa specie, distinctus) inter loca illa, quæ negatiuè denominantur, nullius, ita vt dici etiam possit, quòd, secundùm Iura Ciuilia, materialis Ecclesia non sit locus publicus, neque speciei alicuius alterius, præter speciem locorum illorum, quæ negatiuè, nullius, denominantur; attamen, cùm Ecclesia visibilis, quocunque modo sumatur (vt superiore Quæstione, Sect. 2. §. 2. iam citato, num. 68. multis ostendimus) per ipsa Ciuilia Iura, locis, & rebus publicis profanis, in fauorabilibus, æquiparetur; propterea fit: vt eadem Ecclesia visibilis, quocunque modo sumatur, atque adeò, materialis præsertim Ecclesia (secundùm eadem Iura Ciuilia) verè sit, ac dici debeat, non quidem esse, essentialiter; sed per æquiparantiam, locus publicus. Et ita: vt, quodcunque concessum est, per Iura Ciuilia, priuilegium publicis rebus, & locis, quæ secundùm ipsa, talia sunt essentialiter, vt profana; idem Ecclesiæ visibili, & proinde materiali Ecclesiæ (cum ijs tamen limitationibus, quas explicauimus, & moderauimus, vbi paulò supra, quæque nullum prorsus locum habent, in proposito præsenti) per dicta Iura, concessum esse, tãquam loco publico itidem (secundum ipsa) per æquiparantiam; intelligatur. Atque adeò: si loco, secundùm Iura Ciuilia, essentialiter publico concessum est (quemadmodum, pariter vbi supra monstrauimus) vt Scripturæ ibi expositæ, publicæ fiant; idem intelligendum est, etiam esse concessum locis, quæ (secundùm eadem Iura Ciuilia) per æquiparantiam sunt publica: qualem locum, dicimus, esse materialem Ecclesiam. Cuius quidem concessionis, de loco, qui sit publicus essentialiter, ad locum,

qui

qui sit publicus per æquiparantiam, extensæ; habemus expressum exemplum (in diuersa tamen à præsenti materia) ex ipso Iure Ciuili, ff. Ad legem Iuliam peculatus. Vbi, quod conceditur loco publico profano, quem publicum dicimus essentialiter, vt, nimirum, circa ipsum delinquens, pœnam peculatus incurrat; idem conceditur, etiam loco sacro, quem dicimus publicum per æquiparantiam. Et ita fit, in eiusdem tituli legibus, tum 1. tum 4. tum 6. tum 9. tum 11. videndis. Quarum legum, vna saltem, idest, quarta, vsi fuimus, in Sect. 1. §. 1. num. 3. prioris Quæstionis, ad ostendendum primò, materiales Ecclesias esse publica loca; licet, ad idem ostendendum secundò, remissiuè loquentes, huc quoque respexerimus. Et per hæc omnia, cessat obiectio, & Difficultas.

4 Quod tandem attinet ad Inscriptionis antiquitatem: cùm ea Inscriptio sit Scriptura publica, quod vidimus; ad hoc, vt plenam faciat fidem, antiquitas certè necessaria non est: id quod planè patet ex iam scriptis, in eadem prima Quæstione, Sect. 1. §. 1. num. 2. & §. 2. num. 13. & §. 3. num. 17. ad 22. Attamen: quia (quemadmodum, in eodem tertio §. num. 23. diximus) posset quispiam, in opinione illa pertinaciter hærere, de qua ibi, vt nulla, videlicet, Inscriptio plenam fidem faciat; &, cùm hæc opinio, quam vniuersaliter falsam esse, puto, si tamen concederetur, in quinque casibus enumeratis, & explicatis ibidem, adhuc locum nullum prorsus habere posset; quorum casuum primus est, quando Inscriptio in loco publico esset exposita; secundus, quando in adhibenda illi fide, non ageretur de grandi alicuius præiudicio; tertius, quando eius auctoritate scripta esset, cuius de Iure; quartus, quando esset antiqua; & quintus, quando dispositionem, vel enunciationem contineret haud impossibilem; &, cùm præterea facilè colligi possit, & ex dictis, vbi supra,

pra,

pra, & ex dicendis infra, circa præsentem Inscriptionem contingere (præter casum antiquitatis) casus huiusmodi omnes; quapropter, nihil de illis aliud nunc videtur, addendum; vt insuper appareat, neque casum antiquitatis ab eadem excludi; quo modo talis antiquitas ostendatur, hîc videre oportet.

5 Sciendum est itaque: quòd, Inscriptionis huius antiquitas aliter, nisi præsumptiuè tantùm, nullatenus potest ostendi. De illa nanque, certum esse, reperitur id solùm: quòd tempus, cùm scripta est; hodie viuentium, etiam octuagenariorum, excedit omnino memoriam. Quo posito adminiculo: reliquum esse, arbitror, hoc vnum: vt ad argumentum illud commune recurramus, etiam hac in re, quo alibi supra in similibus vsi sumus, quódque, *A communiter accidentibus*, appellant; atque adeò, discurramus tali pacto. Si (quod etiam de Libro diximus, Quæstione 1. sect. 2. num. 44.) communiter vsu venit, vt euentus notabiles, ad memoriam posterorum, publicis in locis, atque alibi, prope tempus illud, quo sunt facta, scribantur; proinde, præsumendum præsumptione Iuris est (de qua quidem præsumptione, non sine textibus, tum Canonicis, tum Ciuilibus, proximè citata Sect. num. 56. locuti sumus) hanc Inscriptionem, prope illa tempora, quibus Liberationes, quas enunciat obtigerunt; fuisse penicillo pictæ illi Tabulæ, in qua legitur, adscriptam. Quod argumentum, dictum est aliàs, maximi esse momenti, nisi contrarium demonstretur; id quod sanè implicat in isto casu physicam penitus impossibilitatem. Et in re valde obscura, nihil ampliùs desiderandum est: præsertim, cùm, quæ dicta sunt, antiquitatem, centenaria longè maiorem, ostendant.

§. II.

§. II.
Aßeritur, eadem Facta Liberationum probari rursum Relatione quadam Historica, & ostenditur, quare.

6 AD Quæstionis titulum secundò respondetur. Eadem Facta Liberationum iterum plenè probat Historica Relatio Iacobi Mastini, quam, §. 4. Procemialium, ex Libello, qui, vbi dictum est ibi, nunc extat; exscripsimus.

Responsio verò firmatur ex eo: quòd Chronica, atque Historiæ plenam fidem faciunt, plenéque probant: id quod monstratur dupliciter, vt minimum.

Primò. Quia, per Chronica, & Historias, multa probantur, tum in ipso Iure, tum in Glossis. Etenim (quod spectat ad Ius)

In capitulo vnico, De Sacra Vnctione, Innocentius III. causam ostendens, quare Pontifex Romanus Pastorali non vtatur Baculo; recurrit quidem, non ad mysticam solùm rationem: sed etiam ad Historicam. Quandoquidem, in eius capituli fine, Constantinopolitano scribens Patriarchæ, sic ait. ***Licet Romanus Pontifex non vtatur Baculo Pastorali, tum propter Historiam, tum propter mysticam rationem; tu tamen, ad similitudinem aliorum Pontificum, poteris eo vti.*** Quæ sanè Historia illa est (ipso etiam teste Baronio, suorum Annalium tomo 1. anno Christi 74. num. 15.) quam tangit Glossa in citatum capitulum, verbo, ***propter Historiam***; & alij passim, dum dicunt: Beatissimum Petrum Apostolorum Principem, cùm Sanctum Martialem Lemouicim, in Galliam Episcopum amandaret; illi Baculum suum, quo vnum ex comitibus,

tibus, in itinere vita functum, reuocaret ad vitam (quod & factum est, per ipsius Baculi contactum) tradidisse: & sic, tradendo subditis Baculum, illum, atque illius vsum à se remouisse.

In lege autem 2. ff. De Origine Iuris, multa de hac eiusdem Iuris origine referuntur antiqua: & illa quidem, auctore Mascardo, De Probationibus, conclusione 287. num. 1. fidem omnem accipiunt ex Historijs. Quare, ibi non semel citatur Titus Liuius in margine.

In lege verò vnica, ff. De officio Præfecti Prætorio, per quosdam Scriptores, quorum ibi nomina reticentur; probatur, *Ad vicem Magistri equitum, Præfectos Pratorio antiquitus institutos esse.*

In lege item vnica, ff. De Officio Quæstoris, probat primò Vulpianus, per Iunium Gracchanum, lib. 7. De Potestatibus; *Etiam ipsum Romulum, & Numam Pompilium binos Quæstores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent.* Deinde, per eundem Iunium, & per Trebatium, & per Fenestellam, initio, dictos esse Quæstores à genere quærendi; confirmat.

In lege tandem, *In quæstionibus*, ff. Ad Legem Iuliam maiestatis, *In quæstionibus læsæ maiestatis, etiam mulieres audiri*, Papinianus probat ex eo; quòd, *coniurationem Iulia Sergij Catilinæ mulier detexit, & Marcum Tullium Consulem in indicium eius instruxit.* Vbi Salustij (quemadmodum Mascardus notat, loco citato) inseri videtur Historia.

7 Sed, vt à Iure transeamus ad Glossas:

Glossa, in Proœmium Digestorum, §. *Hac autem tria*, verbo, *Regijs*, ex Legenda Sancti Ambrosij probat, Regiam Vrbem esse Bononiam. Atque istud ea de causa; quia Legitur ibi, vt ait, Imperatorem Theodosium, qui per proditionem hanc Ciuitatem antea destruxerat; eius-

dem

dem Sancti Ambrosij iussu, eandem reædificasse.

Alia Glossa, in canonem, *In nomine Domini*, distinctionis 23. verbo, *adeò*, propterea quòd reperitur quibusdam (vt ipsa notat) in Chronicis, Imperatorem Henricum deposuisse Gregorium Papam, & vltra montes transtulisse, proindéque finem imposuisse maximo schismati; demonstrat idcirco, super eligendo Romano Pontifice, personale fuisse concessum eidem Henrico priuilegium illud, cuius fit in eodem canone mentio.

Alia pariter Glossa, in Clementinam primam, De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum, verbo, *Vrbano*, ex alijs comprobat Chronicis, Vrbanum, de quo ibi loquitur textus, fuisse natione Gallum, patria Trecensem, & parum vixisse, vltra triennium, in Papatu: ac demum, hunc illum ipsum esse, qui Siciliæ Regnum, contra Manfredum, Carolo Regis Franciæ fratri voluit conferre.

8 Sed, omissis Glossis, quas, vnà cum Iuribus, pro re proposita, videre mihi iam videor, ad satietatem attulisse: certè, illud vnum hoc loco velim aduerti: quòd, vtrum se res habeant, quemadmodum huiusmodi narratur in Glossis, circa gesta; parui mea refert in præsentia. Sat enim habeo, tum in Iure, tum in Glossis, per Historias, & Chronica, non pauca comprobari; & huc tantùm spectans, adduxi quædam ex vtrisque. Tamen, ipsa gesta respiciens, addam nunc duo, si libet: alterum circa Glossam, primò adductam; alterum circa Glossam, adductam secundò.

Primum quidem hoc est. Leander Albertus, in Æmilia, Regione decimaquinta suæ Descriptionis Italiæ, sub titulo, *Di Bologna*, Theodosium iuniorem (alium sanè ab eo, de quo in dicta Glossa mentio fit) restaurasse Bononiam, scribit; & id, non Sancti Ambrosij, sed Sancti Petronij Bononiensis Episcopi persuasu; quod, se di-

dixisse, testatur, etiam lib. 4. De Gestis Bononiensium. Sed hæc eidem Glossæ repugnant. Attamen: fieri facilè potest, vt (si in sola speculatione sistamus) verè loquatur citata Glossa, nec mentiatur citatus Leander. Sic enim, prohibere, nihil videtur: quin, quod dicit Glossa, intelligi possit de aliqua fortè prima Bononiensis Vrbis, post suam destructionem, reædificatione; quod verò addit Leander, de Vrbis eiusdem amplificatione. Cùm præsertim, amplificationem istiusmodi Sancti Petronij temporibus euenisse, narretur etiam in eiusdem Sancti Petronij Vita, quam, in parte secunda sui Sanctorum Floris, refert Petrus Ribadeneira, die 4. Octobris. At, his postpositis: ad harum rerum veritatem solidam indagandam, nihil prorsus (ex ijs, quæ prælocutus iam fui) nunc attinentem ad me; moneo, legantur potiùs, quæ scripsit, & Gaspar Bombacius, in Opere Italico, cui titulus, *Bolognesi Illustri per Santità*, dum, parte prima, sub Inscriptione, *S. Petronio Vescouo di Bologna, e Protettore*, loquitur de tali Sancto; & ceteri cum illo Bononiensis Historiæ Scriptores.

Secundum autem est hoc. In eo, quod Glossa illa, in can. *In nomine Domini*, videnda per totam, refert; inter se profectò non conueniunt Historici. Qua in re satis quidem confusa, puto, consulatur, ad claritatem, vnus Baronius, Annal. tomo 11. annis Christi 1044. & 1046. vsquequaque, & 1059. à numero 22. ad 38. inclusiuè: vbi sanè, quisnam ille Henricus, quisnam ille Gregorius, & plenè tota rei substantia, cum circunstantijs omnibus, dilucidiùs, ac veriùs, quàm apud ceteros, innotescet.

Atque hucusque mõstratum sit primò, quod monstrandum dupliciter, proposuimus; notatis insuper notandis circa dicta. Sed procedendum est ad reliquum. Igitur,

9 Secundò monstratur illud idem. Quia Chronica, & Hi-

Historias fidem facere, plenéque probare, communiter tradunt Doctores vtriusque Iuris expressè. Pono verba nonnullorum.

Felinus, in capitulum, *Ex parte*, De Rescriptis, num. 46. hæc habet. *Alia Scriptura, neque approbata, neque reprobata, probant in his, quæ ponunt enunciatiuè: vt Libri Historiales, & Chronica.*

Philippus Decius, in legem 1. ff. Si certum petatur, num. 20. in fine, sic loquitur. *Secunda conclusio est: quòd Libris Historialibus, & Chronicis credendum sit; sicut alijs Libris antiquis.*

Ioannes Franciscus à Ripa Papiensis, in eandem legem, num. 74. in fine, scribit in hunc modum. *Stat igitur conclusio: quòd Libri Historiales, & Annales plenè probant.*

Iosephus Mascardus, De Probationibus, conclusione 287. num. 1. fatur hisce verbis. *Chronicarum, & Historiarum exemplum fidem facere, tradidere Bartholus, & Alexander, in legem* 1. *ff. Si certum petatur, per textum, in capitulum, Cùm causam, De Probat.* Et post pauca. *Huc addas Doctores, in canonem, Sunt*, 15. *distinctione: Archidiaconum, in Proœmio Sexti: Ludouicum Romanum, in consilio* 524. *incipiente, Vos estis, lux mundi.* Et post alia quædam (sed subintellige, *addas*, quod expressit supra) *Decium consil.* 135. *Capollam, in Authenticam, Sed nouo Iure, num.* 22. *C. De Seruis fugitiuis, & notabiliter Parisium, in consilio* 1. *num.* 50. *volumine* 1. *Plateam, in §. penult. notabili* 1. *Institut. De testamentis, Iasonem, in legem* 1. *num.* 25. *ff. Si certum petatur. Bellameram, decisione* 70. *incipiente, Adminicula &c.*

Verùm prætereo reliquos, & reliqua. Fortassis enim plùs dixi, quàm satis, in re admodum clara.

SECTIO SECVNDA.

Proponuntur quædam in contrarium, circa modum, quo scripta est Historica Relatio Mastini, & circa conditiones generales, quæ videntur in ea requiri; & afferuntur Solutiones.

EXpediuntur autem omnia Paragraphis tribus: in quos tota Sectio distributa est.

§. I.
Proponuntur Argumenta.

10 ARguet quispiam, contra secundam sic statutam, firmatámque Responsionem.

Primo. Quia Iacobus Mastinus, qui Auctor est Historicæ Relationis, quæ probare supponitur Facta Liberationum, de quibus habetur hîc sermo; scripsit illam Poëticè, quia metricè, vt patet. Ergo nullius est fidei, nihilque probat illius testimonium. Consequentia patet, ex Glossa, in legem, ***In tantum***, ff. De rerum Diuisione, verbo, ***Virgilius***, quæ, per legem proximè sequentem, ***Sed diui***, Poëtarum auctoritates reprobandas esse, confirmat.

Secundò. Quia, etiam Relatio purè Historica nequaquam probat, nisi conditiones habeat non paucas; maximè verò, sequentes.

Prima est: vt Auctor illius non sit reiectus à Lege. Mascardus, loco suprà citato, num. 8.

Se-

Secunda est: vt illa per enunciatiua verba non procedat. Idem Mascardus, ibidem, num. 9.

Tertia est: vt longissimo tempore sit approbata, sitque illi ab antiquis adhibita fides. Bartholus, in legem 1. ff. Si certum petatur, num. 22. Felinus, in supra citatum capit. *Ex parte*, num. 46. prope finem. Mascard. vbi supra, num. 10.

Quarta est: vt non loquatur, siue attestetur de audito. Baldus, in legem 1. ff. De Officio Quæstoris, apud Felinum, in capitulum, *Cum causam*, De Probationibus, in fine numeri 1.

Quinta demum est: vt sit custodita in loco publico, & à publica persona. Decius, in dictam legem 1. ff. Si certum petatur, num. 21. Felinus, in dictum capit. *Ex parte*, dictóque numero.

Nisi ergo demonstretur, memoratam Iacobi Mastini Relationem Historicam, conditiones habere istiusmodi; non est asserendum: quòd illa probet Facta Liberationum; sicut est responsum, & conclusum.

§. II.

Soluitur primum Argumentum tripliciter. Vbi præsertim, Num Poeticè, Num verò Historicè scripserit re vera Mastinus Relationem, de qua verba facimus. Et si detur, scripsisse Poeticè; Num ijs Poetis adnumerari debeat, qui fide sunt indigni.

11 AD primum argumentum, primo loco) secundùm Aristotelis principia) non concedo: Poëticè scripsisse Mastinum Relationem, de qua loquimur. Imò, tametsi metricè illam litteris prodiderit; Historicè tamen

men eandem exaraT (secūdum prædicta principia) prorsus affirmo. *Haud enim* (vt ipse Aristoteles, capite 7. Poëtices, ait) *Historicum, atque Poetam carmen, & soluta oratio designant: quippe (quod alioqui facile factu sit) si Herodoti Historia carminibus pangatur; aquè nihilominus, ac priùs sine carmine, erit Historia. Sed hoc differunt: quòd hic quidem res gestas, ille, vt geri potuerint, exponit.* Hinc intelligimus ergo: quòd Poëtam facit, & ab Historico distinguit, rem scribere, vt geri potuit, hoc est, rem scribere fictam, & verisimilem; non scribere metricè: & Historicum facit, & à Poëta distinguit, rem scribere, vt gesta est; non soluta oratione scribere. Siue (si pressiùs, ac scholasticè loqui libet) quod est essentiale Poëtæ, ipsa fictio est: quod est essentiale Historico, est ipsa veritas; in Aristotelis via. Quocirca (etiam referente Iacobo Pontano, Poëticarum Institutionum lib. 1. cap. 3.) cum Aristotele consentiens ipse quoque Plutarchus; *Empedoclem, & Parmenidem in Physicis, & Theognidem in sententijs Moralibus versificantes; non Poemata: sed versus tantùm condere, & ab Arte Poetica mutuari solùm numeros, pro vehiculo, vt pedestris incessus humilitatem effugiant*; in libro De Audiendis Poetis, absolutè concludit. Non enim hi fingunt aliquid, aut aliquid produnt, verisimile; sed, solummodo versificant in veris: & idem Plutarchus, ibidem, *Sacrificia quadam*, inquit, *nouimus, choris, & tibijs carentia; Poesin fabularum, & figmentorum expertem non nouimus.* Concludere igitur de multis versificantibus, inter Latinos, idem possumus, ac debemus, & nos: vt, e. g. de Lucretio, in Physicis, de peruagatissimo Catone, in Moralibus; de Lucano, in bellis Ciuilibus enarrandis, quæ terra, marique gesserunt inter se Romani, quem proinde Quintilianus etiam, Oratoriarum Institutionum lib. 10. cap. 1. & Aldus, ad Marcum Antonium Mau-

Maurocenum, in epistola, quam ipsi Lucano præfixit, à Poëtis discludunt, & Oratoribus, vel Historicis adnumerant; de alijsque generis eiusdem. Quandoquidem, hi pariter; vera, non verisimilia, non figmenta decantant. Quare: si hac de causa versificantes Græcè, quos priores recensuimus, videntur Plutarcho, ex Aristotelicis principijs, non Poëmata condere, sed tantùm versus, vt vidimus; eadem de causa, videri debent, & nobis, non Poëmata condere, sed versus tantùm; hi Latinè versificantes, quos modò memorauimus postremos. Atque adeò: cùm, sine controuersia, Mastinus noster, in præfata Relatione componenda, veniat illis adnectendus, qui, cum Lucano, verè gesta metricè pertractant (verè nanque gesta, non verisimilia, non figmenta metricè prosequitur) liquidò constat: ipsum non Poëticè, sed Historicè, iuxta posita principia, scripsisse.

12 Dices. Quid prohibet (cùm metricè scripserit Mastinus) quin dicamus; ea, quæ scripsit, esse figmenta, verisimilia, non verè gesta; ac proinde, verè Poëticè non, autem Historicè ipsum scripsisse?

Nunc accipe, quid prohibeat. Antonius Posseuinus, in sua Bibliotheca selecta, lib. 16. cap. 1. in principio, Conscriptionem aliquam Historicam esse, res, vt verè gestæ sunt, non fictas, & verisimiles enarrantem; hæc, scribit, attestari. In ea, nimirum, *Si tempora, si loci natura, si ratio administrationis, si numerus certus pugnantium, siue ad expeditiones euntium, diligenter, ac rectè scribantur; præter ipsas res gestas, quæ in primis narrandæ suscipiuntur.* Qua de re videri etiam potest Aphtonius, in Progymnasmatibus, capite 2. & Ioannes Antonius Viperanus, De Scribenda Historia, cap. 8. cum alijs huiusmodi.

Consule autem, quam oculis legentium obiecimus nostri Mastini Relationem, in Procemialibus, §. 4. (non

 enim

enim est opus, longiùs protrahendo sermonem, hîc illam repetere) & clarè cognosces: ijs omnibus, quas vidisti, Posseuinum complecti conditiones, ac notas; ipsam esse insignitam. Hæ igitur conditiones, ac notæ, quæ, te fateri, cogunt, Mastini Relationem Historicam esse, res, videlicet, vt verè sunt gestæ, non fictas, & verisimiles enarrantem, cum esse talem attestentur; te quoque prohibent, ne dicas, quæ, Relationem huiusmodi componendo, metricè scripsit Mastinus; ea figmenta esse, verisimilia, non verè gesta; illúmque proinde Poëticè scripsisse, non autem Historicè. Atque hinc, argumenti primi principalis deficit omnino vis; quæ tota, in auctoritate, fidéque Poëtarum, Poëticéque scribentium abroganda, intendebatur.

13 Ad idem argumentum aliter etiam occurro. Nimirum (contra quàm, Solutione priore, sum inficiari visus, quemadmodum verè, iuxta doctrinam Aristotelis, quæ tamen sine contradictis non procedit, inficiandum puto) do prorsus illud, & concedo, quòd, versus, ac metrum Scriptionibus Poëticis essētiale dici debeat. (Quæ quidem videtur esse Tullij sententia, qui sui Oratoris longè aliquantùm à principio, maximè versum esse, ac metrum id ipsum, quo Poëtæ ceteris differunt à Scriptoribus, aduersus Aristotelem, non obscurrè insinuat.) Nihilominus: in hac sententia, si fortè vera sit; non quicunque versus pangit Poëta est, ac Poëticè scribit: sed, qui cum versu imitationem, siue dicas, fictionem, rerúmque verisimilitudinem coniungit. Vnde, citatus Pontanus opionionis huius propugnator acerrimus, citati sui Operis capite secundo, Poëticam, per partes, essentiam ipsius constituentes, definiendo; tanquam huiusmodi partes, versum ponit, ac fictionem, & ait. *Poetica est Ars hominum actionem effingens; easque, ad vitam instituendam, carminibus explicans.*

cans. Igitur, in hac etiam opinione Mastinus noster, suæ Relationis prædictæ respectu, Poëta nequaquam dicendus est; neque illam Poëticè scripsisse. Cùm, etsi versibus eam scripserit reapse; non tamen, cum versibus imitationem, siue fictionem, & rerum scriptarum verisimilitudinem (quod Solutione prima clarè demonstrauimus) coniunxit. Quo modo, in eadem opinione Poëtæ dicendi non sunt, neque Poëticè scripsisse illi quoque; quos, eadem in Solutione, tum Græcè, tum Latinè versificantes, nominatim, percensuimus. Quibus vlteriùs addi possunt, & Prudentius Clemens, qui in Hymnorum libro, quem Græcè, Περὶ Στεφάνων, prætitulauit, Sanctorum Martyrum Laurentij, & Vincentij, atque aliorum plurium Heroica Gesta, vt veré gesta sunt, versificando, memoriæ posterorum propagauit; & Albinus, vel dixeris, Alcuinus Flaccus; & Eginhartus, vel alius quisquis annonimus, qui apud Surium, die septima Nouembris, ac die secunda Iunij, præstiterunt idem; alter, De Vita Sancti Vuillobrordi, alter, De Sancti Petri Exorcistæ Martyrio; & alij demum quamplurimi, tum Sacri, tum Profani, tum Græci, tum Latini, tum alterius cuiusuis linguæ Scriptores; qui carminibus, tum Physica, tum Moralia, tum verè Gesta multorum, tum, vnico verbo, sexcenta generis diuersi præter hæc, à fingendo penitus alieni, ac remoti tradiderunt. Quandoquidem, in his omnibus eadem ratio locum habet; quæ iam est allata, pro Mastino. Sed, hisce de rebus legatur, inter ceteros quamplurimos, idem Pontanus, allegati tractatus capite 3. atque etiam 2. & 4. Et, ex his omnibus, rursus eneruatum euadit omnino contrarium argumentum.

14 Interim verò, soluamus idem iam tertiò. Tertia quædam opinio, ne dicam error, percrebuit apud vulgus: vt nominandum Poëtam, Poëticéque scribentem il-

lum existimet; quicunque, siue fingendo, siue sectando veritatem; animi sui sensa carminibus expromat. In hac opinione tamen, quam (licèt re ipsa erronea sit, vt puto) Iuristæ nihilominus non refellunt; duo genera Poëtarum, eorundem Iuristarum doctrinæ congruenter, assignanda planè sunt. Alterum est eorum, qui vera narrant; alterum eorum, qui ficta. Auctoritates quidem ficta narrantium Poëtarum: in sic narratis præsertim; sunt à Legibus meritò reprobandæ: ita vt, nullam fidem habeat eorum testimonium, ad nos inducendos; vt, quæ narrant, vti ficta; recipiamus pro veris. Atque, de his auctoritatibus benè possunt, ac debent intelligi, tum Glossa, quæ fuit in argumento allata, tum alia quæcunque generis eius contraria. Verùm, auctoritates Poëtarum, qui vera, siue narrant, siue narrare consueuerunt; nullatenus, in huiusmodi narratis, à Legibus reprobantur. Quod, vt, ita esse, probè cognoscamus; audiendus nobis est doctus Mascardus. Conclusione igitur supra citata 287. num. 7. doctrinam eiusdem conclusionis, quæ (quod vidimus) illa est, vt Chronicorum, & Historiarum exemplum plenè probet; idem ipse Mascardus ad similes Poëtas ampliat, his verbis. *Quartò, amplia in Poetis, qui narrare solent veritatem: vt de Lucano est Glossa, in lege finali, ff. De rerum Diuisione, verbo, Remus; §. Sancta, verbo, deliquerunt, Institutione, eodem titulo: & generaliter hoc dicit Baldus, in legem, Exemplo, 1. Quæst. C. De Probationibus; Purpuratus in legem primam, ff. Si certum petatur, num.* 158. *Felinus, in capitulum, Qualiter, il 2. notabili primo, De Accusationibus*. Hæc Mascardus. Sed Felinus videndus est etiam, in capitulum, *Cum causam*, De Probationibus, num. 1. & Felino, alijsque à Mascardo citatis iungendi sunt Bartholus, in legem, *In tantum*, num. 2. ff. De rerum Diuisione, Iason, in legem 1. num. 31. ff. Si certum petatur, & alij plurimi.

15 Quin

15 Quin etiam, addo præterea: neque Poëtarum ficta narrantium auctoritates; omnino, & in omnibus, reprobari à Legibus. Dato enim, quòd reprobentur semper, in narratis, quæ ficta sunt: in ceteris tamen; aliquando reprobantur, aliquando recipiuntur. Id quod puto, sibi velle Felinum, cùm, in capitulum, ***Ex parte***, num. 46. De Rescriptis, loquendo de Virgilij; ceterorúmque similium Poëtarum dictis, ***Aliquando***, inquit, ***reprobantur***. Cùm enim dictio, ***Aliquando*** (ex Barbosa, De Dictionibus, dict. 19. num. 1.) exceptionem importet; dicendo Felinus, ***Aliquando***, vices illas excipere proinde videtur; quibus eorūdem Poëtarum dicta non reprobantur. Et sic, per ipsum, aliquando reprobantur, aliquando non reprobantur, sed recipiuntur, vt dictum est. Imò, patet hoc ipsum expresè Legum ipsarum ex ipso contextu. Etenim videmus, ex vna parte, reprobari per legem, ***Sed diui***, quæ citata est in argumento, memorati Virgilij dictum, Æneidos tertio, quo Cenotaphium, vmbratile, nempe, sepulchrum, Sacrum esse locum, ostendit; ex altera verò parte, legimus etiam (Institutione, De Donationibus, §. 1.) quò donationem illam, quæ causa mortis dicitur, dari, probetur, auctoritatem Homeri assumi, nonnullósque ipsius versus afferri; quibus explicatur, causa mortis, donasse sua Telemachum Piræo. Non tamen, plùs narrat ficta Virgilius, quàm Homerus.

Verùm, quicquid sit de Poëtis huiusmodi, ficta narrantibus: siue, nimirum, reprobentur in omnibus, siue reprobentur in quibusdam, & in quibusdam recipiantur: certè Mastinus noster de genere istorum nequaquam est. Sed, si libet, ex eo quòd metricè scripsit, ipsum nuncupare, cum vulgo Poëtam; cùm tamen vera tantùm, vt efficacissimè, clarissiméque, suprà; Solutione prima, demonstrauimus, enarret; inter eos pariter tantùm Poëtas connume-

numerandus venit; quorum dicta, quemadmodum & Historicorum, per Leges, & Legistas, vt est visum, plenè prorsus probare, dicuntur. Sed, ad primum argumentum contrarium, ne plura.

§. III.

Soluitur secundum Argumentum. Vbi, in ordine ad Mastini Relationem, examinantur singulæ conditiones, quæ in eodem Argumento ponebantur.

16 EVertemus plenè quidem hoc secundum argumentum, quod euertēdum sequitur: si de singulis conditionibus, quæ poscebat illud in Relatione Mastini, sigillatim differamus; aperiamúsque, Num verè sint omnes necessariæ; Num adsint ei omnes; Num desint.

Prima sanè conditio erat: vt Relationis huiuscemodi Auctor non esset à Lege reiectus. Verùm: esto, requiratur, & necessariò, talis conditio: Mastinianæ Relationi nequaquam eam deesse; non est profectò, cur adnitamur, ampliùs facere perspicuum. Per Solutiones enim totas argumenti primi proximè præmissas, omnino palam factum est; à communibus Legibus auctoritatem, ac fidem nostri Mastini, tametsi metricè scripserit (in quo maior erat ratio dubitandi) neutiquam reprobari. Quòd verò, sit vnquam lata singularis aliqua Lex, vel singulare Decretum aliquod, aut aliqua Sententia singularis emanauerit à quopiam, qua singulariter, ac personaliter, siue Iacobus Mastinus, quasi malus Auctor, siue quæcunque scripserit, quasi mala Scripta, reiecta fuerint, ac reprobata; deducant illi, si possunt (ipsorum enim hoc est onus) qui nobis in his aduersari maluerint.

17 Se-

17 Secunda conditio erat: vt Relatio, per enunciatiua verba, non procederet. Sed, valde miror Mascardum tam doctum (conditio enim hæc, vt in argumento notabatur, illius est) talia potuisse nos docere: quódque pluris est, ex doctrina Felini. Equidem, vt verum fatear: nihil suppetit aliud hac in re, nisi, vt putem; typographi solius hoc esse mendum. Quandoquidem (vt omittam, enunciando narrare, proprium esse Historicorum) ipse Felinus, in capitulum, ***Ex parte***, num. 46. qui est locus à Mascardo citatus, totum scribit contrarium, atque illud, pro quo citatur. Eius enim ibi, vt supra quoque vidimus, hæc sunt expressa verba. ***Aliæ Scripturæ***, inquit, ***neque approbatæ, neque reprobatæ probant in his, quæ ponunt enunciatiuè: vt Libri Historiales, & Chronica. Secùs, si disponunt, determinando, quia non statur eis***, &c. Ex his igitur apertè discernit vnusquisque: quòd, Historica Relatio debet (contra quàm scribit Mascardus) enunciatiuè solùm, non disponendo, nec determinando, procedere; ad hoc, vt probet. Porrò autem: Relationi descriptæ à Mastino deest quidem conditio, quam videtur poscere Mascardus, quæque non est necessaria; imò (vt ex Felino videbamus modò) necesse prorsus est, vt desit: adest illi autem, tanquam necessaria, conditio, quam ponit, & poscit idem Felinus. Atque duo hæc, Relationem ipsam, in nostris Procœmialibus, legenti; manifestè satis apparent.

18 Tertia conditio erat: vt Relatio esset approbata longissimo tempore, illique ab antiquis esset adhibita fides. At longissimum quippe tempus (quod in superioribus alibi visum est) curriculo cẽtum annorum apud Iurisperitos, vt maximè, circũscribitur. Quo verò tẽpore scripta fuerit à Mastino sua Relatio; ex dicendis deinceps planè, atque dilucidè perspicietur. Etenim (quòd attinet ad illius primam partem, vbi agitur De primo in Pinnenses hosti-

li

li Incursu) illam scriptam fuisse, iam ante annum 1526. sanè compertum est. Hoc enim anno (quemadmoum publicis monumentis, & Vrbini, & alibi docemur) Elisabetæ Gonzagæ, quam in matrimonium quondam habuit Guidus Vbaldus I. Federici filius Dux Vrbinatium III. accidit obitus. Per occasionem autem obitus huiuscemodi: Mastinus noster, cum collegis alijs, à Pinnensi populo Vrbinum allegatus est; consolaturus, officij gratia (quod subiecti assolent, erga suos Principes) Guidum Vbaldum Francisci Mariæ I. Filium, & eiusdem Elisabethæ adoptitium nepotem; qui, adhuc viuo, sed absente patre, Ducatus insignia non acceperat. Ibi verò: Laudationem illam funebrem dicere (dum suo munere fungeretur) permissus fuit; quæ in fine Libelli legitur, memorati suprà; de quáq ue, pariter suprà, mentio facta est. Porrò: in Laudatione ista versus quosdam, desumptos ex Carmine suo, de primo, cuius memini iam, in Pinnenses hostili Incursu, atque, in Procemialibus, §. 4. cum parte Carminis eiusdem, à nobis exscriptos, ipsum interseruisse reperio; atque ita fari. ***Dicendum erit***, inquit, ***iuxta illud Mastinianum;***

Mille si voces, totidemque linguæ,
Ora si centum, calamus maderet
Iugiter si, Castalio liquore;
Non satis esset.

Negari ergo non potest: quin huiusmodi Carmen, vnde sunt huiusmodi versus desumpti, & quod est illa prima pars Relationis, de qua loquimur; tunc temporis, cùm dicta fuit præfata Laudatio, fuerit scriptum. Ac proinde, negari nec etiam potest; quin, longissimo tempore sit approbatum, & dictum Carmen, & dicta prima Relationis pars. Cùm, si supputemus tempus, quod ab anno 1526. vsque ad annum hunc 1653. intercessit; efficiantur, nedum

dum

dum centum anni, quod apud Iurisperitos diximus, esse tempus longissimum; sed anni centum, & septem præterea, supra viginti.

19 At, quod spectat ad vtranque Relationis partem, nimirum, tum ad Carmen, De primo, tum ad Carmen, De secundo Incursu: scriptam fuisse Relationem totam inter ipsos bellicos tumultus, qui, & anno 1517. & anno 1522. vt in ipsis Procemialibus, & alibi iam sæpe vidimus, contigerunt; ipse Mastinus explicat expressè, quibusdam Iambicis ad Lectorē; quibus Libellum, cuius meminimus, qua parte, nimirum, est fermè conditus metris; concludit. Quos idcirco Iambicos hîc appendere libuit; & en illos.

Lector candide, non queo negare:
Hunc dignum pipere, hunc prodo libellum:
Clando seu potius graui latrina,
Vt natum genitore tam imperito,
Auso contemerare falce messem
Obtusa Aoniam, & ciere Musas,
Orto ac sub Veneris maligno adusta
Astro; vix meritus sit, annotari
Scribarum putida (rogo) caterua
(Indulge veniam) sapit meram qua
Fætens barbariem: velutque cusum
Inter flamminomos (quot heu!) tumultus.
Inquis. Cur triuiale Carmen ergo
Effutis? Quia, vel Poeta velles
Monstrari digito, aut magis veterno
Torpescat pigra inerte ne diu mens.
Nescis rhinoceros vbique rhonchus,
Instant auriculæ, nasusque tensus?
Pol, neutrum cupio. Sed ipse auebam,
Huiusce Genitricis, ò, cheli amplas

Rauca

Rauca vel licèt excitare laudes,
Nouit qua famulantis ima cordis;
Nec non & Patriæ, Fide integra quæ
Excellit nimiùm: licet suo de
Me non sit merita, vt decet, bene. O sors
Infelix nimis! Abnuit peritus
Postquam quisque; ego id ausus ipse demens.
Scribendi furor vnde, Lector, audis.

In his itaque Iambicis, ad rem præsentem, illa præsertim verba seligantur;

———————— Velutque cusum
Inter flammiuomos (quot heu!) tumultus.

Hæc vero sic selecta, referantur eò, quò postulat eorum necessaria constructio. Et sic relata, bene demum trutinentur. Atque apparebit, quod proposueram: sensum, nimirum, illorum expressum esse; Libellum, quem, Num prodere deberet, Mastinus, ibi dubitabat; Libellũ, inquam, qui Carmen, tum De primo, tum De secundo in Pinnenses Incursu, vel vtranque suæ Relationis Historicæ partem continet; esse cusum, hoc est, compositum, flammiuomos, bellicósue ipsos inter tumultus, quos ipsemet ibidem recenset; quique, alter, anno 1517. alter, anno 1522. nati Saluatoris; obtigerunt. Quod, si est ita: inde dimanat indubiè, Relationem huiusmodi totam, non modò centum, & viginti septem, vt iam dixi; sed centum, ac triginta, & vnum circiter ante annos; conscriptam fuisse: adeóque eam esse plùs, quàm longissimo tempore approbatam; quod tertia conditio poscebat.

Quòd vero, sit illi ab antiquis adhibita fides: Pinnæ Billorum ijdem ipsi testes deponunt, quos id ipsum, Quæstione 1. Sect. 2. num. 77. deponere, diximus, de Libro illo, in quo Factum Lacrymarum describitur. Hos autem testes, quo modo, iuncta publica voce, ac fama, de qua speciatim

tim

tim loquendum est infrà, sufficienter probent; dictum pariter est, eodem loco.

20 Quarta conditio erat: vt Relatio non attestaretur de audito. At verò: tametsi conditionem huiusmodi ponat Baldus (vt in argumento [illegible]) eam tamen reicit Felinus, in capitulum, ***Cum causam***, De Probationibus, num. 1. in fine. Si hoc enim esset verum; ferè nunquam, ait ipse, probarent Historiæ: cùm fere semper Historici narrent ab alijs audita. Quod, etiam scribit Ripa, in legem 1. suprà citatam, num. 75. ff. Si certum petatur, cum Socino, & Aretino, quos allegat. Hæc igitur conditio necessaria dici non debet.

Sed, esto, necessaria sit: Mastinianæ Relationi vtique non deest. Omnem enim extra controuersiam est, Mastinum nostrum non referre, vt plurimùm, quæ audiuit à quopiam; sed ea, quibus ipsemet interfuit præsens. Et ideo, legentes, quæ de hac ipsius Relatione, tum in Procœmialibus, tum alibi, nos exscripsimus; obseruare possunt, eum sæpius in prima loqui persona. Quemadmodum, quamapertissimè facit in sequentibus verbis; quæ, cùm nullibi hactenus tetigerim, tum nullo modo videntur, hoc loco prætermittenda. In Prosa enim, quæ pars Relationis huiuscemodi est, cuiúsque alibi, tum meminimus, tum retulimus alia; de præsidiario peditatu sermocinans, qui, ab obsidione digressis hostibus, Pinnam Billorum custodiebat; hæc habet. ***Huius enim ex Agro Mantuano, sub Miserino Primipilare, bona pars, numero centum nonaginta, à Macerata Feretrana, vbi hiemabat iussu Præfecti Prouinciæ, me Vicario Magistratu fungente ad Montem Cereonem, stimulanteque; venerat***. Et prope finem eiusdem Prosæ, tractans de postrema fuga, quam (vt suo loco superiùs innuimus) à propria Patria Pinnenses arripere, necessitate compulsi sunt; addit ad hoc propositum

hæc

hæc alia, ***Ipse, antelucano tempore, cum tota domo, bonis omnibus posthabitis, Cælo imbribus, ventisue sæuiente, abimus, &c.*** Quibus in locis, quis profectò non aduertat, illum ita propriam exprimere personam, vt nihil clariùs exprimi posse videatur?

21 Quinta denique conditio erat: vt esset Relatio, in publico loco, & à publica persona custodita. Verùm, Felinus in argumento adductus, de huiusmodi conditione verba faciens; loquitur alternatiuè. Sic enim, eo loci, qui citatus ibi est, expresse dicit. ***Dummodo, ab antiquis talibus Chronicis fuerit adhibita fides; vel, quando Chronica fuerunt custodita, loco publico, & à persona publica.*** Hæc ille. Sed à Felino, nec Decium, qui afferebatur item in contrarium, puto dissentire. Quamuis enim, in loco, qui est in eodem adductus argumento, videatur tantùm illud affirmare, quòd, scilicet, Libris Historialibus, & Chronicis tunc creditur, quando sunt retenti, in loco publico, vbi reseruantur Scripturæ authenticæ; tamen, ibidem remittit se ad ea, quæ scripserat, in capitulum, ***Cum causam,*** De Probat. & ad ea, quæ, in capit. idem, tradit Abbas Panormitanus. Consulatur autem ibi vterque: & apparebit manifestè, pariter vterque loqui alternatiuè, vt loqui vidimus Felinum. Ad locutionum autem, siue propositionum alternatiuarum veritatem; sufficit alteram tantùm partem esse veram: vt bene ostendit Ripa, in citatam legem primam, num. 72. ff. Si certum petatur, ex lege, ***Qui hæredi***, ff. De Conditionibus, & Demonstrationibus, ex lege, ***Ille, aut ille***, ff. De Legatis, & Fideicommissis, tertiò, & ex capit. ***Inter ceteras,*** De Rescriptis, & alij ex legibus etiam, præter has, alijs non paucis. Ceterùm, dum explicaretur conditio tertia, planè iam vidimus: Mastinianæ huiusmodi Relationi ab antiquis fuisse fidem adhibitam. Hoc igitur tantùm est illud, quod sufficit, ad

hoc,

hoc, vt in illa, Felini, ac Decij conditio alternatiuè posita vsu comprobetur; etiamsi talis Relatio in publico loco, & à publica persona nunquam fuerit custodita. Quæ custodia, si necessaria esset, in Historica Relatione quacunque, ad conciliandam illi fidem; certè inuenirentur paucæ Relationes Historicæ, quibus fides esset adhibenda: cùm paucæ pariter, huiusmodi sub custodia, custodiantur.

22 Verùm, addo præterea, cum Abbate, citato loco: seclusis duabus hisce conditionibus, etiam alternatiuè accedentibus; antiquitatem ipsam per se solam Historicæ Relationis, ad probandum, sufficere: quando, non agitur de referentis, vel scribentis (vt ipsius Abbatis verbis vtar) interesse bursali. Quia, cùm, *Non versatur*, inquit, *interesse bursale; non est verisimile, quòd quis scripserit falsum*. Iam ad rem nostram: Quis, quæso, interesse bursale commentetur in Mastino; cuius causa scripserit ipse, in Relatione, de qua loquimur, quæ scripsit?

Atque per hæc examinata remanent omnia, quæ de talibus conditionibus, respectu Relationis Historicæ Mastini, examinanda proposueramus; ad satisfaciendum secundo argumento: cui proinde, sic etiam sit plenè satisfactum.

SECTIO TERTIA.

Proponuntur alia quædam in contrarium, circa dicta Mastini specialia, cum Solutionibus eorum.

SEctio diuiditur tota in Paragraphos quinque. Sed Paragraphus quintus diuidetur præterea, primò, secundò, ac tertiò; vt videbimus.

§. I.

Proponuntur argumenta.

23 IAm solutis ijs, quæ circa modum, conditionésque generales Mastinianæ Relationis, contra secundam Responsionem ad Quæstionis pręsentis titulum, obiecta sunt; restant proponenda, contra eandem, quædam alia, circa specialia dicta ipsius Mastini: vt, ex eorum postea Solutione, fides eiusdem innotescat in maius.

Ob id igitur arguet quispiam alius,

Primò. Quia, vnum saltem ex ijs, quæ narrat, inuerisimile prorsus videtur. Tale verò est: quod aggressum, refert, illum Vigilem; qui castris, vt ait, præfuit, ad quartam horam. Non est enim vllo modo verisimile: noctu, virum vnum, vno tantùm cum socio, Pinnensium attentasse perlustrare mœnia, quæ tunc temporis, vt alibi vidimus, etiam ab ipsis hostibus laudata fuere munitissima; quæque tunc, eodem attestante Mastino, Pinnenses ipsi peruigiles custodiebant; vt cùm maximè: & præsertim vectum equo, necessariè, cùm per vias lapidosas, quales circum dicta mœnia sunt, incedit, sonitum non exiguum pedibus edente; equitémque propterea propalante. At verò: Scriptura quælibet, inuerisimilia continendo, suspicionem falsitatis inducit: quod habet Mascardus, cum multis, De Probationibus, conclusione 740. num. 35. & 36. Ergo proinde, Mastini hæc Relatio fide digna non est.

24 Secundò. Quia, gratìs omnino narrare videtur Mastinus, apparuisse Dei Genitricem, incedentem per propugnacula, dicto Vigili; cùm eadem propugnacula, siue mœnia perlustraret. Asserit enim, ab ipsorum custo-

dibus

dibus mœnium, eandem Dei Genitricem visam nequaquam fuisse: vt explicet verò, quisnam huiusmodi manifestauerit Apparitionem, ne verbum quidem. Saltem notasset nomina, tum Vigilis, tum Socij. Quod præceptum, in primis circa personas, tradunt seruandum, De scribenda Historia disserentes; vt est videre potissimùm apud Viperanum, citatum suprà, cap. 7. Igitur, propter hæc etiam, ipsius Mastini fides valde infirmatur.

25 Tertiò. Quia scribit repugnantia non parum inter se. Cuiusmodi maximè sunt (præter illa, quæ de Liberatione diximus, & conciliauimus alibi) hæc duo. Narrat, in Carmine, De secundo Incursu, hostiles copias ab obsidione Pinnensi discessisse, præmemorati Vigilis persuasione permotas; qui, Apparitione Virginis Matris, Pinnensia per propugnacula, incedentis, perterritus; vt discederent, non reuersuræ, apud eas concionatus est. Contrà verò: in Prosa, post idem Carmen (quod etiam alibi vidimus) litteras Francisci Mariæ Ducis Vrbinatium recitat; quibus ad Pinnenses, præsidiariúmque apud eos peditatum rescribebat; exploratissimum habere se, castra inimica discessisse illinc in Sanctum Leonem, non quidem non reuersuras: at, quò exinde machinas bellicas, ac tormenta, in eorundem Pinnensium, afferrent, excidium. Sed *Oritur suspicio falsitatis* (inquit Mascardus, conclusione citata, num 41. vbi non paucos allegat) *ex eo, quòd per Scripturam* (& in Scriptura multò magis) *nascitur aliqua diuersitas, vel repugnantia substantialis*.

26 Quartò. Quia videtur etiam, repugnantia scribere ipsi veræ Historiæ. Certum est enim in primis (vti narrat, non solùm Ioannes Baptista Leonius, libro secundo Vitæ Francisci Mariæ, de quo modò suprà, sed etiam Franciscus Guicciardinus, libro duodecimo suæ Italicæ Historiæ) anno salutis 1519. demortuo Laurentio Medi-

ce, quem Vrbini Ducatu (eodem Francisco Maria inde deiecto) Leo X. tanquam suum nepotem, iam (vt cum Ciaconio loquar, in huius Leonis Vita) planè *donauerat*; totã Feretranam Prouinciam, in ditionem Florẽtinæ Reipublicæ, fuisse concessam. Et addit citatus Leonius, *libro tertio*: Decreto demum eiusdem Reipublicæ, fuisse restitutas præfato Francisco Mariæ Sancti Leonis, & Maioli Arces, in dicta Feretrana Prouincia, circa annum Christi 1527. neque priùs. Idipsum autem (etsi Leonius non explicet) credere tamen, consentaneum est, de illo quoque factum esse; quod reliquum erat huiusce Prouinciæ. Qui ergo fieri potest, vt anno intermedio 1522. Florentini, misso exercitu, in Prouinciam sibi subiectam hostiliter (quod refert Mastinus) incursarint?

Deinde: reperiuntur in Mastino, dum describit, & primum, & secundum Incursum; duo saltem, ab ipso Leonio multùm dissonantia.

Primum est. Memoriæ tradidit Mastinus: pedites Etruscos, vel dicamus, Florentinos, qui, anno Saluatoris 1517. 13. Kal. Martij, die, nimirum, decima septima Februarij, Feretranam in Prouinciam irrumpentes, Pinnam Billorum obsederunt; fuisse supra quater mille. Quod planè patet ex Carmine, De primo Incursu.

At Leonius, libro 2. pagina 219. scribit; hos pedites fuisse bis mille tantùm, & quingentos.

Secundum est. Innuit Mastinus, in Carmine, *De secundo Incursu*: dicto anno 1517. cùm, ob primi causam Incursus, in Campo Acerbo, prope Pinnam pugnatum est; in eo cõflictu, Sebastianum Macrum Ducem Etruscum interijsse.

At verò: Leonius (post quàm, eodem libro secundo, pagina 269. notauit annum salutis nostræ millesimum quingentesimum vigesimum primum) demum scribit, in pagina

gina

gina 285. Francisco Mariæ Duci fuisse perlatum, cùm esset Eugubij; per Sebastianum Bonauenturam Vrbinatem, qui, Ducis eiusdem iussu, Massæ Trabariæ, Montique Feretrio custodiendis præerat; Pinnæ Billorum, Florentinos milites multos fugatos fuisse,& Sebastianum Macrum eorũ Ductorem,præliando,fuisse captum. Quocirca:significare prorsus videtur, tali anno, hæc obtigisse; Macrúmque, in prælio, non interijsse, verùm, captum fuisse tantummodo.

Tandem (vt hoc etiam addam) videntur obstare Mastino, circa illud ipsum, quod innuit eodem de interitu Macri; quæ Georgius Vasarius, Die secunda, in medio ferme tertij Dialogi Tractatus illius, De Pictura practica, quem Etruscè conscripsit; enarrat. Ibi enim: cùm Sancti Leonis occupationem illam, de qua meminimus alibi suprà, descripsisset; postmodum affirmat, se de ijs omnibus, quæ, describendo, recensuit; à præfato Macro fuisse edoctum. Non ergo interierat, vt indicat Mastinus.

27 Quintò. Quia scribit insuper aliquid Inscriptioni pictæ Tabulæ, de qua iam suprà, non consonans: at pari modo valde repugnans. Miraculum siquidem narrans, quod accidit in primo Incursu, duo potissimum percenset: Ignitis, nimirum, Radijs fuisse percussos oculos hostium oppugnantium, qui proinde obfuscati cernere non potuerunt Pinnæ defensores, & hoc est primum; & ab hostibus reliquis degentibus, in castris, fuisse visos Ignes, & Flammas rutilare ab altis Pinnis, & hoc est secundum. Sed Christi Matrem apparentem tunc fuisse visam, nullibi prorsus ostendit. Exaduersum autem: legitur, in Inscriptione præfata, quòd, *Populum Pinnensem, bis obsessum, Clementissima Virgo, in nubibus visa miro splendore fulgens, exterritis hostibus, protexit, ac liberauit.* Vnde colligitur: nedum in secundo; sed etiam in primo Incursu, Christiparam ipsam apparuisse.

28 Sextò. Incursuum hostilium amborum, in Patriam, & Feltrios, quos, in ipsis titulis eorum, se, litteris consignandos, assumpsisse, Mastinus ostendit; vtique debuisset causas, vt minimum, exprimere: iuxta illa, quæ præcipiunt Scriptionum huiusmodi Magistri; vt, proximè citato loco, Viperanus, per hæc verba. *Quoniam omnis actio principium habet, progressum, & exitum; causa, quæ, ad agendum, aliquem impulit; cognoscenda est primò.* Sed, suus vt lector, Incursus istiusmodi aggrediendi, cognosceret in hostibus causas, Mastinus noster nihil fuit sanè sollicitus.

29 Septimò. Quia, vtitur sæpe, ac sæpius illis vocibus, nos, nostri, nostra, & similibus. Non desunt autem (vt est videre, apud Sfortiam Pallauicinum, in Arte, quam De stylo edidit Italicè, cap. 3. n. 2.) qui vitio vertant Historicis, huiusmodi vocibus vti. Scriptorem enim indicant studio, fauore, affectúque partium, nimis abreptum.

30 Octauò tandem. Quia referendo, quæ, ad suam Patriam, ab armis hostilibus per Miraculum liberatam, pertinent; edisserit sanè, quæ, ad eiusdem suæ Patriæ laudem, omnino redundant. Affectus autem, qui, in propriam Patriam, vnicuique maximus est (ipse Aristotele teste, 2. Rhetoricorum, cap. 2.) iudicium alterat, & immutat. Iudicium porrò sic alteratum, & immutatum, Num sint vera, Num falsa, quæ narranda sunt; dijudicare bene non potest: quin, cùm de laudibus agitur, semper propendet in dubijs, ad magis iudicandum pro Patria, quàm contrà. Ex quibus omnibus emanat: Mastini sanè fidem, huiusmodi percensentis, maximè reddi suspectam.

§. II.

§. II.
Diluitur primum, & secundum Argumentum.

31 QVòd spectat ad argumentum primum. Erit illi profectò cumulatè occursum; quando prorsus ablata fuerit inuerisimilitudo, quam, in dictis Mastini, supponit, ac probat. Hæc autem omnino tolletur; si, ad vnam propugnandam Historiam, obseruare libuerit, quod, tum in sacris, tum in profanis, ad eiusdem argumenti propositum, legi solet, Historijs.

In primis enim: non esse nouum, neque insolitum, quin potiùs consuetum esse maximè, quod exploratores, noctu, non diu, munitiones hostium ambiant, ac perlustrent; euoluentes Historias, edocemur. Duo perhibeam huiusce rei testimonia, ceteris posthabitis. Capite 2. Iosue proditum intelligimus (& hoc est primum) exploratores, ad considerandam Vrbem Iericho, fuisse missos. De his autem hæc habet Sacer Textus. *Nunciatumque est Regi Iericho, & dictum: Ecce viri ingressi sunt huc, per noctem, de filijs Israel; vt explorarent Terram.* En, vt noctu exploratur. Paulus verò Iouius, Historiarum suarum lib. 2. (& hoc est alterum) loquens de Heluetijs, qui, pro Maximiliano Mediolani Duce, Ciuitatem Nouariam, contra Francos, propugnabant; sic ait. *Igitur Heluetij Duces, simulando aliud, quàm, quod parabatur; tympana, tota nocte, pulsare, & circunferri per Vrbem, iubent: vt speculatoribus, si qui adessent, exeundi speciem praberent.* En iterum, vt præsumuntur animo; noctu speculatores adesse, intra Vrbem. Quæ, cùm ita sint: Quo modo dici poterit inuerisimile, quod adstruit Mastinus; Vigilem illum, noctu, Pinnæ Billorum propugnacula perlustrasse?

32 Eundem verò Vigilem, nullum secum habuisse, præter vnum comitem; esse vsum equo, per quem, incedentem per lapidosa, facilè propalari poterat; nec demum timuisse peruigiles custodias; hæc etiam, inuerisimilia dici non possunt. Multò siquidem his admirabiliora disco ex Historijs. Quod, vt planum faciam: duplicem tantùm, hîc item, auctoritatem attexam: & inde sanè petitam, vnde, quæ paulò suprà; ex litteris, nimirum, & profanis, & sacris. Auctoritatem profanam præmitto. Anno 1550. (vt, apud Honigerum Koningshofum, De gestis Solymani XII. & Selymi XIII. Turcarum Imperatorum, contra Christianos, memoriæ proditum reperio) cùm Caroli V. copiæ obsiderent Aphrodisium, in ora Tunetensis Regni (quod Oppidũ, eodẽ anno à Dorgute Turca, pirata insigni occupatum fuerat) hostibus, die quadam, ex Oppido sæpe, ac sæpius erumpentibus; & ad munitiones Christianorum vsque progredientibus; *miles quidam Hispanus insignem laudem retulit*, inquit citatus Auctor. *Qui soluto tormento, quo manu vtebatur (vnde milites tormentarios*, addit ipse, *vocamus) Turcarum insolentiam, & audaciam non ferens; districto gladio, sportula sinistra manu pro clypeo arrepta, ex munitionibus desiliuit. Atque eam partem, qua confertissima visa est, irrumpens, tanto impetu hostes inuasit; vt terga vertere, compluribusque vulneratis, ipsos regredi, quà exierant, compulerit; incolumisque (altero tamen femore leuiter saucio) in castra reuersus est.* Nonne, hinc intelligit aduersarius, quisquis ille sit; hunc Hispanum, sine vllo comite, nec vectum equo, qui, saltem ad se subducendum celeriùs, quando fuisset opus, illi poterat esse vsui; non solùm non timuisse, ne casu, propalaretur; sed per se, semetipsum propalasse; in aciésque densissimas hostium irruisse? Quæ, si cum peruicacia denegare contenderit, vt pariter inuerisimilia: reuocet quæso

ſo ad mentem, quæ diuinis habemus in Biblijs, abſque ſummo piaculo, nequaquam inficianda. *Caſtra Philiſthinorum erant poſita, in Valle gigantum, & in Bethlehem* (2. Regum 23.) hoc eſt (vt ibi quæſt. 18. declarat Abulenſis) *erant in Valle*, quæ (1. Paralipomenon, cap. 11.) dicitur etiam, *Raphaim, & extendebantur vſque ad Bethlehem*. Tunc (vt proſequitur Biblicus Textus) *Deſiderauit ergo Dauid, & ait. O ſi quis mihi daret potum aqua de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem, iuxta portam! Irruperunt ergo tres Fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna; & attulerunt ad Dauid:* & (vti addit Ordinaria Gloſſa, cum Ioſepho, Antiquitatum lib. 7.) *per inimica caſtra reuerſi*. Quis autem hæc audiens, primore aſpectu, inueriſimilia ſimiliter non putaret? Attamen, quæ calamo ſcripta ſunt (vt Pſalmographi verbis vtar) *Scribæ velociter ſcribentis*; quæque ab eo ſunt afflata, *ex quo* (vt apud Sanctum Thomam, 2.2. q.173. a.6. arg. 1. affirmat Sanctus Ambroſius) *eſt omne verum, a quocunque dicatur*; cùm neſcimus eorum cauſas, (vt loquitur idem Sanctus Thomas, 1.p. q. 105. a. 7. c.) obſtupeſcere quidem poſſumus: quemadmodum (citatis Gloſſa, & Ioſepho teſtibus, ibidem) ab ijſdem tribus Fortibus geſta, quæ modò expoſita ſunt; ipſi Philiſthijm obſtupuerunt: verùm inueriſimilia putare, omnino non poſſumus.

At, quo modo, in facto iſtorum trium Fortium, cum inueriſimilitudine, ceſſabit etiam ſtupor, & admiratio; ſi, quod egerunt, militari adſcripſerimus audaciæ, cum Lyrano; qui hoc inſinuare videtur non obſcurè, dum, in ſuis Poſtillis, ad allatum locum, ſic fatur; *Dixit Dauid, O ſi quis mihi daret*, & reliqua, *non propter concupiſcentiam aquæ, ſed quia volebat audaciam ſuorum experiri*; ita, & in facto Maſtiniani Vigilis, & in ſimilibus ceteris idem prorſus obtinget; ſi nos præſtiterimus, & idem. Et eò pre-

fer-

sertim: quòd (vti docet etiam Aristoteles, lib. 2. Moralium Nicomachiorum, cap.2.) *Qui nihil omnino timet, sed omnia adit, audax efficitur*; & (ex eodem 2. Politicorum, capite septimo) *Audacia nulli rei vulgari est vsui, nec, nisi bello, prodest.*

34 Sed, reiecto primo argumento, iam reijciamus, & secundum.

Contendebat hoc secundum argumentum, Dei Genitricem apparuisse Vigili, gratis narrari à Mastino: propterea quòd: auctorem, qui manifestauerit hoc ipsum, quod asserit, à ceteris non visum; non aperiat. Esto autem, ita sit. Gratis etiam, ipse aio, narrat Cedrenus apud Baroniū, quæ, Prima Parte, Quæst.3. Sect.4. §. 2. num.10. De Dei Genitricis eiusdem Apparitione, per quam, liberatam dicit Cōstantinopolitanam Vrbem ab armis Barbarorum; retulimus. Imò: gratis item narrant, in Vitis, quas ediderunt; & Sanctus Athanasius ea certamina, quæ Sancto Antonio Magno cum Dæmone fuerunt, quando clausus in sepulchro, solus morabatur; & Sanctus Hieronymus cuncta illa, quæ Sanctus Hilarion, cùm esset in solitudine, noctu, sine arbitris, patiebatur à Diabolo; & Sanctus Gregorius Papa, suorum Dialogorum pluribus in locis, maximè verò, in libro 1. cap.8. 9. 10. & 11. non pauca de non paucis, vt (ne multa) de Anastasio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notario, de Bonifacio Episcopo Ferentino, de Fortunato Episcopo Tudertino, ac de Martyrio Monacho, Sanctissimis omnibus Viris; & alij denique sexcenti alia generis eiusmodi sexcenta. Nullus enim indicat istorum, ecquis illum, de ijs præsertim occultis, quæ modò, singulis ipsis prodentibus, ego memorabam; edocuerit. Fides igitur istorum, aio rursus, idcirco dubia, & infirma prorsus est. Ab his vocibus autem, cùm de Scriptoribus, tum grauissimis, tum sanctissimis agamus; quorúmnam

aures

aures non offendantur, non abhorreant? Conijciendum est itaque: Scriptores huiusmodi ea, quæ, ceteróquin occulta, scripserunt; vel ab ijs audiuisse, qui personaliter egerunt, aut passi sunt; vel à fide dignis, qui ab ijsdem, qui personaliter egerunt, aut passi sunt, audiuissent, accepisse. Sic penitus de nostro Mastino, erudito sanè viro, & graui coniectare oportet. Ita vt: illud ipsum, quód ipsemet Ignitis de Radijs protulit, in Carmine, De primo Incursu, quódque (tum, ex allatis alibi, cum Sanctis Ioanne Chrysostomo, & Hieronymo, tum, ex doctrina Sancti Thomæ, qui, 2. 2. q. 172. a. 6. ad 1. tradit, *Credibiliorem fieri veritatem, quæ ex aduersarijs testimonium habet)* in facienda fide, maximi momenti est; nimirum, *Inimica testis est fides*; idem pariter sit proferendum, & hìc.

35 Quòd autem nomina, tum Vigilis, tum comitis, tum ceterorum non notauerit; explicat ipsemet causam, in Carmine, De secundo Incursu, dum dicit.

Ductores, Lector, sileo, ne fama perennet,
Quos habet hic odio Tractus, venturaque semper
Posteritas habitura: pijs quò nulla supersit
Gloria carminibus, qui longo parta labore
Diripere, & nosmet medio de tollere adorti
Immeritò.

Qua de causa quicquid sit (est enim examinanda inferiùs) eas tamen, cùm loquitur de Vigile, personæ, ac temporis circunstantias explicat; quibus, ad singularem indicandam Vigilis illius personam, quænam esset, saltem verò tunc temporis, cùm Libellus, licèt non impressus, euulgatus est, hoc est, sub ipsum tempus bellicorum illorum tumultuum; nihil desiderari ampliùs posse, videretur.

Quod enim attinet ad Vigilis personam: ipsum vtique, Ducem, Principem, Heroëm appellat. Eundem, perlustratis, exploratísque Pinnensibus mœnijs, reuersum ad suos,

suos; illos compellantem, inducit, Collegas. Et, à suis tandem illi respondentibus, eum vocitari facit gentis Etruscæ, ac Patriæ Specimen, Spem vnam, ac Salutem; Procerum Permagnum; Cuius humeris ab Senatu Florentino summa rerum fuerit commissa; Cui sint creditæ Martis habenæ; qui esset Auriga belli; Cuius demum essent iussa capessenda.

Quod porrò spectat ad tempus: expressè declarat, ad quartam noctis horam, hoc est, quartâ noctis vigiliâ, Vigili Pinnensia perlustranti mœnia, Virginem Deiparam apparuisse. Et, hanc noctem illam fuisse, intelligitur; quæ diem 23. Februarij mensis antecessit. Quæ omnia ita se habere, vt nunc assero (si quis ampliùs non meminerit, & iterum velit edoceri) legat is, in Procemialibus, §. 4. quæ, De secundo Incursu, ex eodem retuli Mastino. Non enim sunt rursum hîc repetenda, ne nimiùm sermo protrahatur.

Fit igitur ex his perspicuum plùs, quàm satis, quænam persona fuerit ille Vigil; absque eo, quòd personæ nomen Mastinus ipse notauerit. Nimirùm, cognoscimus, non fuisse illum ex gregarijs militibus aliquem: sed, cùm præsertim Collegas habuerit, fuisse quidem ex ijs vnum (& sine controuersia, primarium) quos in Prosa Mastinus Consules nuncupat; qui quartâ noctis vigiliâ castris præesset. Perinde ergo est, circunstantias positas explicasse Mastinum; ac si nomen ipsum notasset. Imò, *ni fallor*, multò plus est, quàm, si (omissis circunstantijs) notasset nomen solùm. Cùm, quemadmodum, per has circunstantias, multò faciliùs falsi potuisset conuinci, ni vera narrasset, quàm per nomen ipsum solum, multò nanque faciliùs, per has circunstantias, potuisset ostendi, neminem ex castris exijsse, qui videre potuisset Apparitionem, de qua loquitur, quàm, per ipsum nomen simplex; ita multò

multò faciliùs, per easdem circunstantias, quàm per ipsum solum nomen, demonstrari potuisset, vera narrasse. Id quod bene percipere licet ex ijs, quæ tradit Clarus, in sua Practica criminali, quæst. 12. vers. *Dixi etiam*; vbi de modo, similia demonstrandi. Et hæc est ratio, quare præcipitur Historicis, vt nomina personarum apponant; nempe, vt hinc, Num vera scribant, Num falsa, dignoscatur. Quare, ex duobus, quæ perperam tacuisse Mastinum, secundum instabat argumentum; ipsius fides imminuta sanè nihil manet.

36 Verùm, Quæret quispiam hîc: Quinam sint intelligendi per illos, quos Consules Mastinus appellat.

Respondetur: Intelligendos esse Reipublicæ Florentinæ (quando vigebat) Officiales quosdam, qui (post Decemuiros, per occasionem bellorum, Florentiæ creatos, ibíque manentes) in exercitu, numero duo, vel tres, & propriè Commissarij dicti; supremam potestatem habebant; ac proinde, in eodem exercitu Imperatori assistebant; qui nihil prorsus, inconsultis illis, agebat. Sic mihi à perito quodam, Florentiâ rescriptum est.

Addo autem, apud Georgium Vasarium, vbi infrà, me legisse: quo tempore fuit occupata Sancti Leonis Arx à copijs ipsius Laurentij Medicis, nimirum, anno Christi 1516. Septembri mense; Florentini exercitus Commissarios fuisse Vitellum Vitellium, Iacobum Iansilliaccium, & Antonium Ricasolum. Quínam verò tali fungerentur Officio, tum in primo tum in secundo Incursu, de quo Mastinus; ac proinde, quísnam fuerit is, cui cum comite Pinnæ mœnia perlustranti, se videndam exhibuit Virgo Christi Parens, eiusdem Christi anno 1522. adhuc edoceri nullatenus potui.

§. III.

§. III.

Soluitur tertium, quartum, & quintum Argumentum.

37 TErtium argumentum per problema confutandum est, atque ita dicendum.

Vel, Etrusci Ductores, qui persuasione Vigilis permoti, contra Pinnam Billorum non ampliùs reuerti, re vera constituerant; nihilo tamen secius, ad suum occultandum consilium, néue milites exanimarentur ex discessu; fortassè, per militare stratagemma, vocem hanc sparserunt in vulgus, in Sanctum Leonem se discessisse, non quidem perterritos, & non reuersuros: at potius, vt machinas, ac tormenta bellica exinde conueherent; in eiusdem Pinnæ Billorum extremum interitum. Qua postmodum voce ad Franciscum Mariam Vrbinatium Ducem perlata; sic ipse rescripserit, vti refert Mastinus, útque in ipso tangitur argumento.

Lego siquidem, apud Sextum Iulium Frontinum (Stratagemmatum lib. 1. cap. 1.) rem similem, ad eundémque finem; fecisse quondam Iulium Furium, inter Romanos. Is enim: ***Exercitu producto*** (inquit memoratus Frontinus) ***in locum iniquum; cùm constituisset, occultare solicitudinem suam, ne reliqui trepidarent; paulatim se inflectens, tanquam circuitu maiore hostem aggressurus; conuerso agmine, ignarum rei, qua agebatur, exercitum incolumem reduxit.***

38 Vel potiùs: egerunt ijdem, illorum hominum more, qui stabiles in constituto non sunt; etiamsi, diuinis permoti prodigijs, constituerint idipsum.

Nam, ex capitibus 8. 9. ac 10. Exodi, probè nouimus: &

& multoties constituisse Pharaonem, diuinis adactum prodigijs, atque portentis, Israëliticum ex Ægypto dimittere populum; & multoties quoque mutasse consilium. Sic fortè: & statuerunt Etrusci, vel Florentini Consules, ac Duces ab obsidione Pinnensi discedere, atque hostiliter illuc non ampliùs reuerti, Virginis Matris apparentis coacti Miraculo, quod fuerat illis expositum à Vigile; & taliter animis comparati, re ipsa discesserunt. Attamen, paulò post, se versos, indicarunt, contrariam in sententiam. Quod Vrbinatium Dux (vti Principes, qui taurinas habere dicuntur aures, facere sunt soliti) præsentiens; ea, quæ sunt exaduersum allata, rescripsit. Atque ita, Mastini dictorum, inter se, repugnantiâ remotâ quâcunque; vera prorsus euadunt, ac fide digna, tum, quæ scribit in Carmine, vt argumentum habet; tum, quæ narrat in Prosa,

39 Ad illud porrò, quod additur in quarto argumento, videri, videlicet, Mastinum scribere, quæ repugnãt etiam ipsi veræ Historiæ; facilis est responsio.

Nam (quod attinet ad primam partem) ipsemet Ioannes Baptista Leonius, qui affertur in contrarium; eodem libro secundo Vitæ dicti Francisci Mariæ, pagina 288. scribit apertis verbis: Prouinciam Feretranam vniuersam (Sancti Leonis tamen, & Maioli Arcibus exceptis) ante ipsum annum 1522. in eiusdem Francisci Mariæ ditionem fuisse reuersam. Quare, nihil est mirum: si narrat Mastinus, tali anno, Florentinorum copias in hanc eandem prouinciam, Florentinis iam non subiectam, rursus incursasse. De quo Incursu, illo tentato anno, tantùm abest, vt Mastinus, quæ repugnant veræ Historiæ, prodiderit; vt potiùs consentiat, & cum Leonio, ibidem videndo, & cum Historicis alijs: maximè verò cum Leandro Alberto, in Descriptione Italiæ; quod alibi dictum est.

Quod verò spectat ad secundam partem: de ibi tactis di-

Arce, reliquisque Ædificijs, vt veri faciem præsentaret) in Sanctum item Leonem, eo spatio temporis, ipsum personaliter accessisse. Neque solùm, quò suismet oculis, tum Saxi, tum ceterorum ad Saxum pertinentium sinceram ideam, subinde coloribus exprimendam, sic in veri faciem, vt aiebamus, tunc acciperet; sed, eò præsertim etiam, quò à Macro, qui, per idem tempus (rursum ipso testificante Vasario) pro Florentinis, Arcis custodiendæ Præfecturam, ibidem gerebat; illo in loco, in quo peractæ sunt res, quas, tum Pictura, tum Scriptura futuros ad homines propagare, cogitabat; cumulatè perdisceret. Stat igitur benè vtrunque: vera narrasse Vasarium, nec mentitum esse Mastinum. At per hæc, ad quartum.

40 Quinto autem argumento planè satisfiet per sequentia. Dico enim: nihil repugnare, quæ scribit Mastinus, in Carmine, De primo Incursu, ijs, quæ habet Inscriptio pictæ Tabulæ. Quandoquidem, ex Dialecticis (vt videri potest apud Summularios, maximè verò apud Paulum Vallium, in Introductione in vniuersam Aristotelis Logicam, parte 1. cap. 5.) Repugnantium quinque dantur species. Quędam enim dicũtur disparata: quorum vnum alteri non potest idem esse, neque simul, neque successiuè; vt homo, & equus. Quædam dicuntur contraria: quorum vnum expellit ab eodem alterum; vt calor, & frigus. Quædam dicuntur priuatiua: quorum vnum dicit carentiam alterius; vt cæcitas, & visio. Quædam dicuntur contradictoria: quorum vnum negat alterum; vt homo, & non homo. Quædam demum dicuntur relatiua: quorum vnũ dicit ordinem ad alterum; vt pater, & filius. At verò, duo illa, quæ percenset Mastinus, in Carmine, De primo Incursu; quorum primum est, Ignitis Radijs fuisse percussos oculos hostium, qui, sic obfuscati, cernere non potuerunt mœnium Pinnensium defensores; alterum verò, ab ijs,

rum vnum dicit carentiam alterius; vtique verum est. Attamen vlteriùs, hoc alterum, cuius illud vnum carentiam dicit; natum esse debebat, subiecto inesse, quod illo caret: & subiectum, quod illo caret, natum esse debebat, ad hoc, vt esset huiusmodi; habere illud idem alterum, quo caret. Sicut, exempli gratia, cæcitas visioni priuatiuè repugnat, non tantùm ex eo, quòd cæcitas visionis carentiam dicit; sed, ex eo maximè; quòd visio nata erat, inesse huic oculo, qui cæcus est, tanquam subiecto, & hic oculus, qui cæcus est, vt esset oculus, natus erat, illam habere visionem. Sic, Aristoteles, in Prædicamentis, tract. 3. cap. 1. & Sanctus Thomas, Opusc. 37. cap. 1. quos ceteri sequuntur. Ceterùm, ad rem nostram: illud, quod est, ***Visam fuisse Clementissimam Virginem, splendentem in nubibus***; non erat quidem natum, inesse dictis ***Radijs***, & ***Flammis***, quæ obtigerunt in primo Incursu: quia, poterat esse (quemadmodum de facto fuit) sine his, numero. Neque pariter, dicti ***Radii***, & ***Flammæ***, ad hoc, vt essent huiusmodi, nata erant, habere illud, quod est, ***Cum ijs fuisse visam Clementissimam Virginem, splendentem in nubibus***: quia pariter, potuerunt esse (quemadmodum de facto fuerunt) sine illo. Quocirca: tametsi dicti ***Radii***, ac ***Flammæ*** carentiam eius quodammodo dicere, videantur, quod est, ***Fuisse visam Clementissimam Virginem, fulgere in nubibus***; cum ijs nanque numero, de facto, visa non fuit; inter hæc duo tamen, hoc est, inter ipsos ***Radios***, qui percusserunt oculos hostium, & ***Flammas***, quæ rutilare, visæ sunt ab altis Pinnis, ex vna parte; & illud, quod est, ***Fuisse visam Clementissimam Virginem, fulgere in nubibus***, ex altera; deficientibus conditionibus necessarijs reliquis ad hoc ipsum, quæ iam expositæ sunt; agnosci priuatiua repugnantia non potest.

Tantùm igitur obseruare licet: in expressione ***Radiorum***,

ac *Flammarum* huiusmodi, quæ obtigerunt in primo Incursu; tacere Mastinum, *Fuisse visam cum ÿs, Clementissimam Virginem fulgere in nubibus*: quod, in ordine ad Miracula, quæ, tum in primo, tum in secundo sunt facta Incursu; non tacet, imò exprimit, & enunciat apertè Inscriptio.

43 Dices. Ergo Inscriptio plus exprimit, & enunciat, quàm debebat. Exprimit enim, *Fuisse visam, Clementissimam Virginem fulgere in nubibus*, in ordine ad Miracula vtriusque Incursus; quod, in ordine ad Miraculum tantùm secundi, debebat exprimere.

Sed respondeo, negando consequentiam. Quanuis enim in Miraculo primi Incursus, *Visa*, re ipsa, *non fuerit Clementissima Virgo*; tamen stat, verum esse, quod dicit Inscriptio, in ordine ad Miracula vtriusque Incursus. Nam, sicut, in ordine ad Miraculum secundi Incursus, verum esse stat, *Visam fuisse Virginem Clementissimam*, licèt personaliter (vt suo loco diximus) ipsa visa non fuerit, sed apparuerit solùm ipsius quædam Imago, quoddámque Simulacrum, atque adeò (quo modo statutum est alibi) ipsius Clementissimæ Virginis personæ quidam effectus; ita, in ordine ad Miraculum primi Incursus, verum esse stat, *Visam fuisse Clementissimam Virginem* (licèt, neque personaliter, neque in Simulacro aliquo visa fuerit) ex eo duntaxat; quòd eiusdem Virginalis personæ visus est quidam effectus: cuiusmodi sunt *Radÿ* prædicti, ac *Flammæ*. Quemadmodum etiam, verum esse stat, Moysi apparuisse Dominum, in Flamma (vt habemus Exodi 3.) propterea tantùm, quòd, *Ibi Deus* (inquit Abulensis, eo loci) *specialem effectum demonstrabat, videlicet, quia faciebat ardere rubum, & non comburi*; non autem, quòd, ipse Moyses aliquam Imaginem eiusdem Domini tunc viderit, aliquódue Simulacrum. Atque: ad indicandum id, quod

nunc

nunc dixi de Virgine Clementissima, sic, in effectu suo solo visa, & sine omni prorsus Imagine, ac Simulacro sui; Mastinus, dum tale Miraculum exprimeret, in suo Carmine, De primo Incursu, memorato, vsus est fortassis illa forma loquendi, quam toties repetiuimus; nimirum:

Tu, Pia, Ignitis oculos furentum
Percutis dulci Radijs, &c.

Quo circa, concludendum est: in vtroque Miraculo, *Visam*, quodammodo, *fuisse Clementissimam Virginem*: licèt ipsius Imago, & Simulacrum visum tantùm fuerit (vt sæpe iam diximus) in secundo; & in vtroque re vera, tanquam in quodam effectu. Qui quidem effectus, in primo, *Radij* prædicti fuerunt, ac *Flammæ*; in secundo verò *Virginis eiusdem* fuit *splendore fulgens Imago, ac Simulacrum*. Atque ita: dubio quocunque procul, vnum prorsus, & idem enarrant, & enunciant Mastinus, & Inscriptio.

44 Puto autem: Inscriptionis Auctorem (quisquis ille fuerit) eapropter, in ordine ad vtrunque Miraculum, formaliter hoc tantum expressisse, *Clementissimam*, nempe, *Virginem fuisse visam, splendore fulgentem in nubibus*; vt Historiæ, quæ coloribus est effícta in Tabula, cui talis fuit adscripta Inscriptio; seruiret. Pictor enim (denotando Miraculum vtrunque) pinxit ibi Virginem ipsam apparentem in aëre, & splendore fulgentem solùm; post quàm, pigmentis figurauerat etiam, & Pinnam, & Bilium, & hostilem exercitum obsidentem, & expugnationem aggredientem. Hoc autem, vt arbitror, ea de causa: quia, cùm vtrunque Miraculum denotandum esset, vna tantum in Tabula; sic pingere, sibi visum est commodius, ac facilius; quàm, si separatim in eadem Tabula pinxisset, & Radios, & Flammas, absque Imagine, & Simulacro, pro primo Miraculo; & Imaginem, & Simulacrum cum Radijs, ac Splendoribus, pro secundo. Quam ob causam

(nimirum, quia sibi visum est commodius, & facilius) pinxit etiam (vt item existimo) eandem Imaginem, non incedentem per propugnacula, quod accidit in secundo Miraculo; sed eleuatam in aëre, quod accidit circa Radios, & Flammas, in primo. Et hoc pacto, partim accipiendo à primo, partim à secundo Miraculo; vnâ, eâdémque picturâ visus est sibi, denotare vtrunque. Cui deinde picturæ suam Inscriptionem accommodare volens Auctor illius, idipsum formaliter tantùm expressit; quod iam notauimus.

Nullatenus tamen dicendum est: tum dictum Inscriptionis Auctorem, ita scripsisse, tum dictum Pictorem ita pinxisse, sicuti vidimus; vt indicarent (quemadmodum, & Inscriptio, & Pictura, primore aspectu, videntur ostendere) penitus eadem in vtroque Miraculo contigisse, absque vlla differentia. Quandoquidem, hoc, vt sanè falsissimum; affirmari nequaquam potest.

45 Tandem, vt (quoad eius fieri licet) hisce de apparentibus, inter Mastinum, & Inscriptionem, repugnantijs, nihil relinquatur intactum; è mentibus legentium eximendus est quidam scrupulus alius, quem ingerere videtur illud, *In nubibus*, quod in Inscriptione legitur; non legitur apud Mastinum. Hoc autem varietatis qualiscunque; nihil equidem est, cur quispiam admiretur. Cùm nanque de Apparitionibus agitur Cælitum, vbi sit splendor, & fulgor (siue nubes exprimantur, siue non exprimantur) semper illæ adesse intelliguntur. Nubes etenim in similibus appellatur, tum densitas lucis, tum quicquid aliud, vel tanquam scabellum, & vehiculum, vel tanquam thronum, & solium, ad ornatum, & maiestatem adiunctum habet Apparens. Videndus est Sanctus Thomas, in Supplemento 3. p. q. 89. a. 4. ad 3.

§. IV.

§. IV.

Respondetur Argumento sexto, ac septimo.

46 AD sextum argumentum dico: Eorum, quæ Maſtinus principaliter aſſumpſit, in vtroque Carmine, litteris conſignanda; ſufficienter ipſum cauſas explicaſſe. Sed aduertendum eſt: Principale, quod ſic aſſumpſit; non eſſe quidem duplicem Incurſum Etruſcorum in Patriam, & Feltrios (vt fortè videri poteſt alicui, & ſupponit argumentum) ſed eas eſſe Deiparæ Laudes, quæ proueniunt eidem ex eo; quòd adeò miſeranter ipſam Pinnenſium Patriam ab hoſtilibus armis liberauit, per ſua Miracula, ſemel, & iterum. Quod euidenter vtique, titulo deſignatur communi Carminis vtriuſque, vbi vterque deſcribitur Incurſus; per præpoſitiones illas, *de*, &, *ad*. (Qui quidem titulus, ne hîc repetatur, in §. 4. Procemialium eſt inſpiciendus, imò potiùs, eſt colligendus ibi ex titulis tribus, ex illo, nimirum, quem ibi diximus, præferri per Libellum in fronte, & ex duobus alijs, quorum altero primum, altero ſecundum præſignari Carmen, apparet.) Præpoſitionem nanque, *de* (vt redeam illuc, vnde per Parentheſim diſceſſi) pertinere frequenter ad materiam; præter ceteros, obſeruauit Horatius Turſellinus, in libello, De Particulis, cap. 41. num. 5. Quemadmodum, præpoſitionem, *ad*, indicare ſæpe finem; adnotauit Barboſa, cum multis, tractatu ſuo, De Dictionibus, dictione 6. num. 6. quæ ſanè duo communiſſima ſunt. Porrò autem, hîc illud eſt attendendum præterea: quòd, præpoſitiones huiuſmodi ambæ, in Operum titulis; non frequenter ſolùm, & ſæpe (vt iam dictum eſt) ſed ſemper, ſignificationem prætactam reſeruant. Hoc verò: cùm de præpoſitio-

ſitione, *de*, perſpicuè pateat; etiam de præpoſitione, *ad* ego puto tam clarum; quàm, quod clariſſimum. Exiſtimo ſiquidem: formulas illas loquendi, *Ad Marcum Filium*, exempli gratia, &, *Ad Herennium*, quarum prima ſuos libros, De Officijs, Tullius inſcripſit proprio Filio, & ſecunda ipſi Herennio Rhetorica commentaria; per Eclipſim detruncatas eſſe, atque eſſe ſupplendas (redintegrari ſi debeant) ex Epiſtolis Nuncupatorijs, vel dicamus, Dedicatorijs, huiuſmodi operibus præfixis; vbi finales explicantur cauſæ, quare Opera talia talibus viris fuerint inſcripta. Atque ita: cùm ex Nuncupatoria præfixa libris, De Officijs, à Tullio (ſi percurratur) appareat; finalem cauſam, quare hos libros idem Tullius proprio filio inſcripſerit, eam eſſe; vt ipſe filius, cum Philoſophiæ moralis præceptis, æquabile pariter, ac temperatum dicendi genus edoceretur, per libros eoſdem; ſic, eorundem librorum ſupplebitur, ac redintegrabitur titulus: ***Marci Tullij Ciceronis, De Officijs, ad Marcum Filium, cum Philoſophia moralis præceptis, æquabile pariter, ac temperatum dicendi genus edocendum; Libri tres.*** Pari modo: cùm ex Nuncupatoria præfixa commentarijs Rhetoricis intelligatur; finalem cauſam, quare Herennio talia commentaria ſint inſcripta, eam eſſe; vt, ſua induſtria, morem Tullius gereret Herennij voluntati, quem Rhetoricam cognoſcere velle, perſpiciebat; eorundem commentariorum titulus hoc pacto ſupplebitur. ***Marci Tullij Ciceronis Commentariorum Rhetoricorum, Ad Herennium, Rhetorica, vt optat, inſtituendum; Libri quatuor.*** Et perinde diſcurri poteſt, per eius generis titulos ceteros Operum quorumcunque. Sed, ſat eſt nobis: per hæc pauca, quæ diximus; idipſum, quod fuit propoſitum, eſſe collocatum propalam: præpoſitionem, videlicet, *ad*, in titulis Operum, indicare finem ſemper; propter quem,

ea

ea ſint ſcripta. Nemo enim ibit inficias: illud, ***Ad edocendum***, illúdque, ***Ad instituendum***, quibus, detruncatas titulorum locutiones redintegrauimus, & ſimila; finalem cauſam denotare. Aperuit viam, ad hæc inueſtiganda, Scriptor quidam elegans, cuius nomen, iuſtis de cauſis, inuoluendum eſt ſilentio, ſuis quibuſdam in Scholis Rhetoricis; quas, De Cõſcribendarum epiſtolarum edidit Ratione: & ibi quidem, vbi, de Nuncupatorijs agit epiſtolis.

47 Poſito igitur, tanquam per ſe noto, præpoſitionem, ***de***, in titulis operum denotare materiam; & ratione notificato, præpoſitionem, ***ad***, in ijſdem indicio finis eſſe; hinc infertur: in titulo communi Carminis vtriuſque noſtri Maſtini, præpoſitiones huiuſmodi vim prorſus eandem habere. Et, quod attinet ad præpoſitionem, ***de***, quæ prima eſt: ipſum titulum eo loci conſideratè legentes, vbi iam diximus; materiam primi Carminis eſſe primum Etruſcorum in Feltrios, & Patriam Incurſum, ſecundi autem ſecundum; per dictam præpoſitionem, ***de***, planè percipimus. Ibi enim: ***De primo, & ſecundo Incurſu***, vtrunque Carmen communiter inſcribi; luculentè diſcernimus. Vt verò, per alteram præpoſitionem, ***ad***, quæ finis eſt ſignum, quinam ſit finis vtriuſque pariter Carminis, addiſcamus; trunca illa phraſis, ***Ad Deiparam***, iuxta poſitam regulam, ſupplenda, ac redintegranda eſt. Quapropter ad Nuncupatoriam debemus confugere. Maſtiniano autem in hoc Opuſculo, Nuncupatoriæ vicem obtinet Epigramma quoddam, ab Auctore illi præfixum: in quo, Diuam Charitum (vt ipſe ait) hoc eſt, Virginem Deiparam, Sacra cuius Imago, vt vidimus, Sãcta Maria Nouiſſima de Gratijs, apud Pinnenſes, appellatur, alloquendo; ſic fatur.

Sume, Benigna animum, quæſo, non parua dicantis
Donula, quæ nulla ſunt mage digna graui;

Ante

Ante oculos quàm, Diua, tuos suspendier. Error
His scatet (id fateor) densaque menda modis.
Inter vix numeror Scribas, non Bacchare dignus:
Pinnifero, nosti, non Helicone satum.
Spicula mille pati criticorum instantia malo,
Quàm, Dea, tot Laudes occulere ipse tuas.
Hoc peto: Latrantum rictus compesce, profana
Deturpet nomen ne quoque lingua tuum.

En autem: quo modo Mastinus, in hoc Epigrammate, statuit nobis ob oculos causam finalem; quare conscripserit vtrunque Carmen: Laudes, nimirum, ipsius Deiparæ. Atque ita, facit etiam; vt principium Opusculi totius respondeat extremo, & extremum principio. Iam vidimus enim suprà, in Sectione 2. §. 3. num. 19. Quæstionis huius, monstrantem ipsum, in illis item Iambicis, quibus, eidem Opusculo, voluit, accedere manum extremam; se Conscriptionum suarum huiusmodi, sibi finem præstituisse, Laudes eiusdem Deiparæ. Sed, Laudes non alias (vt ex ijs patet, quæ, scribendo, narrat) profectò intelligit; quàm, quæ ad ipsam Deiparam redundant ex patratis, in commodum Pinnensium, ab ea Miraculis, amborum occasione Incursuum, clementissimè; quorum primum primi Carminis, & secundum secundi materiam ipse delegit. Supplere possumus ergo, ac redintegrare memoratam phrasim, quæ trunca est, ac totum proinde dictorum Carminum communem titulum, ex finali causa, quam in hoc Epigrammate obseruauimus; in hunc modum. ***De primo, & De secundo Incursu Etruscorum in Feltrios, & Patriam, Ad Deiparam prosequendam laudibus ijs, quæ in ipsam redundant ex patratis, in commodum Pinnensium, ab ea Miraculis, amborum eorundem occasione Incursuum, clementissimè; Iacobi Mastini Pinnigenæ Carmina.*** Et sic: iam addidicimus Mastiniani Carminis vtriusque finem:

cùm,

cùm, per illud, *Ad Deiparam prosequendam laudibus*, & reliqua; hic non nisi finis, nostras, intrare possit, in mentes.

48 Quoniam itaque, per hæc omnia, prolatum in apertum est, quid, in titulo communi Carminis vtriusque memorati, significent nobis præpositiones illæ, *de*, &, *ad* (cernimus enim, hanc finis, illam verò materiæ notam esse) propterea sumus etiam tandem assecuti; quod statueramus, vsque ab initio: Principale, nimirum, quod assumpsit, litteris consignandum, in Opusculo suo, Mastinus; Incursus Etruscorum in Feltrios, & Patriam nequaquam esse: sed eas Laudes, quæ ex Miraculis, in Pinnensium commodum, eorum occasione Incursuum, tam clementer à Deipara perpetratis, in eandem perueniunt, ac redundant; vt modò dicebamus. Doctrina siquidem apud omnes, certissima est: finem comparatum materiæ, quin, & ceteris causis cunctis; primam, & principalem esse causam. *Agens enim non agit, nisi propter finem, & ab agente materia mouetur ad formam; vnde dicitur, quod finis est causa causarum.* Sic, Sanctus Thomas, 1. p. q. 5. a. 2. ad 1. & alibi; qua de re videndus est etiam Aristoteles, Physicorum lib. 2. tex. 78. & 81. & quod Iuristæ scribunt, eo loci, quod notat Barbosa, in Axiomatibus Iuris, axiomate 99. num. 1. & 2.

49 Iam verò (vt argumento demum plenè satisfiat) si (ex Legibus ab Historicis, in texendis Historijs, obseruandis) debebat Mastinus causas eius exprimere, quod assumpsit, libello suo posteris tradendum; sat ipsum ad hoc, arbitror, habuisse (quemadmodum, sat habere poterat re vera) suis enarrare Carminibus tantùm duo. Quorum alterum ea Miracula sunt, quæ patrauit in commodum Pinnensium Deipara; alterum verò sunt occasiones, quibus, ad illa patranda, permota creditur; hostiles, nimirum,

rum, Incursus in eosdem Pinnenses, & obsidionum eorundem angustiæ. Hæc enim duo, compertum est, earum Deiparæ Laudum causas esse; quas pro fine sui Mastinus assumpsit Opusculi. Quibus explicatis, cumulatè suas partes ipse peregit.

Si quis verò, causas ipsorum Incursuum, atque obsidionum, causas, videlicet, belli totius (eædem nanque causæ sunt huiusmodi omnium) quod, contra iam sæpe nominatum Franciscum Mariam I. Ducem Vrbinatium IV. ea tempestate, motum, ac gestum est, eiusdémque belli progressum, & exitum nosse, præterea velit; is adeat illorum temporum Historicos: & præsertim, quos, Parte prima, Quæstione tertia, Sectione prima, num. 70. citauimus: quibus addatur etiam Franciscus Guicciardinus, libro duodecimo, in superioribus allegato, pagina sua 617. &, præ ceteris, Vbaldus Angelus Abbatius Eugubinus, alijque tres incerti, singuli scribentes memorati Francisci Mariæ Vitam, quæ tamen (quisquis ex ijs quatuor Auctor sit) non nisi manuscripta, & nunquam typis impressa; in Vrbinate Bibliotheca duntaxat, euolui conceditur. Atque per hæc, dictum sit satis ad sextum.

50 Septimo autem satisfaciam paucis: ita, nempe, differendo. Si voculæ ille, *nos*, *nostri*, *nostra*, cum similibus, fidem Historicis attenuarent: neque ipsi Liuio credendum esset: qui (vt ex ipsius lectione dignoscitur) dictionibus huiusmodi non parcit. Attamen, de Liuij fide scriptum reliquit Cornelius Tacitus (Annalium libro quarto) præstans istud elogium. *Titus Liuius*, inquit, *eloquentiæ, ac fidei præclarus in primis*. Quod amplificans disertissimus æque, ac sapientissimus Theologus Melchior Canus, Locorum Theologicorum libro vndecimo, cap. 6. vers. *Quòd, si Prophetias*; de ipso eodem Liuio, eiúsque similibus hæc addit. *Sunt in profanis Auctoribus non pauci: quorum*

inge-

ingenuitas, ac verecundia sic hominum sermone celebrata est; vt nemo illos vnquam mendaces, &, in fingendo, imprudentes existimauerit. Quales sunt Cesar, Valerius Maximus, Terentius Varro, Liuius, &c. Sed his adiungere plura, non est opus.

§. V.
Argumentum octauum euertitur.

SCribenda multa sunt in hoc Paragrapho: quapropter, distinguendus, & subdistinguendus erit, non semel.

DISTINCTIO PRIMA.

Præluditur nonnihil, ad huius octaui Solutionem Argumenti. Vbi Leges, ad Historicorum fidem explorandam.

51 AD octauum igitur argumentum explodendum, nunc demum accedentes; hæc prodamus, vel potius præludamus.

Nimirum: si absolutè verum esset, quod ex doctrinis, eo relatis in argumento; consequenter hauritur; multis Historicis, tanquam super fide suspectis, fides habenda non esset. Inter hos autem annumerari deberent, Leander Albertus Bononiensis: Hieronymus Rubeüs Rauennâs: Bernardinus Corius Mediolanensis: Cæsar Clementinus Ariminensis: Scipio Claramontius Cesenâs: ac similes alij quamplurimi. Quandoquidem, hi singuli suæ Patriæ contexuerunt Historias. At hoc absurdum est.

Videndum est ergo: ecquando verum sit consequens illud

illud argumenti, ecquando non verum. Ecquando, videlicet, verum sit, Historici, narrantis Historiam suæ Patriæ, fidem esse suspectam (quod applicatur in argumento ipsi Maslino) ecquando hoc idem non sit verum.

Verum autem hoc esse, ipse affirmo: cùm, in Historico, Leges illæ vsu non comprobantur, quas, ad exploranda ii Historici cuiúsque veritatem, ac fidem, ipse Melchior Canus, loco iam citato, versiculis verò, *Prima Lex*, *Lex verò secunda*, &, *Tertia Regula sit*, quasi optimas omnium decernit; quásque, vbi supra, videlicet, Bibliothecæ selectæ lib. 16. cap. 1. Posseuinus ab ipso mutuatur, & maximè approbat. Sed, sunt hæ quidem vniuersales: compleċtunturque quoslibet Historicos, siue condiderint illi suæ Patriæ, siue Regionum aliarum quarumcunque Historias. Vbi enim, Leges huiusmodi seruantur; parui deinde refert: sítne ortus, oriundúsue Historicus ex ea Ciuitate, vel populo, cuius gesta persequitur; an verò aliunde. Quandoquidem, vtcunque se res habeat; semper veridicum, mendacem, siue dubiæ fidei nunquam, ipsum esse; per has Leges, oportet.

52 Leges porrò tres omnino sunt: earúmque vis, in sequentem modum, explicatur.

Prima est. *In ennarrandis ijs, quæ Historici, se, vel suis oculis vidisse, vel ab ijs, qui suis oculis viderint, accepisse, testantur: illi probatæ fidei sunt habendi; quorum in moribus Pietas, & Integritas, aut saltem, naturæ Bonitas quædam eluxerit. Etenim, vir pius, integer, ac bonus; ab omnibus, vera loqui, à nullo mentiri, existimatur. De impio autem, ac malo, contrarium prorsus dicendum est.*

Secunda est. *Cùm Historici narrant, quæ, nec viderunt ipsi nec ab ijs, qui viderint, audierunt: illis certè credendum est, præ ceteris; qui ingenij seueritati, quandam, & ad eligendum, & ad iudicandum, Prudentiam adiunxerunt.*

Nam,

Nam, qui sit ita comparatus: nec schedas omnes, lectione etiam indignas; nec anilibus fabulis accommodabit operam; nec priùs lecta, auditaque describet; quàm ea prudenti, accuratoque iudicio expendat, ac seligat. Ceterùm, accidit contrà; si contrà sit Historicus comparatus.

Tertia demum est. *Si, per Ecclesiam, auctoritas tribuitur Historico alicui; nos etiam eidem, & fidem adiungere debemus, & auctoritatem. Contrà verò: si quem Ecclesia reijcit, vt vanum, ac futilem; is nobis quoque, tanquam huiusmodi, reijciendus est.* Hæc autem Lex probatione aliqua non eget. Est enim adeò certa; vt oppositum dici, Catholicè non possit. Verùm, de hac, & de superioribus duabus, qui plura volet; is consulat eundem Canum.

53 Ad rem præsentem: tribus ex hisce Legibus, tria pariter patent.

Primum est. Tunc verum esse, fidem Historici, non solùm suæ Patriæ, sed etiam alienæ, narrantis Historiam, reddi suspectam; cùm, testante illo, se vidisse, vel ab alijs, qui viderint, audiuisse, quæ narrat; eius in actibus, vel Christiana Pietas, vel naturalis quædam Virtus, quæ semper à mentiendo abhorret; nunquam effulserit. Sed, non esse verum; si oppositum contigerit.

Secundum est. Tunc illud ipsum, quod modò dicebamus, rursum esse verum; cùm, narrans Historicus quædam, atque illa, se nec vidisse, nec ab ijs, qui viderint audiuisse, testificans, eâ seueritate ingenij, eáque prudentiâ non dignoscitur præditus; qua, dijudicare potuerit accuratè, quænam ex lectis, & ex auditis, vel, tanquam digna, fuissent exprimenda scripturis, vel, tanquam indigna, transeunda silentio. At, non esse verum; si secùs dignoscatur.

Denique, tertium est. Tunc item esse verum, fidem Historici narrantis, quæ dicta sunt, & alia quæcunque, non

solùm

solùm reddi suspectam, sed penitus abrogatam, ac demptam: cùm, ex Ecclesiasticis Decretis, Historicus huiusmodi sit improbatus. Porrò, non esse verum; si improbatus non sit; & neutrum etiam ex dictis antea, concurrat.

54 Verùm (vt sigillatim ad Mastinum veniamus, propter quem hæc omnia sunt à nobis, & relata, & illata) certum est: neque tertiam, neque secundam ex positis Legibus; in eo, locum habere. Iam enim suprà, vbi oportuit, apertè vidimus illa duo: Nullo, nimirum, Iure, tanquam auctorem non probum, ipsum damnari; eundémq; tantùm ea promere, vel quibus interfuerit per se, vel quorum testis, exceptione quacunque, in similibus, maior; inimica sit fides.

Solùm, ergo prima Lex relinquitur, cum qua sit componendus Mastinus: vt, scilicet, hinc appareat, aberraueritne ab illa, nécne; hoc est, fueritne, dum vixit, Christiana Pietate, vel saltem virtute naturali, quæ sit à mendacijs aliena, ornatus, nécne; ac proinde, sítne suspecta, nécne ipsius fides. Quandoquidem: hac Lege seruata, reliquísque duabus Legibus nullum in eo locum habentibus, vt est ostensum; conditionem illam, quòd de sua Patria scribat, nihil referre; paulò suprà generatim aduertimus.

DISTINCTIO SECVNDA.

Num vir bonus, & naturali præsertim Bonitate, fuerit Mastinus.

55 ECquis autem, fuisse Mastinum, dum viueret, impium, aut saltem, naturâ non bonum, affirmare fuerit ausus; nisi valeat, suum dictum comprobare? ***Si enim, contrarium non probetur; bonum præsumi vnumquen-***

quenque ; decantatissimum, Iurisprudentium in scholis, axioma semper fuit. De quo legendus est Barbosa, in Axiomatibus Iuris, axiomate 37. num. 4.

Ego potiùs, exaduersum, habeo fundamenta non leuia ; quibus Mastini Bonitatem, tum Christianam, tum Naturalem suffulciam.

Et, quod ad Naturalem (hoc est, ex inclinatione naturali dependentem) Bonitatem spectat: alterum illud axioma, pariter tritissimum inter Iuristas, eodem loci legitur, apud Barbosam; hoc est, ***Bonus naturaliter præsumitur, qui de bono genere sit ortus.***

56 At verò: bonum Genus, imò, Pinnæ Billorum, antiquum, & spectabile admodum; Genus Mastinum, vnde Mastinus noster fuit exortus; omnino dicendum est. Enumerare prætereo viros conspicuos non paucos: qui, tum ante, tum post illum, hoc Genere prognati; multis modis Patriam illustrarunt: & inter ipsos Franciscum Equitem Rhodianum, cognomento Martellum, Arithmetica nulli secundum; qui, duobus circiter abhinc sæculis, numerabatur inter viuos.

Tantùm non taceo: Pinnæ Billorum constare monumentis litterarum, & fama; Principes Malatestas, cùm, ibidem, Principatum tenerent, ac dominarentur; &, ex ipsis, maximè Sigismundum Pandulfum Pandulfi filium Arimini Dominum; Mastinos homines, non vti subiectos, aliquando tractasse: verùm semper, vti domesticos, ac familiares (dicam ampliùs) vti consanguineos, amasse, fouisse, fuisse complexos.

Nec miretur quispiam, aut inauditum putet illud, ***vti consanguineos***, quod asserui. Nititur enim hoc Assertum fundamento bipartito. Et fundamenti pars prima est: Scriptores complures velle, Malatestarum nobilissimam Familiam oriundam esse Pinnâ Billorum. Pars verò secunda

cunda est; Pinnæ Billorum constantissimam famam percrebuisse à maioribus ortam; duabus ex hisce Familijs, Malatestarum, nimirum, ac Mastinorum, alteram natam esse ab altera: & vtranque antiquitus vnam fuisse.

Quantùm ergo ad primam fundamenti partem: cùm Scriptores, per sua publica Scripta, loquantur vbique; illa certè dicenda non est inaudita. Et, si cui fortè inaudita fuisset vsque adhuc; is, quæso, nunc eorundem Scriptorum audire de illa non grauetur ipsissima verba: quæ ad eum tantùm finem huc exscribenda putaui; vt eorum nescius, ac sciendorum cupidus, labore perquirendi libros huiusmodi, qui fortè (saltem omnes) nec facilè sunt omnibus obuij; subleuetur: nequaquam verò, vt controuersiam, de Malatestarum origine vigentem hactenus, pertractare, multóque minùs dirimere, intendam, siue præsumam; quæ nihil attinent ad præsens institutum: pro quo satis est ostendere; quæ asserui, non esse inaudita, nec miranda.

56 Porrò autem Scriptores hi, partim Latinè, partim Etruscè scripserunt: & primo loco recensendi sunt, cum suis verbis, Latini; secundo loco Etrusci.

Scriptores Latini sunt sequentes.

Primò. Pij II. Commentaria, quæ Ioanni Gobellino adscribuntur, lib. 10. duabus fere paginis ante medium, cum hac nota marginali, *Malatestarum Familiæ origo, & progressus*, ita fantur. *In Castello Pinnæ Montisferetrani agri, duo fuere fratres: nomen vni Malatesta, alteri Ioannes; ambo Malatestæ filij. Ioannes vxorem Suliani duxit: & dimissa paterna domo; cum ea illic habitauit. Malatesta verò Verucchium se contulit, Ariminensis agri; & ibi, cùm esset industrius, & robusti corporis; ad equestrem militiam prouectus est, &c.*

Secundò. Hieronymus Rubeüs, Historiarum Rauenna-

na-

natium lib. 5. anno 1003. sic habet. ***Sunt, qui putent, Malatestarum Illustrem Familiam, ex Penna, seu, vt alij, Pinnabillis, qui Vicus est Duci Vrbinatium subiectus; initium sumere.***

Tertiò. Ariminense Capitulum, & Clerus, in quodam Libello supplici, ad Collegium Cardinalium (quem refert Cæsar Clementinus, Ariminensis Historiæ parte prima, lib. 3.) hæc verba faciunt. ***Dicimus ergo, & asserimus (annuente numine Maiestatum vestrarum, vt putamus, eas non ignorare) Malatestarum Familiam, ab Oppido Pinnæ Feretranæ Diœcesis, non procul ab Arimino, oriundam, solerti Prudentia, animique Strenuitate, & Ciuitatem ipsam Arimini, & totum Romandiolæ Agrum ab Imperio liberatum, & ereptum; Sedi Apostolicæ subiecisse.***

Quartò. Statuta Ciuitatis Arimini (eodem referente Clementino, ibidem) taliter incipiunt. ***Dominus Malatesta de Pinna, in suo Castro Pinnæ, &c.***

Quintò. Noster Iacobus, quem fide dignum probare pergentes; ceteris etiam annumerare putauimus: in quodam Elegiaco Carmine, Ad Diuam Charitum, (vt ait, quæ Sancta Maria Nouissima de Gratijs est) eam alloquendo, canit in primis, hoc modo.

Publica sitque tuo nutu res tuta, Senatus
Pinnicolæ, ò Tutrix sedula facta, tui.
Perpetuò surgat Moles, tua cura, bicornis
Saxea, Cyrrhæis anteferenda iugis.
Quæ Malatestarum partu fecunda superbit;
Hinc data Arimineis gloria Principibus.

Deinde, in Oratione habita, in Funere Sacrarum litterarum Professoris Christophori Blanchelli Pinnigenæ, & Augustinensis Cœnobitæ, post recensitos multos viros claros, quos illucusque Patria tulerat; in has tandem voces erumpit. ***Horum omnium, si quis æqua trutinet lance***

(quod tamen sit cunctorum pace dictum) neminem offendet huic nostro similem, vel saltem maiorem. Malatestarum Genus, & Stemma semper excipio, longè praecellens; quo haec nostra, veluti genitrix, se iactat, & ampullatur Patria. Atque hactenus Latini Scriptores.

57 Ponè subeunt Etrusci.

Primò. Christophorus Landinus, in suo Commentario, quem in Danthem Aligherium scribit, versus illos decimi septimi Cãtus Cãticæ 1. quæ dicitur Infernus, expendens;

E'l Mastin vecchio, e'l nuouo da Verucchio,
Che † fecion di Montagna il mal gouerno,
Là, doue soglion, fan de' denti succhio;

† al. fecer.

scribit isthæc. *Quì intende due Malatesti, padre, e figliuolo, huomini violenti, e crudeli; e quali teneuano Arimino. Questi Signori hebbono origine da vn Malatesta, che fù dalla Penna de' Billi, Castello, posto nel Contado di Monte Feltro: el quale, per molte prodezze sue nella disciplina militare; meritò, che gli Ariminesi lo facessino loro Cittadino, & honorassino di belle case, e d' altri premij. Di costui nacque vn' altro Malatesta, huomo di grande animo, e bellicoso: el qual ruppe el Conte Guido, à Monteloro; ben che dipoi fussi da lui rotto, al ponte di San Proculo. Et hebbe tanta autorità, e seguito; che si fece Signor d'Arimino. Costui generò Giouanni † Schiancato, e Paolo, de' quali dicemmo di sopra, quando facemmo mentione della Francesca, e di Pandolfo: item Malatestino, el qual fù cieco da vn' occhio, & huomo di grande astutia; e succedette al padre. E di Malatestino nacque Ferantino, el qual succedette al padre, insieme con Pandolfo suo Zio. E questi furono Signori di gran parte della Marca d' Ancona. Adunque quì intende (E'l Mastin vecchio) per Malatesta primo Signore; & (E'l nuouo) per Malatestino. (Da Verucchio.) Questo è vn Castello, el quale gli Ariminesi donorono al primo*

† al. Sciancato.

Ma-

Malatesta. Onde, benche sua origine fussi dalla Pēna de' Billi: niētedimeno furono denominati di quì. Sic ille ad amussim.

Secundò. Hieronymus Mutius, De Gestis Federici Feltrij Vrbinatium Ducis, lib. 1. circa medium; loquitur hoc pacto. *Dalla Penna de' Billi, Castello del Contado di Montefeltro, vscirono due fratelli, Malatesta, e Giouanni, huomini, per virtù d'arme, conosciuti. Giouanni andò à Sogliano: e da lui hanno hauuto origine i Malatesti di quel luogo. Malatesta andò, ad habitare à Verucchio: e quindi, fattosi capo di parte Guelfa; nel 1295. si fece Signor d'Arimino, &c.*

Tertiò. Cæsar Clementinus, vbi suprà (præter multa, quæ omitto) tria dicit, haudquaquam postponenda.

Expressio primi. *Varie, e diuerse sono l'opinioni, dell'origine, e principio dell'Illustrissima Famiglia de' Malatesti: assegnandola alcuni, &c. altri alla Penna, Castello, poi Terra, hora Città del Serenissimo d'Vrbino.*

Tenor secundi. *Benuenuto, anch'egli Espositore di Dante, scriue: Nell'anno 1375. l'origine de' Malatesti essere dalla Penna de' Billi: benche il Poeta lo chiami, per disprezzo, e similitudine; Mastino; e da Verucchio.*

Formula tertij. *Horatio Malatesta, morto pochi anni sono, Conte di Montenecchio, e di Sambugheto, discendente da Paolo, il Bello, de' Malatesti, nella fatica fatta di sua Casa; pare, che acconsenta all'opinione della Penna.*

Et Scriptorum, tum Etruscorum, tum Latinorum his verbis auditis; de prima fundamēti parte, iam nimis multa.

58 Quantùm verò ad secundam: hoc est: quantùm ad famam, quam Pinnæ Billorum percrebuisse, affirmaui, duabus ex his familijs Malatestarum, ac Mastinorum, alteram natam esse ab altera, & vtranque priscis temporibus vnam fuisse: rei huius indicia duo præsertim sunt; & quidem certè non exigua.

Primum est Stemma Gentilitium vtriusque. Olim nanque

que (quod ex insculptis lapidibus, tum Pinnæ, tum alijs in locis, quos Malatestæ possederunt suæ Ditionis in primordio, visitur passim) Gentis huius Clarissimæ Stemma (contra quam Sansouino, De Origine, ac Gest s Familiarum illustrium Italiæ, titulo, *Signori Malatesti*, scribere libuit) simplices illi tantùm quadratulorum, ac bicolorium spatiorum ordines erant, quos vulgò, vocant, *Scacchiera*; nulla re alia penitus adiecta. Sic eosdem ordines habuit semper pro Stemmate Gens Mastina. Et, quemadmodum cognomini suo forsitan alludentes, dictis illis ordinibus tria capita, quæ vulgi lingua dicuntur, *Teste*, quæque, vt aiunt, tribus, qui Gentis huius, tunc viuebant, fratribus responderent, postmodum adiunxere Malatestæ; sic Mastini eisdem ordinibus, ab antiquis temporibus, quædam iungunt, & inter hæc, pecuarium canem, qui populariter nuncupatur, *Mastino*; ipsi quoque, vti puto, suo cognomini alludentes.

Alterum est dictio illa, *Mastino*, qua in allatis versibus vtitur Danthes, ad significandos duos illos viros, quorum seniori Malatesta proprium nomen erat, iuniori verò Malatestinus; vt vidimus, obseruare Landinum. Quanuis enim, Expositores Danthis (vt ipse Landinus, Velutellus, & alij) dictionem hanc, *Mastino*, velint hîc sumi à Poëta metaphoricòs; ita vt, quemadmodum significat hæc ipsa dictio in Etruscæ linguæ proprio sensu pecuarium canem (vt iam innuimus) atque adeo belluam feram, & mordacem, ità per eam hîc significare Danthes intenderit duos illos homines feros, & crudeles; attamen: quid prohibet, quin asseueremus nos, dictionem hanc, *Mastino*, handquaquam hîc stare metaphoricòs, at proprium fuisse tunc temporis Cognomen ipsius Malatestæ, ac Malatestini, per eam denotatorum, aut eorum saltem, vnde hi fuerunt olim exorti? Certè, fatetur

Lan-

Landinus, ibidem, solere Danthem designare viros, de quibus loquitur, vel ex Insignijs, ac Stemmate, vel ex Patria, vel ex Cognomine, vel ex Agnomine, & similibus; quod etiam vnicuique patet, ipsius legenti Poëma. Præterquam quòd, si dictionem, *Mastino*, in ternario iam exscripto, in quo aliæ Metaphoræ non desunt, non metaphoricè, sed, vti Cognomen accipiamus; longè magis perspicuus, ac longè magis remotus ab ænigmate, stylus illius euadet. Quam virtutem, etiam in Poëmatibus grandiloquentibus requiri; Auctor est ipse Aristoteles, videndus, & Rhetoricorum 3. cap. 3. & Poëtices, cap. 21.

Quæ omnia si dici possunt; en eiusdem Patriæ, Stemmatis eiusdem, eiusdémque Cognominis; Malatestas, & Mastinos.

Ex his ergo, iudicet vnusquisque: Num bene dictum, & assertum sit; Mastinos homines, vti consanguineos, à Malatestis Principibus fuisse quondam tractatos: & ex his; & ex illis, quæ his præmisimus; num Iacobus noster, qui de Gente fuit Mastina; iurè, ac meritò prædicari, ac præsumi possit, ac debeat fuisse bono de genere ortus, naturalémque Bonitatem sortitus. Ob id enim tantùm, & quasi necessitate addactus; in huiuscemodi, à quibus alióquin abhorreo; sum ingressus.

DISTINCTIO TERTIA.

Num fuerit bonus Mastinus idem, etiam Bonitate morum, & Christiana. Et clauditur demum, ad octauum Argumentum, Responsio.

50 SEd, quod attinet ad Bonitatem Christianam, & morum: axioma tertium, apud citatum Barbo-

ſam, ibidem, obſeruo, quod illud eſt; *Ex educatione bona, bonus vnuſquiſque* (Chriſtianè, videlicet, atque moraliter) *præſumitur*.

Bonæ porrò educationis partes duas eſſe; nimirum, educandum informare ad Pietatem, & eundem ad bonas artes erudire; Lateranenſe Concilium, ſub Leone X. ſeſſ. 9. cap. 7. planè declarat. Ibi enim, ſcholarum Magiſtris, quorum eſt munus, educare bene pueros, diſtrictè præcipitur; vt illos, nedum Grammatica, Rhetorica, ceteríſque huius generis inſtituant; ſed ijs multò maximè, quæ ſpectant ad Religionem, & mores. Quod alteri quidem ſententiæ congruit, quam, ex Sancto Ambroſio, loco illi, ex Eccleſiaſtici capite vndecimo. *In filijs ſuis cognoſcitur vir*, appendit Ordinaria Gloſſa; dum, *Vnuſquiſque*, inquit, *in filijs ſuis æſtimatur, ſi bene filios ſuos inſtituit* (en mores, & Religio) *& diſciplinis erudiuit*; en artes bonæ.

Iam verò: quàm eruditus litteris fuerit Iacobus noſter; ipſius tam erudita Scripta, quæ præ manibus habemus, & alia; plùs, quàm ſatis, teſtantur.

At, quàm bonis moribus, quámque pius extiterit: valde multum ſigni dat, cùm, ipſius Chriſtiani animi tanta demiſſio, quantam, & Epigrammate illo Nuncupatorio, & ijs terminantibus Iambicis, quæ, vbi neceſſe fuit, à nobis exſcripta ſunt, admodum extenuando ſua (vt videre potuimus) præ ſe fert; tum maximè, tanta ipſius in Chriſti Matrem Deuotio, quantam, pangendo in eiuſdem Laudes, tum vtrunque Carmen, quod nunc ita diſſertandi materiam præbet, tum alia quædam quoque, quorum aliquid referendi, hactenus nobis nulla ſeſe obtulit occaſio; demonſtrat.

60 Nam (vt loquamur de animi demiſſione, quam Humilitatem dicimus) Tota ſanè Pietas, ac tota Chriſtianorum

norum Bonitas morum, *in vera, & voluntaria Humilitate* (rotundis, clarísque verbis, inquit Sanctus Leo Papa, scribens ad Dioscorum) *consistit*. Cui concinit etiam, epistola 56. Sanctus Augustinus; dum ait; *Si quæras, quæ via sit; ad obtinendam veritatem, quidque primum sit in Religione, & disciplina Christi; respondebo, primum est Humilitas. Quid secundum; Humilitas. Quid tertium; Humilitas. Et quoties interrogabis, toties hoc dicam.*

61 Vt verò, de Deuotione quoque in Christi Matrem verba faciamus: Certum est: illum esse verè pium, qui verè deuotus est. Pietas enim illa, quæ (vt lib. 10. De Ciuit. Dei, cap. 1. Sanctus idem Augustinus fatur) *Dei cultus intelligi solet, quam Græci, εὐσέβειαν, vocant* (de hac enim nobis est nunc sermo) non nisi Religio est: *Quæ sola Deo debitum affert cultum*, ex Sancto Thoma, 2. 2. q. 81. a. 6. c. & alijs in locis. Inter principales autem Religionis actus, qui sunt interiores; primus ab eodem Sancto Thoma (eâdem 2. 2. q. 82.) ponitur Deuotio. *Deuotio* verò (vt idem, ibidem, a. 2. c. docet) *nihil aliud esse videtur; quàm voluntas quædam, promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad diuinum famulatum*. Tradit porrò promptè se ad ea, quæ pertinent ad diuinum famulatum ille; qui, diuinæ gratiæ dono, in Christianis proficit virtutibus. Etenim (quod idem Sanctus Thomas, De Spiritualibus creaturis, quæstione 5. quæ, De Charitate, est, a. 2. c. & alibi, apertè scribit) est exploratum: inter conditiones, quæ sunt virtutis, illam etiam esse, vt homo per virtutē ad bonum promptè operetur; in quo quidem Deuotio (quod modò vidimus) est sita. Verùm: Christianis in virtutibus, is proficit; in quo diuinæ Prædestinationis executio passiuè insit, dum hanc vitam viuit: hoc est (eodem Sancto Thoma, 1. p. q. 23. a. 2. Doctore) in quo vsu comprobetur, quod Sanctus Apostolus Paulus, ad Romanos, 8. scribit;

ſcribit; dum, *Quos prædeſtinauit*, inquit, *hos & vocauit; quos vocauit, hos, & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit*; ſiue (vt Sanctus Anſelmus, ibi, & Sanctus Thomas, tum, ibi, tum, citato loco primæ Partis, legunt) *illos, & magnificauit*. Quandoquidem, *illos & magnificauit*, non eſt aliud; quàm (vt hi, Sancto Ioanni Chryſoſtomo, Theophylacto, ceteríſque, quorum Cornelius à Lapide meminit, ibidem, conſentientes, exponunt) in hac vita, *per profectum virtutis, & gratiæ*, celebres reddidit, & magnos; vt exaltaret in altera, per gloriam. Sed, executio demum Prædeſtinationis diuinæ, dum hanc vitam viuit, eſſe quidem in illo, maximè creditur; qui Chriſti Matri verè ſit deuotus. Vera nanque in Chriſti Matrem Deuotio (vt multis probat Ioannes Baptiſta Nouatus, De Eminentia Virginis, tomo 2. cap. 12. q. 8.) ſanè maximum eſt Prædeſtinationis argumentum. Ergo, qui Chriſti Matri verè deuotus eſt; hic ſimpliciter eſſe verè deuotus, eſt credendus. Ergo, à primo ad vltimum: ſi verè pius eſt, qui verè deuotus eſt; ille verè pius eſt credendus, qui eſt Chriſti Matri verè deuotus.

62 Atque ita: per Humilitatem, ac per Deuotionem in Matrem Chriſti, quibus inſignitum, iam vidimus, fuiſſe Maſtinum; verè bonis, & Chriſtianis moribus, ac verè pariter pius idem fuiſſe, concluditur. Quibus bonis, & Chriſtianis moribus, ac Pietati, ſi eruditio iungatur, quam educationis bonæ partem alteram indicauimus; bene inſuper educatus elucet, ex omni parte. Si bene tandem educatus ex omni parte; bonus extitiſſe moraliter, & Chriſtianè, dum viueret, axiomati congruenter, quod vltimo poſuimus loco, præſumendus eſt. Cui Bonitati, ſi adiungatur altera, de qua primò diſſeruimus, Bonitas, nempe, naturalis; en Maſtinum omni Bonitate bonum; en tandem illum (iuxta primam ex tribus præmiſſis Legem,
cui

cui tantùm componendus erat) omniquaque dignum fide; tametsi Carmina illa, quorum Relationi adhæremus, de sua Patria condiderit. Et hoc pacto, responsum sit ad octauum argumentum.

DISTINCTIO QVARTA.

Impugnatur modo conclusa Responsio; & adhibetur Impugnationi prima Solutio.

63 SEd esto, vera videantur, quæ sunt illata; si aspiciantur tantùm in summo: at enim: apparenti Bonitati Christianæ Mastini, vtique illud, in quo huiusce-modi Bonitatis forma consistit; omni deest ex parte.

Quis enim ignoret, Christianæ Bonitatis formam sitam esse in Charitate? Sanè, quia sine Charitate, tanquam formâ, Christiana Bonitas non est (forma siquidem, iuxta placitum peruagatissimum Philosophorum, dat esse rei) Beatus Apostolus Paulus, 1. ad Corinthios 13. Quicquid absque Charitate ageret, se proinde (quod ad Christianam Bonitatem spectat) nihil esse; disertè confitetur. Et ad Colossenses, 3. addit, Charitatem vinculum esse perfectionis. Quia, *Ista* (inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus, ibi, Homilia 8.) *constringit, & complectitur omnia; & quodcunque bonum dixeris, nisi adsit Charitas, nihil est, sed planè diffluit:* eo prorsus modo, quo, recedente forma, dici potest, vnumquodque nihil esse propemodum, sed diffluxisse; cùm sit propterea corruptum. At verò: duo respicit huiusmodi Charitas: Deum, nimirum, & proximum. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo* (cum reliquis) *& proximum tuum sicut teipsum*; Deuteronomij 6. Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 10. *Et hoc mandatum habemus à Deo, vt, qui diligit Deum,*

um, diligat, & fratrem; 1. Ioannis 4. Et est ita verum, quòd, qui diligit Deum, diligere debeat, & fratrem: vt, si fratrem non diligit, in ipso Dei dilectio penitus esse non possit. *Si quis dixerit* (inquit ibidem Sanctus Ioannes) *quoniam diligo Deum, & fratrem suum odit: mendax est.* Id, autem: tum quia, *Charitas Dei se extendit ad Charitatem proximi, qui est imago Dei, eamque continet, & complectitur* (vt, ait ibi Cornelius a Lapide) & ideo Charitas Dei, sine Charitate proximi, esse non potest; tum, quia mandatum habemus, quod iam vidimus, vt proximum diligamus; quia frater est. *Et, si frater est* (vti Sanctus Augustinus, apud eundem Cornelium, loquitur) *& non diligis: quo modo, Deum diligis, cuius mãdatum contemnis?*

64 Porrò: suis ipsis verbis conuincitur Mastinus, proximum non dilexisse. Obseruauimus enim suprà, illum adducere causam, quare, proprio nomine Florentinorum, siue Etruscorum Doctores, in Opusculo suo, non expresserit: & eius quosdam Versus, vbi hanc causam declarat; attulimus. Hi verò, si pensiculentur Versus: palam omnino fiet; nil aliud esse huiusmodi causam, nisi odium, liuorémque vindictæ, in proximum. Si res autem, sic se habet: Quo modo, proximum dilexisse, quibit affirmari Mastinus? Nisi proximum dilexit: Quo modo, quibit idem affirmari, Deum ipsum dilexisse? Nisi dilexit ipsum Deum, neque proximum: Quo modo, fuisse Charitas in illo, quibit affirmari? Nisi demum Charitas in illo fuit, quæ est Christianæ forma Bonitatis; Quo modo, affirmari, vel præsumi tandem quibit, fuisse Christianè bonus ipse, dum viueret?

65 Sed huic impugnationi

Respondeo primò. Ad hoc, vt Historicus fide sit dignus; non esse quidem necesse, vt sit vndequaque bonus:

hoc

hoc est, vt sit bonus, nedum aliâ, sed præsertim perfectâ, Christianâ, formalique Bonitate; cuius Bonitatis (iuxta Theologos) ipsa Charitas est forma. Secùs enim, & Liuius, & Cæsar, & Salustius, & Tacitus, & ceteri pariter quamplures Gentium Historici, perfectâ, Christianâ, formalique Bonitate carentes, fide digni non essent; quod nemo concesserit: sed sufficere, vt sit bonus Bonitate quadam, quæ Christianæ Bonitati comparata (secundùm Theologos) imperfecta dicitur, ac materialis: Bonitate, nimirum, illa, quæ moralis nuncupatur; quæ (vt ait Caietanus, loco mox citando) à Philosophis putatur etiam perfecta, in suo genere; quæ demum talis est, non in ordine ad vltimum, ac summum bonum, quod est Deus; at in ordine duntaxat ad bonum proximum, ad bonum, inquam, humanum, politicum, & ciuile. Et, cùm tali Bonitate (de qua, tum redibit fortè sermo aliquis inferiùs, tum, quod interim nunc adnotaui, nititur ijs, quæ tradunt, & Sãctus Thomas, & Caietanus (alijs omissis locis) in 2. 2. q. 23. a. 6.) fuerint conspicui multi quoque Gentilium (& vt est, quasi per se notum, & vt ex ijs apparet, quæ habet idem Sanctus Thomas, 1. 2. q. 55. a. 2. c.) quales inter ceteros fuerunt Historiarum illi Scriptores, qui modò sunt enumerati, ac similes ipsis; hæc est proinde causa, quare, hi soleant haberi digni fide.

66 Iam verò (vt ad Mastinum nostrum veniamus) bene fuisse illum educatum, paulò antè probauimus, ex duobus illis; quia, & litteris eruditus, & humilis, deuotúsque, in Deiparam, agnoscitur. Ceterùm: Deuotio (quod in superioribus aduertimus) Religionis est actus. Indicat ergo Religionem, tanquam habitum; vnde procedat in Mastino illa ipsius Deuotio. Quandoquidem, per actus, habitus cognoscuntur; vt in 2. 2. q. 4. a. 1. c. & alibi, discimus ex Sancto Thoma. Ab eodem autem, ibidem, &

Reli-

Religionem, quæſtione 81. & Humilitatem, Quæſtione 161. inter morales virtutes, videmus collocatas. Si ergo, humilis, ac deuotus Maſtinus, & educatus proinde bene; en illum, etiam proinde, moralibus virtutibus, minimum, duabus, Religione, videlicet, atque Humilitate, ſpectabilem.

Verùm: erant in Maſtino (ſi cum Caietano, 1.2.q.65. a.1.verſ. *In articulo primo*, loqui velimus) duæ morales virtutes huiuſmodi, ſtatum virtutis habentes: hoc eſt (vt declaremus cum eodem, eo loci) tales erant; vt per illas operaretur Maſtinus, & ſciens, & eligens, & immobiliter. Quòd per illas operaretur ſciens, & eligens, voluntariè, ſcilicet, ac propter bonum rationis; eſt, vt verum ſupponendum, niſi contrarium probetur: quod nunc, vt, in ſimilibus, aliàs dixi; non poteſt. Quòd operaretur immobiliter; patet ex eo, quòd non vnicum virtutum harum actum: ſed multiplicem ipſo in Maſtino iam animaduertimus. Hæc autem virtutis actuum vtriuſque multiplicitas (vt eſt clarum) eorundem actuum vniformitatem arguit: & vniformitas (vt ratiocinari, congruenter Sancti Thomæ fundamentis, De Spiritualibus creaturis, quæſt. 4. quæ De Virtutibus in communi eſt, art. 1. corp. facilè poteſt) arguit immobilitatem operandi.

Quod, ſi eſt ita: concludi conſequenter debet, fuiſſe in Maſtino, non duas tantummodo memoratas virtutes morales: ſed (ſaltem in potentia propinqua, & quantùm ad præparationem animi) ceteras etiam. Virtutes morales nanque, ſtatum virtutis habentes (vt eſt explicatum) ſunt inuicem connexæ; & vna ſine altera, minimum, dicto modo; eſſe non poſſunt. Videatur Sanctus Thomas, cum Caietano, proximè citato loco Primæ Secundæ; quibus, hac in re, multi putant, nullum, ſaltem in ſubſtantia, contradicere.

En

En itaque, propter hæc, Mastinum nostrum virtutibus, cunctis moralibus exornatum. En illum insignem Bonitate morali, Bonitate, inquam, illa, quæ sufficit prorsus, vti firmauimus; ad fidem tribuendam Historicis.

67 Attamen (quò Responsionem concludam) addo præterea: vt Historiarum Scriptores digni fide sint, sufficere duntaxat illud; vt naturali quadam Bonitate sint prædíti: hoc est, vt, suapte natura, sint à mendacijs abhorrentes; quales, ingenui viri, quíque de bono genere sint orti; esse consueuerunt. Et idcirco: supra posita prima Regula ex Cano; disiunctiuè, quantùm ad istud, & alternatim, loquebatur; si meminimus. Cùm ergo iam, item suprà, fuerit primo loco monstrata naturalis Mastini Bonitas, non parcè; Bonitas eiusmodi per se sola satis erat, ac super; ad illi fidem integram conciliandam. Ac proinde: quod ampliùs de Christiana, moralíque Bonitate subiecimus; hoc ex abundanti sanè factum est, ex necessitate, non item.

Quando nihilominus, illum etiam Christianè, ac moraliter bonum, nec immeritò, sed iurè definiuimus; adhuc in sententia persistentes, quemadmodum antea, respectu Bonitatis moralis, reiecimus impugnationem; sic eadem reijcienda quoque deinceps est, in Distinctione sequente; respectu Bonitatis Christianæ. Atque ita, Mastini fides adaugebitur, & elucescet multò magis.

DI-

DISTINCTIO QVINTA.

Ostenditur, Versus Mastini, tactos in Impugnatione, nihil obstare; quò minùs ipse Christianè bonus fuisse, possit verè præsumi. Quæ, ad prædictam Impugnationem, est secunda Responsio.

QVoniam, est ostendendum hoc, non nisi prædictos Versus ponderando; quæ ponderatio quidem discursum satis diffusum exposcit, & varia; proinde, Subdistinctionibus vtar, vt consueui.

SVBDISTINCTIO PRIMA.

Posita primùm Responsione promissa: ad illam aperiendam, exscribuntur iterum dicti Versus; ac trutinantur summatim. Demum, indicatur ordo, in ijs trutinandis particulatim, seruandus.

68 AD impugnationem igitur primò solutam, nunc iam secundò respondeo: Nihil, nimirum, obstare Versus illos, de quibus facta est mentio; quin affirmari possit, fuisse in Mastino, dum viueret, erga Deum, & proximum Charitatem; &, quin proinde præsumi possit, fuisse tunc eundem bonum Christianè. Quod, vt aperiam, iterum exscribendi sunt ijdem Versus; & summatim, & particulatim trutinandi. Versus ergo hi sunt.

Ductores, Lector, sileo, ne fama perennet,

Quos

Quos habet hic odio Tractus, venturaque semper
Posteritas habitura, pijs quò nulla supersit
Gloria Carminibus, qui longo parta labore
Diripere, et nosmet medio de tollere, adorti
Immeritò.

Et suprà hîc steti. Nunc autem paulò procedens vlteriùs, paucula quædam addo; quæ proximè, post præmissa, leguntur, hoc modo.

—— Ah, sæuos cui non odisse Tyrannos
Fas, et iurè licet?

Nec plura.

69 Sed summatim Versus trutinantibus, vt aiebamus; illico nobis quinque dantur agnosci. Primò: quòd, Hostilis exercitus Ductorum, ideo nomina siluit Mastinus; ne suis Carminibus, quæ, ex fine, Deiparam (sicuti iam obseruauimus) laudandi, vocitat etiam pia; fama illorum perennaret, & gloria. Secundò: quòd, Noluit famam illorum, gloriámque perennare propterea; quòd, Feretranus, ac Patrius Tractus totus odio illos haberet; esśetque habiturus in posterum. Tertiò: quòd, Feretranus, ac Patrius Tractus totus odio illos habebat, erátque in posterum habiturus, ea de causa; quia, immeritò, ac tyrannicè tentarunt illi, de medio tollere ibi homines, ac rem cunctam eorum diripere: Fásque, ac licitum omnibus sit, talia, talitérque tentantes odisse. Quartò: quòd hoc vltimũ, quod duo complectitur, nimirum, Tentasse illos immeritò, ac tyrannicè, quæ tentarunt; Esséque fas, ac licitum odisse, sic similia tentantes; cùm appareat immediata causa, quare, memoratus Tractus haberet eosdem odio, deincépsq; habiturus esset; causa fuit mediata duorum reliquorum, quæ huiusmodi odij, alterum tamen proximè post alterum, noscuntur effecta: cùm, *Quòd est causa causæ, sit etiam*, vt aiunt, *causa causati*. Atque adeò tandem quintò: quòd,

hoc idem vltimum prima fuit, ac principalis causa ceterorum omnium: quia (vt Sanctus Thomas, 3. p. q. 51. a. 1. c. notauit ex ipso Aristotele) ***Quod est omnium causa, quæ sunt post illud; est, in genere quocunque, primum.***

Quare (vt iam descendamus, ad Versus particulatim trutinandos) ordinis ratio poscit, vt hanc ipsam eorundem vltimam particulam, primo loco, perpendamus; quæ causam continet (vti conspeximus) vniuersorum. Hac enim perpensa, perpensæ pariter, fere paucis additis, ordinatim emergent & reliquæ; cùm, in suis causis, lateant effectus quicunque.

SVBDISTINCTIO SECVNDA.

Trutinatur primum, quod continetur vltima Versuum particula.

70 AT (quod spectat ad primum duorum, quæ clauduntur huiusmodi particula, nempe, ad illud, quòd Hostilis exercitus Ductores, immeritò, ac tyrannicè tentarunt ea, quæ dicta sunt) Num, re vera sic obtigerit, vt Mastinus enarrat; indaget, quæso, candidus Lector hoc ipsum ex Historicis ijs; quos allegaui superiùs, tum, Prima Parte, q. 3. Sect. 1. num. 70. tum etiam, Quæst. hâc eâdem num. 49. quiq; hac in re, non ego, sunt Auctores.

Mihi enim ipsi, ad præsens, illud vnum obseruare, sat est: quòd, vtique putauit Mastinus, & iudicio practico, moraliter certo, formidinémque oppositi penitus excludente, iudicauit; Immeritò, vt ait, atque tyrannicè, Tuscos isthæc arma tentasse.

Quòd autem hoc ipsum crediderit, & ita iudicauerit; apertè ostendunt ipsius verba. Cùm nanque dicit, ***Qui longo parta labore diripere, & nosmet medio de tollere ad orti***

(sunt)

(sunt) *immeritò*; quicunque legens intelligit, illum, non dubitando quidem, sed asserendo loqui: & præter hæc, neutiquam vti verbis ambiguis, quæ (vti tradit Sanctus Thomas, 3. p. q. 60. a. 3. ad 1.) significant multa; sed claris, quæ (vt habet Barbosa, De Axiomatibus, axiom. 222. num. 32.) non admittunt interpretationem, neque voluntatis coniecturam. At illum, qui non dubitando, sed asserendo, loquitur; & loquendo, non ambiguis, & significantibus multa, sed claris, interpretationémque, & coniecturam admittentibus nullam, vtitur verbis; ita credere, iudicióque moraliter certo, iudicare, vt verba sonant; indubitabile quidem est.

71 Hîc tamen præteriri nequaquam debet: quòd, practicum huiusmodi iudicium id efficit, ex prædicta morali sua certitudine; vt operans, quod, secundùm illud iudicatum sit, esse rectum, & honestum; rectè pariter, & honestè, & absque peccato, semper operetur: etiamsi fortè, opus in se non sit absolutè rectum, & honestum, & non peccaminosum. Et huius rei ratio est: quia, tunc actus humanus est rectus, honestus, & non peccaminosus, quādo est prudens. Est porrò prudens; quando ducit originem ex iudicio Prudentiæ: quod sanè supponit solùm diligentem, &, iuxta capacitatem humanam, sufficientem rei considerationem; post quam, contrarium nullo modo possit videri (iuxta eandem capacitatem) probabile; licèt fortè in se tale sit; imò, licèt fortè pariter in se, sit etiam certum. Hoc enim est iudicium, quod dicitur moraliter certum; non autem illud; cui falsum absolutè subesse non potest: quale est iudicium certum certitudine mathematica; vt, cùm iudicamus, exempli gratia, duo, & tria conflare quinque. Sed his de rebus alibi quoque loquemur.

Ceterùm: quod de effectu iudicij practici moraliter certi, modò statuimus, est ita verum; vt à Doctoribus, qui

hoc idem vltimum prima fuit, ac principalis causa ceterorum omnium: quia (vt Sanctus Thomas, 3. p. q. 51. a. 1. c. notauit ex ipso Aristotele) *Quod est omnium causa, quæ sunt post illud; est, in genere quocunque, primum.*

Quare (vt iam descendamus, ad Versus particulatim trutinandos) ordinis ratio poscit, vt hanc ipsam eorundem vltimam particulam, primo loco, perpendamus; quæ causam continet (vti conspeximus) vniuersorum. Hac enim perpensa, perpensæ pariter, fere paucis additis, ordinatim emergent & reliquæ; cùm, in suis causis, lateant effectus quicunque.

SVBDISTINCTIO SECVNDA.

Trutinatur primum, quod continetur vltima Versuum particula.

70 AT (quod spectat ad primum duorum, quæ clauduntur huiusmodi particula, nempe, ad illud, quòd Hostilis exercitus Ductores, immeritò, ac tyrannicè tentarunt ea, quæ dicta sunt) Num, re vera sic obtigerit, vt Mastinus enarrat; indaget, quæso, candidus Lector hoc ipsum ex Historicis ijs; quos allegaui superiùs, tum, Prima Parte, q. 3. Sect. 1. num. 70. tum etiam, Quæst. hâc eâdem num. 49. quiq; hac in re, non ego, sunt Auctores.

Mihi enim ipsi, ad præsens, illud vnum obseruare, sat est: quòd, vtique putauit Mastinus, & iudicio practico, moraliter certo, formidinémque oppositi penitus excludente, iudicauit; Immeritò, vt ait, atque tyrannicè, Tuscos isthæc arma tentasse.

Quòd autem hoc ipsum crediderit, & ita iudicauerit; apertè ostendunt ipsius verba. Cùm nanque dicit, *Qui longo parta labore diripere, & nosmet medio de tollere aaorti*

(sunt)

(sunt) *immeritò*; quicunque legens intelligit, illum, non dubitando quidem, sed asserendo loqui: & præter hæc, neutiquam vti verbis ambiguis, quæ (vti tradit Sanctus Thomas, 3. p. q. 60. a. 3. ad 1.) significant multa; sed claris, quæ (vt habet Barbosa, De Axiomatibus, axiom. 222. num. 32.) non admittunt interpretationem, neque voluntatis coniecturam. At illum, qui non dubitando, sed asserendo, loquitur; & loquendo, non ambiguis, & significantibus multa, sed claris, interpretationémque, & coniecturam admittentibus nullam, vtitur verbis; ita credere, iudicióque moraliter certo, iudicare, vt verba sonant; indubitabile quidem est.

71 Hîc tamen præteriri nequaquam debet: quòd, practicum huiusmodi iudicium id efficit, ex prædicta morali sua certitudine; vt operans, quod, secundùm illud iudicatum sit, esse rectum, & honestum; rectè pariter, & honestè, & absque peccato, semper operetur: etiamsi fortè, opus in se non sit absolutè rectum, & honestum, & non peccaminosum. Et huius rei ratio est: quia, tunc actus humanus est rectus, honestus, & non peccaminosus, quãdo est prudens. Est porrò prudens; quando ducit originem ex iudicio Prudentiæ: quod sanè supponit solùm diligentem, &, iuxta capacitatem humanam, sufficientem rei considerationem; post quam, contrarium nullo modo possit videri (iuxta eandem capacitatem) probabile; licèt fortè in se tale sit; imò, licèt fortè pariter in se, sit etiam certum. Hoc enim est iudicium, quod dicitur moraliter certum; non autem illud; cui falsum absolutè subesse non potest: quale est iudicium certum certitudine mathematica; vt, cùm iudicamus, exempli gratia, duo, & tria conflare quinque. Sed his de rebus alibi quoque loquemur.

Ceterùm: quod de effectu iudicij practici moraliter certi, modò statuimus, est ita verum; vt à Doctoribus, qui

de Moralibus agunt, non reuocetur in dubium. Solùm disputant: Vtrum, quod conceditur tali iudicio; concedi etiam debeat assensui dictanti aliquid, cum formidine contrarij. Qua de re, videantur, qui sunt infrà citandi.

Sed, illud ad extremum de tali iudicio notandum est: quòd, memoratus effectus ei nullatenus tribuitur; si temerarium sit. Temerarium nanque iudicium, cùm ex leuibus rationibus concipiatur, longè abest à prudenti; sed est prorsus imprudens.

Verùm: in casu nostro, Mastini iudicium fuisse temerarium, nullus affirmabit. Quia, cùm de temeritate, quæ delicti rationem habet, constare non possit; ex illo axiomate, quo vsi sumus aliàs, *Delicta*, nempe, *non præsumuntur*; hoc sanè præsumi nunquam debet.

Et, ne multis: legantur de his omnibus, quæ toto hoc numero 71. scripta sunt; Caietanus in summula, verbo, *Opinione vti:* Lessius De Iustitia, & Iure, lib. 1. cap. 1. dubit. 1. num. 1. & 2. & lib. 2. cap. 10. dubit. 6. num. 39. & cap. 29. dubit. 2. num. 5. & Layman, Theologiæ moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 1. num. 3. & 4. Atque hæc de primo eorum, quæ comprehendit Versuum prima particula.

SVBDISTINCTIO TERTIA.

Trutinatur secundum, quod eadem vltima Versuum particula continetur. Vbi, An licitum sit, Tyrannos odisse.

DE huiusmodi secundo, nunc examinandum est; An illud sit verum. An, scilicet, absque nota falsitatis, & erroris affirmari possit; Fas, & licitum esse vnicuique indefinitè; Tyrānos, Reique publicæ inuasores odisse.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam verò talis examinatio paucis expediri non poteſt; hæc Subdiſtinctio (quod iam innuimus) erit rurſum partienda.

MEMBRVM PRIMVM.

Ad ſoluendam Difficultatem, ſupponuntur Fundamenta.

72 SVpponendum eſt igitur primò: quòd, Odium in aliquem non eſt aliud, niſi motus quidam appetitiuæ potentiæ; quo mouemur ad illius alicuius hominis malum appetendum, vel deſiderandum. Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 34. a. 1. c. & a. 6. ad 3. Et, vt ſciamus cauſas, cur, ad malum eiuſdem hominis deſiderandum, moueamur; idem Sanctus Thomas, cum Caietano, 1. 2. q. 29. a. 1. docent, hanc eſſe: quòd, eum apprehendimus, nimirum, vt repugnantem, & nociuum nobis; ex qua demum apprehenſione fit, in appetitu noſtro, quædam ab homine tali diſſonantia; quæ quidem nihil eſt, quàm appetitiuæ iſtiuſmodi potentiæ præmemoratus motus.

Contingit autem, nos dupliciter moueri, ad deſiderandum malum alicuius hominis: primò, propter illud ipſum tantùm; ſecundò, propter aliud.

Mouemur, ad deſiderandum alicuius hominis malum, propter illud ipſum tantùm: cùm, ſic moti, quieſcimus in eo malo, quatenus talis hominis malum eſt; & ad nihil reliqui, noſtra fertur intentio: vt, ſi quis, ad Sortis mortem deſiderandam, moueretur, & quieſceret in ea, quatenus eſt malum Sortis; nihil intendens præterea.

Mouemur, ad deſiderandum alicuius hominis malum, propter aliud: cùm, ſic moti, non quieſcimus quidem in

Digitized by Google

eo malo, vllo pacto; sed intentio nostra fertur principaliter ad aliquod bonum, ad quod, per talis hominis malum, peruenitur: vt, si quis moueretur, ad morbum Sorti desiderandum; nequaquam quiescens in illo morbo: sed principaliter intendens, eundem Sortem, per huiusmodi morbum, ad bonam frugem reduci.

Et quæ, de vtroque motuum istorum, hîc dixi; sunt elicita multis ex locis doctrinæ Thomisticæ: maximè verò, ex 1. 2. q. 6. a. 6. ad 1. & ex 2. 2. q. 25. a. 6. ad 3. & q. cit. 34. eodem a. 6. ad 3. & q. 108. a. 1. c.

73 Sed, inde sequitur: vt possimus etiam dicere; quòd, contingat, nos dupliciter aliquem hominem odisse: primò, propter malum ipsum tantùm, ad quod odium tendit, & hoc in primo ex dictis motibus consistit: secundò, propter aliud; & consistit hoc in secundo ex motibus ijsdem.

Nihilominus: tunc tantùm dicimur odisse formaliter, ac propriè; cùm odimus tantùm propter malum. Quia tunc tantùm, secundùm rationem formalem, idest, secundùm finem, (qui ex Sancto Thoma, 1. 2. q. 1. a. 3. c. & alibi dat speciem actibus humanis, & ideo dicitur formalis ratio) talis motus est actus odij. Cùm autem odimus propter aliud; tunc dici debemus, odisse materialiter tantùm: non verò formaliter, & propriè. Quia, cùm ratio formalis talis motus non sit malum, sed aliquid aliud; non malum: sed illud aliud ei dat speciem. Atque adeò quicquid ibi remanet odij; totum equidem, tanquam materiale prorsus, nullatenus verò, tanquam formale; se habet.

Quamuis porrò, cùm odimus aliquem, non propter malum, sed propter aliud, dici debeamus odisse materialiter tantùm, vt est assertum; attamen hinc non infertur: tunc nos dici non posse, nec debere, vllo modo; odisse simpliciter.

74 Pri-

74 Primò. Quia, occidit etiam non formaliter, sed materialiter tantùm, in ordine ad quintum Præceptum Decalogi, ***Non occides***; tum, qui publicam potestatem habens, & Iuris ordine seruato, maleficis mortem infert; tum, qui militans in bello iusto, mortem eripit hosti; tum, qui inuasus inuadentem iugulat, cum inculpatæ tutelæ moderamine. Et ratio est: quia, nullus istorum occidit, propter malum occisi: sed, vel propter bonum publicum, vti primus, & secundus; vel propter defensam inculpatam propriam, vti tertius. Malum autem occisi tantùm est id, vnde, tanquam à ratione sua formali, sumit speciem occidere formaliter, in ordine ad dictum quintum Præceptum: quo vetamur tantùm illud, quod est occidere, siue, quod est, occisio; prout rationem habet (vt ait Sanctus Thomas, 1. 2. q. 100. a. 8. ad tertium) ***indebiti:*** hoc est (vt explicat Sotus, lib. 5. De Iust. & Iure, q. 1. a. 3.) prout est ipso Iure naturæ quidpiam indebitum; tanquam nihil secum ferens, nisi malum, & nocumentum occisi. Et nihilominus, quicunque ex tribus memoratis, dum alterum è numero viuentium tollit, propter fines explicatos duntaxat, atque adeò, dum occidit materialiter solummodo; non titubanter: sed sine vllo scrupulo, dicitur à Scriptoribus, occidere simpliciter. Qua in re, audiantur Sanctus Augustinus, & Sanctus Thomas, qui sanè sunt Magistri ceterorum. Ille nanque (libro 3. De Libero Arbitrio, cap. 4. id quod refertur etiam, in canone, ***Si homicidium,*** 23. q. 5.) loquendo de habente potestatem publicam, ac de milite; scribit hoc modo. ***Et miles hostem, & index, vel minister eius nocentem, non videntur peccare, cum hominem occidunt.*** Hic verò, 2. 2. q. 64. a. 2. c. de habente publicam potestatem, facit hæc verba. ***Si aliquis homo sit periculosus communitati, & corruptiuus ipsius, propter aliquod peccatum; laudabiliter, & salubriter occidetur.***

Et, a. 7. in, *Sed contra*, de se ipsum inculpatè defendente, facit hæc alia. *Si aliquis occidat aliquem, pro defensione vitæ suæ; non erit reus homicidij.* Ecce autem, quàm liberè, quámque clarè, hi duo maximi Doctores vtuntur verbo, *occidere*, simpliciter, cùm de occisione materiali tantùm est sermo. Quid ergo prohibet, quin liberè, & clarè vnusquisque vtatur etiam, *odisse*, verbo simpliciter, cùm de materiali solùm disserit odio; si (vt ex dictis apertè patet) horum vtrunque, *odisse*, nimirum, atque ipsum, *occidere*, tum quantùm ad formale suum, tum quantùm ad materiale, pari omnino passu procedit?

75 Secundò. Quia illa entitas, quæ est, *odisse*, materialiter, & non formaliter (formaliter enim supponitur esse aliud, vt mox patebit) potest considerari dupliciter. Vno modo, quantùm ad materiale; altero modo, quantùm ad suum formale. Si consideretur, quantùm ad materiale; est in actu. Et ratio est: quia sic, est motus quidam appetitiuæ potentiæ, quod iam aduertimus: motus autem (vt, in 3. Physicorum à textu 6. ac deinceps, edocemur) non est, nisi quidam actus. Si verò consideretur, quantùm ad formale; non est in actu. Sic enim formale, siue ratio formalis ipsius entitatis, est (vti notauimus) finis; qui illam causat: verùm, longè tritissimum est: finem, dum causat, in apprehensione tantùm esse; non in actu: quod, apud Sanctum Thomam, 1. 2. q. 1. a. 1. ad 1. & quamplurimis alijs in locis, & apud ceteros, legi potest. Ergo eadem entitas, quantùm ad materiale, est simpliciter; &, quantùm ad formale, est secundùm quid. *Vnumquodque enim* (vt habet effatum illud indubitatum, apud eundem Sanctum Thomam, eadem 1. 2. q. 6. a. 6. c.) *simpliciter esse dicitur, secundùm quòd est in actu: secundùm autem, quòd est in sola apprehensione, non est simpliciter; sed secundùm quid.* Sed, quantùm ad materiale;

in

Digitized by Google

in entitate huiusmodi, non est aliud in actu; nisi motus, ad desiderandum malum, quod est, *odisse*: vt, ex odij definitione supra posita, bene constat. Ergo, *odisse*, ibi est simpliciter. Sed istud, *odisse*, est, *odisse*, materialiter tantùm, vt item est iam probatum; ergo, *odisse*, materialiter, est, *odisse*, simpliciter.

76 Tertiò. Quia Caietanus, 1. 2. q. 29. a. 1. Azorius, Institutionum moralium parte 1. lib. 3. cap. 12. q. 2. Layman, Theologiæ moralis lib. 2. tract. 3. cap. 8. n. 1. & alij, loquentes de odio; post assignatam definitionem eius, diuidunt illud, vti genus, in species duas: quarum alteram appellant odium personæ, vel odium inimicitiæ; & est idem ipsum, quod nos dicimus odium formale; alteram verò vocant odium qualitatis, vel abominationis; quod odiũ nos materiale nuncupamus. Hoc posito: veras omnino esse oportet propositiones huiusmodi. *Odium personæ, siue inimicitiæ est odium*. Et, *Odium qualitatis, vel abominationis est odium*. Quia, tam primum, quàm secundum odium (vt modò, per citatos Doctores, videbamus) est odij species: &, iuxta Logicas Regulas, omnino vera est illa propositio, vbi genus de sua specie prædicatur. Sed, ex his propositionibus duabus apparet; tam de primo, quàm de secundo odio prædicari odium, absque vllo addito (vt aiunt) ac simpliciter. Ergo, tam primum, quàm secundum odium, hoc est, tam odium formale, quàm odium materiale; est odium, absque addito, ac simpliciter. Et sic (vt in nostra formula dicendi persistamus) *odisse*, materialiter, est, *odisse*, simpliciter.

77 Supponendũ est secundò: quòd, Contingere potest, vt quispiam oderit aliquem, propter aliud, multipliciter. Primò, propter aliud, quod sit bonum ei, quem sic odit: vt, si quis peccatori desideret, vel morbum, vel iacturam aliquam rei familiaris; vt resipiscat à peccatis, & ad Deũ con-

conuertatur; vel saltem, ne bonorum suorum temporalium, totam substantiam perdat: vel, si quis in peccandi libidine obstinato, de quo magis præsumendum videatur nocumentum aliorum, quàm illius propria emendatio, mortem desideret; vt sic, & peccandi, ac nocendi finem faciat; & apud Inferos postea, mitiùs puniatur. Secundò, propter aliud; quod sit bonum Communitati, ac Reipublicæ: vt, si quis alicui scelesto, de salute cuius iam videtur desperandum, ne ampliùs Communitatis pacem turbet, & quietem, interitum exoptet; vel, si quis exoptet idem inuadenti Rempublicam iniustè, ne ipsa Respublica sua libertate, vel suo Principe Legitimo priuetur; vel, si quis idem pariter, & ad eundem finem, exoptet ei, qui iam Rempublicam inuasit iniustè, & nunc illius iniustè similiter occupat, ac tenet Principatum; vel, si quis eidem, qui Rempublicam iniustè inuasit, & ab ea tandem iustè pulsus est, grauem tamen aliquam appetit pœnam, ob iniurias, & honoris detrimenta grauia, quæ ille intulit inuadendo, pro quibúsque non satisfecit. Tertiò, propter aliud, quod sit bonum ipsi, qui sic odit: vt, si quis inuasus, vel in corpore, vel in honore, vel in bonis, cupiat inuadenti necem, in defensam propriæ vitæ, honoris, ac bonorum: vel, si quis inuasus eodem modo, quin, & iniuriam, atq; honoris detrimentum passus, præter hæc; ei, qui se sic iniuriosè, damnoséque iam inuasit, mulctam velit; qua iniuriæ, iacturæque suæ reparentur. Quartò, propter aliud, quod eidem, qui sic odit reputetur esse bonum, licèt re vera tale non sit: vt, si quis videns alicuius multiplicari gloriam, ac timens proinde, ne decrescat sua; ignominiam illi auet. Quintò tandem, propter aliud, quod sit bonum alteri: vt, si quis propter bonum alterius concupiscat alicui malum, in casibus illorum similibus (mutata nihilominus persona propria, in alterius personam)

nam) qui sunt pro exemplis positi, cùm quispiam odit aliquem, propter proprium bonum. Atque ad quinque huiusmodi capita, puto ipse reduci modos omnes; quibus accidit, vt aliquis alterum oderit, propter aliud. Exempla verò, & casus, præter illos, qui sunt allati; possunt esse quamplures, ac diuersi. Videatur, inter ceteros, Diana, parte 5. tractatu 4. per totum.

78 Supponendum est tertiò: quòd, Potest contingere: vt, qui dicta mala desiderat, in casibus prædictis, propter aliud; sanè desideret illa, tanquam media necessaria prorsus ad illud aliud, ita vt, sine talibus medijs, ad illud aliud peruenire non possit; vel desideret illa, tanquam media non necessaria. Item: vt desideret illa efficaci voluntate; vel voluntate inefficaci. Item: vt desideret esse illa, vel maiora, vel minora, vel æqualia, in ordine ad ea mala, quibus ille sit liberandus, qui patitur. Hæc enim à malis Liberatio est illud, ***propter aliud***, explicatum; vt benè constat ex iam scriptis. Item: vt desideret illa, inferenda, vel ab ipso Deo; vel ab habente potestatem publicam; vel à semetipso. Item: quando desiderat, à semetipso inferenda; vt inferenda desideret, vel cum inculpatæ tutelæ moderamine; vel sine. Item denique: vt desideret illa propriè, ita vt huiusmodi mala, tanquam ad finem necessaria media, cadant, vna cum fine, sub intentione; vel desideret illa impropriè, ita vt finis tantùm sub intentione cadat; mala verò, ex necessitate finis, præter intentionem, emergant.

79 Supponendum est demum quartò: quòd, Tyrannus est duplex. Alter, in modo regendi, duntaxat: vt ille, qui, etsi sit verus Princeps; Principatum tamen, non ad publicum bonum flectit: sed ad sua tantùm priuata compendia, cùm communi damno subiectorum. Alter verò, in ipso iure, ac titulo: vt ille, qui immeritò, atque iniquè

sibi

Digitized by Google

sibi vsurpauit Principatum. Hic autem rursus, potest considerari tripliciter. Primò: in ipso actu vsurpandi, & inuadendi. Secundò: cùm iam vsurpauit, & inuasit, & retinet possessionem. Tertiò: cùm iam pulsus est; sed adhuc pro iniurijs non satisfecit. Verùm, in ordine ad malum illi desiderandum, vel inferendum; quatuor pensanda sunt. Primò. Num perspicuum sit, ipsum iniustè inuasisse. Secundò. Num, si malum illi inferatur; maiora mala timeri possint ab illius filio, & hæredibus, vel ab amicis. Tertiò. Num, inferre illi malum, sit contra voluntatem expressam Reipublicæ: quæ semper consentire censenda est; cùm non constat de contrario. Quartò. Num, ad superiorem pateat recursus: qui, si desit, censendus est, esse Sumus Pontifex. De quibus omnibus rebus, dictis hoc numero, siue hoc Supposito; videndi sunt S. Thomas, in secundum Sent. dist. 40. q. 2. a. 2. ad vltimum, & De Regimine Princip. lib. 1. cap. 6. & lib. 3. cap. 7. & 8. Caiet. 2. 2. q. 64. a. 3. Sotus, De Iustitia, & Iure, lib. 5. q. 1. a. 3. Lessius, De Iust. & Iure, lib. 2. cap. 9. dubitatione 4. Azorius, Instit. moral. parte 2. lib. 11. cap. 4. q. 9. & 10. Sayrus, in Claui regia, lib. 7. cap. 10. dub. 1. Filliuccius, tractatione 29. cap. 1. q. 9. Bonacina, De Contractibus, disput. 2. q. vlt. sect. 1. puncto 3. per totum, Diana, parte 5. tract. 4. resol. 21. (qui postremùm, parte 10. in tract. De Potestate exauctorandi Reges, resol. 10. & alibi; Tyrannum, quem nos dicimus in modo regendi, vocat Tyrannum exercitio; & Tyrannum, quem nos dicimus Tyrannum in iure, & in titulo, vocat Tyrannum titulo) & alij.

His porrò suppositis: ad soluendam Difficultatem, iam descendendum est.

MEM-

MEMBRVM SECVNDVM.

Ponuntur Dicta, quæ Difficultatem soluunt, quantùm ad Tyrannum quemcunque, siue, quantùm ad Tyrannum in communi.

80 DIco igitur primò. Quenuis Tyrannum odisse formaliter, hoc est, propter malum illius omnino, neque propter aliud quidquam; nemini vnquam fas, aut licitum est: siue sit ille Tyrannus, in modo regendi solùm; siue in ipso iure Principatus. Ratio est: quia sic odisse, cùm sit aliquid indebitum, naturâ suâ, Charitatíque directè contrarium, atque ita mortale peccatum, ex obiecto; quocunque Iure vetamur. Adeantur Sanctus Thomas, 2. 2. q. 34. a. 3. Caietanus, in Summula, verbo, *Odium*, Azorius, parte 3. lib. 2. cap. 20. q. 1. Summularij, & Casuistæ omnes, vbi de odio pertractant.

81 Dico secundò. Nemini pariter fas, aut licitum vnquam est, odisse Tyrannum aliquem ex eo; quòd, aucta gloria Tyranni, minuatur gloria illius, qui odit: quod est odisse Tyrannum, propter bonum illius, qui odit, apparens, & non verum. Ratio est; quia, sic odisse, formaliter est actus inuidiæ. Sanctus Thomas, loco cit. a. 6. ad 3. & Azorius, item loco citato, vers. *Secundo notandum*, cum ceteris.

82 Dico tertiò. Fas est vnicuique, ac licitum, odisse Tyrannum quemcunque, propter bonum illius, vel spirituale, vel etiam temporale; sic tamen, vt mox declarabo, neque aliter: vt illi, nimirum, desideret (etiam efficaci, & completa voluntate, non voluntate tantùm inefficaci, & velleitate quadam) talia, ac tanta mala, infligenda

da nequaquã à semetipso, vel ab alio aliquo priuato, sed à Deo tantùm, vel ab habente in Tyrannum eundem potestatem publicam; qualia, & quanta ipse Deus nouit, vt redeat ad cor, & ad melioris vitæ rationem traducatur, vel, ne Principatum quoque perdat, ac substantiam cunctam temporalem; esse necessaria. Ratio est: quia sic, & intra dictos limites odisse (quantùm ad formalem suam rationem) Charitatis est actus. S. Thomas, 2. 2. q. 25. a. 6. c. & ad 2. Azorius loco citato, q. 2. & sequentibus (vbi respondet etiam ad obiecta) & alij passim. Sed Antoninus Diana (parte 5. tract. 13. resolutione 89. vers. *Qui etiam*) sapienter aduertit: cùm de inimicis agitur, nulli (deprauatam ob irascibilem nostram) dandum esse consilium; vt hæc exequatur in praxi. Odisse verò aliter, nec intra limites jam declaratos; actus formalis odij speciem expressam præ se ferens, omnino apparet. Consulantur idem Azorius, ibidem, & Layman, lib. 2. tract. 3. cap. 8. n. 5. in fine.

MEMBRVM TERTIVM.

Ponuntur Dicta, quæ Difficultatem eandem soluunt, quantùm ad Tyrannum, in modo regendi duntaxat.

83 DIco quartò. Nemini priuato fas, aut licitum est: eum Tyrannum, qui talis est in modo regendi tantùm, propter solum Reipublicæ bonum, ita odisse; vt malum illi efficaciter desideret, inferendum, vel à se, vel ab alio priuato quouis. Licebit bene, propter idem bonum, desiderare illi malum, etiam efficaciter; quod sit circunscriptum, vti sequitur, nec alio modo: ma-

malum, videlicet, inferendum, vel ab ipso Deo, vel ab habente in eundem Tyrannum publicam potestatem, & tantum, ac tale; quantum, & quale (quemadmodum paulò ante dicebamus) Deus videt, esse necessarium, vt illius tyrannide Respublica liberetur.

Prima pars infertur ex eo, quod, credunt Doctores, determinatum esse in Concilio Constantiensi, sess. decimaquinta: vbi volunt, cùm damnatur illa propositio, *Quilibet Tyrannus licitè potest occidi à quolibet suo vasallo*; sermonem esse de illo Tyranno tantùm, de quo in hoc Asserto loquimur. Si autem damnatur ibi expressè talis Tyranni actualis occisio, à priuato vasallo inferenda; damnatur etiam implicitè desiderium efficax talis occisionis, ab eodem inferendæ. Quia, quod exequi non licet; neque licet etiam efficaciter desiderare: cùm peccata cordis, & operis, ad vnam perfectam peccati speciem pertineant; vti docet Sanctus Thomas, 1.2.q.72.a.7.c.

Deinde, probatur ea ratione: quòd, cùm huiusmodi Tyrannus ius habeat (vt ait, allegato loco, Sotus) & ad Principatum, & in Principatu; non est illo, nisi per publicum iudicium, neq; re ipsa, neq; voluntate, ac desiderio, spoliandus.

Secunda verò pars (præter illud, quo tertium iam fulciuimus Assertum) alio nullo fundamento, prorsus indiget: si Dianæ tamen cautionem adiunxerimus; quam ibi quoque adiunximus.

84 Dico quintò. Cuilibet priuato fas, & licitum est: propter suæ vitæ, suorúmque membrorum integritatis defensionem, prædictum Tyrannum ita odisse; vt illi mortem efficaciter desideret, etiam à se ipso inferendam: dummodo tamen inferendam velit, eo temporis momento, quo actu ab illo inuaditur iniustè; atque hoc exequi desideret, cum inculpatæ tutelæ moderamine; hoc est, eo tantùm casu, quo, nisi mortem inferat inuadenti, se defendere

dere non possit; vel, si possit, aliter agere, non teneatur: vt fortè nobilibus, ac militibus contingit; de quibus aliquid aliud infrà. Ratio verò potissima est: quia, cùm inculpatè vim repellere, nullo Iure negetur; neque negari, dici potest repulsæ talis desiderium.

85 Nonnulli tamen (vti Sotus, loco cit. a. 8. Bañes, apud Dianam, citata parte quinta, tractatu 4. resol. 2. & alij) si persona priuata sit vilis; videri possunt, hoc non concedere. Sed (vt apparet ex ijs, quæ idem Sotus habet, a. 3.) loquuntur hi respectu Principis, qui sit aliàs bonus: non respectu Tyranni. Respectu cuius quidem, eodem a. 3. dicit illud ipse Sotus expresse, de actuali defensione; quod nos hîc dicimus, de desiderio. Atque adeò: cùm, quod exequi est licitum, sit etiam licitum desiderare (complent enim actus interior, & actus exterior, ab eodem motiuo dependentes, perfectam vnam speciem actus, vt paulò suprà tetigimus, ex S. Thoma) dicit implicitè profectò; quod nos dicimus expresse.

86 Et idipsum, ex eadem ratione dicere conuincuntur pariter implicitè, quin, & in ordine ad ea, quæ dicunt expresse, multò fortiùs, omnes illi; qui, quod asserimus nos, licitum esse de desiderio, contra prædictum Tyrannum; licitum esse, declarant apertè, contra qualemcunque Principem, & cuicunque indifferenter, de actuali defensione. Quia: si cuicunque licitum est, inculpatam sui defensionem, cum morte qualiscunque Principis, ac proinde boni aliàs, & vtilis, exequi, & consequenter, ex iam allata ratione, efficaciter optare; multò fortiùs, id exequi, & consequenter efficaciter optare, licitum erit, cum illius morte; qui sit re vera Tyrannus, ac proinde malus, & inutilis. Huiusmodi autem sunt (præter eos, qui, præfato loco, adducuntur à Diana) Leonardus Lessius, vbi suprà, dubitatione 8. num. 42. (qui tamen præcedenti dubitat.

4. num.

4. num. 11. materiam eandem attingens, meminerat explicatè talis etiam Tyranni) Azorius, item suprà, cap. 11. q. 6. & 7. Filliuccius, tractatione 27. cap. 2. q. 4. num. 42. & Bonacina, De Contractibus, disput. 2. q. vlt. sect. 1. puncto 8. num. 4.

87 Illud vnum tandem, ijs congruenter, quæ, ibidem, tradunt præmemorati Lessius, Filliuccius, Bonacina, & Diana, subiungendum est: desiderium eiusdemmodi nequaquam esse licitum; si, ex interitu, qui desideraretur aliàs inculpatè, qualiscunque Principis, etiam Tyranni, in gubernandi modo (de hoc enim tantùm in hoc Asserto loquimur) probabiliter timeretur, ob successionem, ciuile, siue aliud bellum in Republica.

Num verò, quod hactenus, de desideranda morte talis Tyranni, ad propriæ vitæ, propiorúmque membrorum integritatis necessariam defensionem, quando nos inuadit, iniustè, statutum est; sit etiam ampliandum, ad necessariam pariter defensionem, tum vitæ proximorum, tum facultatum, & propriarum, & proximorum, tum Castitatis, Pudicitiæ, atque honoris; ita vt, quod in hac materia dicimus, esse cuicunque licitum efficaciter desiderare, pro defendenda propria vita, proprijsque membris; dicendum sit, esse pariter cuicunque licitum desiderare efficaciter, pro defendenda vita proximorum, pro defendendis facultatibus proprijs, & proximorum, ac pro defendenda Castitate, Pudicitia, & honore, quando hæc à præfato Tyranno iniustè inuaduntur; apud Scriptores, quos videre potuerim, pauca admodum, huc, in terminis terminantibus (vt aiunt) attinentia, reperio: quæ sanè duo sunt, & illa satis implicita.

88 Primum est. Sanctus Antoninus, 3. p. titulo 4. cap. 3. §. 2. & 3. quem citat etiam Comitolus, moralium, Respons. lib. 4. q. 10. num. 15. & 16. ex prætactis ratio-

nibus, quia, scilicèt, quod est licitum exequi, licitum est etiam desiderare, & quod est licitum, contra Principem aliàs bonum, longè fortiùs est licitum, contra Tyrannum; videtur hoc ad illud ampliare, vt efficaciter habere in optatis, cuicunque sit fas; Tyranni (de quo verba facimus) iniustè inuadentis occisionem, pro inculpata, necessariáque defensione vitæ proximorum, & facultatum quoque, tum propriarum, tum eorundem proximorum; etiam à seipso inferendam. Quia putat, pro actuali defensione, tum vitæ proximorum, tum facultatum, & propriarum, & proximorum, quæ necessaria sit; ab vnoquoque inuadentes quoscunque, & qualescunque iniustos, atque adeò (vt expresse declarat) *à vasallo Dominum*; licitè posse occidi. Quod, si putat, licitè fieri posse, pro defensione facultatum; putare vtique debet, multò magis licitè posse fieri, pro defensione Castitatis, Pudicitiæ, & honoris: quæ tria (sicut ait Lessius, loco citato, dubit. 12. num. 76. & 77.) pluris meritò æstimantur apud homines, quàm opes multæ: maximè verò, si honor (cùm de ipso separatim loquimur) ratione habita personarum, & circunstantiarum occurrentium, sit momenti alicuius. Ac proinde, videtur ampliare multò magis idipsum, de quo quærimus, ad illud etiam; vt, pro necessaria defensione Castitatis, Pudicitiæ, itémque honoris, qui talis existimetur esse, qualem aiebamus modò; Tyranni similis, iniustè inuadentis, occisionem efficaciter optare, per se ipsum quoque inferendam; vnicuique liceat.

89 Secundum est. Lessius, dubitatione 4. iam sæpe allegata, num. 11. si de facultatibus tantùm defendendis habeatur sermo; id genus ampliationis nullatenus admittere, percipitur. Ibi enim expresse docet, ac probat: pro solis defendendis facultatibus; Tyrannum huiuscemodi, etiam iniustè inuadentem, à nemine, qui sit priuatus, vim vi

vi repellendo, posse actu interfici. Imò videtur sentire, à nemine quoque priuato posse illum interfici, ob defensionem necessariam vitæ proximorum: cùm ita, in tali proposito, ac de tali Tyranno, concludit. *Ergo*, inquit, *non potest à subdito interfici, nisi fortè, ob necessariam vitæ suæ defensionem*. Vnde, & videtur sentire; nec esse admittendam ampliationem, cùm agitur, de desideranda morte Tyranni talis, pro vita proximorum defendenda.

Attamen (quod attinet ad vitam) ego non recederem ab ijs, quæ dicta sunt, ex Sancto Antonino: & ampliationem admitterem; quando aliter proximorum vita defendi non potest. Et, ad hoc adducerer duabus rationibus, quibus vtitur etiam ipse Lessius; ad probandum, esse licitam defensionem alterius absolutè: sicuti videri potest apud illum, dubitatione 13. num. 87. capitis eiusdem, alias citati. Quarum

Prima est. Debemus diligere proximum, sicut nos ipsos, ex diuina Scriptura. Pro defensione nostra necessaria, licet nobis desiderare memorati Tyranni mortem, etiam efficaciter, & à nobis inferendam, vt est ostensum, etiam ex ipso Lessio. Igitur, & pro necessaria proximi defensione, licitum nobis est idem.

Secunda verò est. Innocentis defendendi desiderium, etiam cum damno iniustè inuadentis, quod illi sua ipsius ex malitia prouenit (vt claret) est sanè licitum. At proximus, qui supponitur, à prædicto Tyranno iniustè inuasus, ex hoc ipso est innocens. Ergo, licitum est desiderium illius defendendi, etiam cum damno Tyranni: cùm illud ex ipsius propria nascatur voluntate, quod est dictum.

90 Et fortè admittenda est etiam ampliatio circa facultates; quando, sine facultatibus, à dicto Tyranno iniquè ablatis; priuatus, vel proximus eius esset certò conijciendus in extremam, vel in grauem necessitatem: hoc est:

quando priuatus, vel proximus eius esset certò conijciendus, vel in necessitatem amittendi vitam, vel in necessitatem status mutandi, qui esset iustè acquisitus; quibus necessitatibus aliter, quàm per huius Tyranni mortem, non posset occurri. In alijs autem, circa facultates item, casibus; arbitror, esse nullatenus admittendam: & ea ratione maximè; quia, si (vt Dicto quarto conclusum est suprà) nulli priuato licet, etiam propter bonum Reipublicæ, Tyranno, in modo gubernandi tantùm, efficaciter optare mortem, à se, vel ab alio priuato quouis inferendam; concludendum sanè multò magis est: Nulli priuato licitum esse, idem eidem, eodem modo, ijsdémque à personis exoptare; propter solas (citra necessitates explicatas) priuati cuiuscunque facultates defendendas.

Sed memoriâ tenendum est: cùm, in huiusmodi ampliationibus, affirmauimus, licitè desiderari posse Tyranni mortem; hoc semper nos intelligere, citra timorem; ne propterea Respublica grauius aliquod patiatur incommodum.

91 Vt porrò, dicamus aliquid insuper de Castitate, ac de Pudicitia: videtur, eadem ampliatio esse vtique admittenda; cùm adest in persona inuasa, in delectationem cõsentiendi, probabile periculum. Ita vt: huiuscemodi periculo extante, liceat vnicuique personæ sic inuasæ, mortem inuadentis Tyranni, ab ipsamet etiam persona inuasa (nisi sit alius euadendi modus) infligendam; efficaciter desiderare. Quia, cùm (vt quinto Dicto, in cuius nunc ampliationibus versamur, iam resolutum est) liceat hoc idem, ad mortem euadendam corporis; tantò plùs resoluendum videtur, esse licitum idipsum, ad mortem euadendam animæ, quæ, ob consensum in indicatam delectationem, incurreretur probabiliter; quantò pluris est animæ vita, quàm vita corporis æstimanda.

92 Quid

92 Quid autem sit respondendum ad illud, An hîc sit excipiendus casus, in quo, per Tyranni mortem, timeretur ciuile bellum, siue malum aliud in Republica, quemadmodum exceptus est, cùm, de morte corporis euadenda, disceptaretur; &, Quid tandem dicendum sit, de honoris,ab eodem Tyranno impetiti,propugnatione(nisi placeat, quod dictum est, ex Sancto Antonino) Quæstiunculas puto, solui posse tali pacto.

Quantùm ad primam. Casus videtur excipiendus. Et ratio est: quia (sicuti docet Basilius Pontius, De Matrimonio, in appendice capitis 6. ex pluribus; quem refert etiã, & sequitur Diana, 3. parte tract. 4. resolut. 269) *Offerre se periculo* (probabili) *peccandi, tunc est peccatum; quando fit, sine causa vrgenti, vel necessitate ad id obligante: non verò si talis adsit causa: & causam, etiam sufficit, esse, non solùm, pro bono spirituali; sed etiam, pro bono aliquo temporali.* Euitatio autem ciuilis belli vrgentissima causa, dubio procul, apparet: modò caueat, qui periculum adit, vt adeat inuitus, & non amans; & cum firmo proposito, non peccandi.

93 Quantùm ad secundam. Nisi, quod illatum est ex Sancto Antonino, placet (vti dicebatur) addendum puto: quòd, si sit propugnandus honor, contra verbalem tantùm iniuriam; probabilius videtur, desiderium efficax mortis illius, qui sic afficit iniuria; nunquam esse licitum. Legatur Diana, 5. parte, tract. 4. resol. 12. & 8. parte, tract. 7. resol. 51. Si verò, sit propugnandus contra iniuriam, quæ sit realis; puto, affirmari posse: fugam à Principe inuadente, etiam Tyranno (tamen tantùm in modo) quando præsertim, sine periculo arripi possit; non esse vlli probrosam: sed, Pietati potiùs adscribendam, videri: quemadmodum (vt, ex Hurtado de Mendoça, refert Diana, 5. parte tract. 4. resol. 9. in fine) fugere à patre, ab auo, &, à similibus inua-

uadentibus, non timiditati; sed Pietati adscribitur. Princeps enim, quatenus ordinatur ad commune bonum, Pietate colitur; quo modo pater, & patria; vti docet Sanctus Thomas, 2. 2. q. 102. a. 3. c. ad 1. & ad 2. Vnde, si inuasus à tali Principe, absque periculo, vitam, aut membrorum integritatem amittendi, fugere potest; illi non videtur licere, pro honore solo defendendo, mortem eiusdem, per se ipsum inferendam, exoptare. Si verò, fuga non potest arripi, sine periculo; dicendum prorsus illud est, quod, circa defensionem vitæ, atque integritatis membrorum, iam fuit conclusum.

MEMBRVM QVARTVM.

Ponuntur Dicta, Difficultatem soluentia, quantùm ad Tyrannum in ipso iure, ac titulo.

94 DIco Sextò. Si, de Tyranno in ipso iure, ac titulo, quem quidem esse talem, indubitanter clareat, sermonem nunc demum habeamus: fas, & licitum est vnicuique priuato, sic illum, dum actu Principatum inuadit, efficaci odisse voluntate, propter publicum, ac proinde, propter proprium bonum; vt eidem, eadem efficacitate, necem concupiscat, etiam per se demandandam executioni. Et, in hoc Asserto conuenire, colliguntur fere omnes, de huiusmodi materia conscribentes. Quia (quod obseruari potest apud illos, quos num. 79. allegauimus) supponunt fere omnes, populum Principatus illius, qui ab hoc Tyranno inuaditur; iure posse, contra Tyrannum eundem, bellum agere, & se ab iniusta illius inuasione contutari. Et, cùm expeditior via, se in similibus contutandi, soleat esse, de medio tollere Ducem hostilis exercitus, qui hoc in casu supponitur, talis Tyrannus esse; concludunt: qui-

quicunque de dicto populo priuatus idipſum exequatur, in quo redargui poſſit, nihil omnino apparere. Idem ergo, ob rationem aliàs indicatam, concludere oportet, etiam de deſiderio; de quo noſtrum hoc dictum præſens procedit.

95 Dico ſeptimò. Cùm verò talis Tyrannus iam inuaſit Principatum, atque illius poſſeſſionem qualemcunque tenet: ex communi Doctorum hauritur doctrina, tunc etiam, fas, & licitum eſſe vnicuique priuato, deſiderare idem illi, & cum iiſdem circunſtantijs; quod proximè, Dicto 6. poſſe deſiderari, ſtatutum eſt. Communiter enim Doctores tenent; tunc etiam, Tyrannum huiuſmodi licitè poſſe, à quocunque de populo interfici. Et ratio illorum eſt: quia, non eſt quidem verus Princeps, & Dominus illius populi Tyrannus hic: verùm hoſtis, bellum cum populo continuum gerens. At hoſtem, vnicuique de populo, tempore belli, fas eſt occidere. Conſulantur, & Caietanus, & Sotus, & Leſſius, cum ceteris (præter Azorium, Filliuccium, & Dianam) quos citauimus, indicantes quoque locos, num. 79. & præterea Vaſquez, Opuſculo, De Reſtitutione, cap. 2. §. 1. dubio primo, per totum, cum alijs, quos allegat idem Diana, p. 5. tract. 4. reſol. 21.

Aduertunt attamen: concurrere debere conditiones illas, de quibus nos, eodem num. 79. vt, nimirum: primò, perſpicuum ſit, ipſum iniuſtè inuaſiſſe: ſecundò, ne, ſi malum inuehatur illi ab aliquo; maiora proinde mala populo, Reique publicæ timeri probabiliter poſſint per illius filios, vel hæredes, ſi quos habeat, vel per amicos: tertiò, ne, ſi priuatus quiſpiã obſit illi quouis modo; ſit iſtud, apertè populo contradicente: quartò, vt ad Superiorẽ, ex parte nulla, pateat recurſus. Atque, his concurrentibus conditionibus; volunt eſſe licitum, quod cenſent; aliter, non ita.

96 Alij verò, vt Azorius, parte 2. lib. 11. cap. 4. q. 10. & Filliuccius, tractatione 29. cap. 1. q. 9. prædictam com-

Digitized by Google

munem Doctorum opinionem, dubiam, & suspectam habent: neminique putant, secundùm illam, dandum esse consilium. Et ratio, qua nituntur, ea est: tum, quia Euidentia patrati sceleris, quanuis accusationem, & probationem non postulet, requirit nihilominus (vt in capitulum, *Euidentia*, De Accusationibus, ait Glossa) sententiam; tum quia, tametsi talis Tyrannus ius, ac titulum non habeat in Principatu; de facto tamen, possessionem illius non habere, dici nequaquam potest: ex hac verò, minimè valet iustè deijci; nisi priùs audiatur in iudicio: vt est clarum. Filliuccio, & Azorio subscribere videtur Antoninus Diana, loco proximè citato; dum eorum sententiam sibi placere, litteris prodit: qui fauentem illis (vt putat) refert etiam Siluium, in 2. 2. Sancti Thomæ, q. 64. a. 3. conclus. 2. Et opinio quidem probabilissima iudicanda est: non tamen, propterea dici debet (considerato saltem Doctorum illam sustinentium pondere, ac numero) opinionem primam haud esse probabilem.

Verùm, vt vt sit: ad rem nostram, illud addo: quòd, quemadmodum pro illo tempore, quo prædictus Tyrannus iam iniustè inuasi Principatus possessionem tenet, hauriuimus ex opinione prima, licitum esse vnicuique de populo desiderare illi, quod Afferto, siue Dicto 6. posse, diximus, desiderari; ita, eodem pro tempore, totum contrarium hauriendum est ex opinione secunda.

97 Dico octauò. Ex eo, quòd ille Tyrannus, qui in iure, ac titulo talis est, non est sanè verus Princeps, ac Dominus, in inuaso Principatu: multò magis locum habent circa ipsum, non solùm, quæ, de desiderando malum, propter bonum Reipublicæ, illi Tyranno, qui talis est, in modo tantùm, in secunda parte quarti Dicti conclusa sunt, & quæ sunt pariter conclusa, in Dicto quinto, de defensione propriæ vitæ, contra hunc eundem, in modo tantùm,

tum, Tyrannum; sed, ampliatio quoque, ad vitæ proximorum defensionem, ibidem posita. Et, ob eandem rationem (quòd huiusmodi Tyrannus non est verus Princeps, ac Dominus, in inuaso Principatu, sed potiùs, tanquam priuatus quidam in illo reputari debet, saltem, quãtùm ad ius, ac titulum) puto: circa facultates, tum proprias, tum proximorum, Castitatem, Pudicitiam, & honorem, licitum esse multò magis desiderare, contra hunc, pro necessaria defensione, quàm contra alterum, non modò, quæ desiderare, licitum esse, ceteris in ampliationibus aliquatenus affirmauimus; verùm, quicquid præterea colligitur ex Doctorum doctrina, licitum esse desiderare, pro tali defensione necessaria, contra quemcunque priuatum: excepto casu, quo fortè grauiora mala timerentur, ob huiusmodi defensionem, in ipsa Republica.

Dixi verò, *multò magis*: quia, sine dubio, multò magis Tyrannus dicendus est, qui iure carens, ac titulo, sibi vsurpat Principatum; quàm, qui, cum iure, ac titulo, tyrannicè tamen gubernans, Principatum tenet. Est enim ille (vt Sayrus notat, in Claui regia, lib. 7. cap. 10. dub. 2.) quantùm ad substantiam; hic verò, solummodo quantùm ad modum, Tyrannus.

MEMBRVM QVINTVM.

Ponuntur alia Dicta, de Tyranno vtroque.

98 DIco nonò. Cùm tandem Tyrannus in iure, ac titulo, Principatu contingit, vt sit expulsus, & pro iniurijs non satisfecit; (quod etiam de Tyranno, in modo, siue pellatur Principatu, siue remaneat, intelligendum est;) licitè potest vnusquisque de populo, ita illum odisse, propter bonum, & Reipublicæ, & proprium; vt

vt efficaci voluntate desideret illi tantam pœnam; quantam, iuxta delicti mensuram, ex Legum iusto præscripto, meretur: inferendam tamen, non à semetipso, qui desiderat, nec ab alio aliquo priuato; sed, à Iudice tantùm competenti.

Bonum autem, siue Reipublicæ, siue proprium hîc non est aliud; nisi reparatio iniuriæ, & satisfactio pro illa, vnà cum quadam doloris, ac tristitiæ per iniuriam iniustè immissæ mitigatione. Certum enim est: cùm Tyrannus inuasit populi, siue Reipublicæ Principatum; vel cùm Principatum iusto possidens titulo, tyrannicè tamen gubernauit; ipsum contra Ius omne fecisse, atque ita intulisse iniuriam. Facere nanque contra Ius, ex vi sua, significat hoc nomen, *iniuria*; vti notat Siluester, verbo, *Iniuria*, in principio, & multò ante Siluestrum, notauerat Vulpianus, in Lege 1. ff. De Iniurijs. Cùm autem omnis iniuria tendat principaliter, ad lædendum honorem; siue re, siue verbis, siue libellis famosis inferatur (ad hæc siquidem tria capita, ex ijsdem Siluestro, & Vulpiano, citatis locis, reducuntur omnes iniuriæ; vnde idem Vulpianus, ibidem, ait, spectare ad hæredis existimationem, si cadaueri defuncti, qui illum instituit, fiat iniuria; & iniuriam, quæ fit liberis, vt, si filium alterius, e. g. quis venderet, parentum pudorem perstringere; quapropter, *Secundùm vsum loquentium*, addit idem Siluester, *iniuria propriè dicitur, quod fit contra alicuius honorem*) consequenter tota iniuria, quam populo, priuatisque, re, Tyrannus intulit vterque, tum iniustè inuadendo, tum tyrannicè gubernando; læsit populi, priuatorúmque honorem. Ex iniuria porrò, per quam læditur, siue amittitur honor: nascitur in animo illorum, qui afficiuntur iniuria; dolor, siue tristitia nonnulla. Causat enim dolorem, siue tristitiam (vti docet Sanctus Thomas, 1. 2. q. 36. a. 1. c.) & malum coniun-

iunctum, qualis hoc in casu dici potest iniuria; & bonum amissum, qualis in eodem est honor. Quare perspicuum fit: totum bonum populi, siue Reipublicæ, ac priuatorum, ad hoc propositum, in eo consistere; vt, per honoris redhibitionem, reparetur iniuria; & dolor, siue tristitia, ex honore læso, siue amisso; & ex iniuria illata; mitigetur.

99 Fieret autem vtrumque (ex ijs, quæ scribit Lessius, lib. 2. De Iustitia, cap. 47. dubit. 4. num. 21.) si, per iudicem competentem, iuxta delicti mensuram, puniretur Tyrannus. Quandoquidem, qui lædit plùs iusto; suo affectui indulget, sibíque sumit, & alteri detrahit. Dum autem punitur; illud ei quodammodo adimitur, cùm contra voluntatem patiatur: &, quia id agitur, in gratiam læsi; censetur ei donari: & sic, fit quædam compensatio (vt experientia probat) cùm animus læsi acquiescat proinde; & sibi satisfactum putet. Et, en redhibitus honor, & reparata iniuria. Ex hoc verò, quòd honor, tanquam bonum aliquod, redhibitus est, & præsens adest; & ex hoc, quòd iniuria, quasi malum, est reparata, vnde, qui illa fuerant affecti, iam ea carent; causatur in animo, siue, in appetitu sensitiuo, delectatio. Etenim vtrunque, tam, nimirum, præsentia connaturalis boni, quàm carentia mali, quæ accipitur in ratione boni; ponitur à Sancto Thoma delectationis causa, citata 1. 2. q. 31. a. 1. c. & q. 32. a. 4. c. Verùm: ex eodem, ibidem, q. 38. *Qualibet delectatio remedium affert, ad mitigandam qualibet tristitiam, ex quocunque procedat.* Et, en mitigatus dolor, & tristitia.

100 Quòd porrò, cuicunque de populo læso, propter bonum, quod ita declarauimus, licitum sit, punitionem efficaciter desiderare Tyranno, qui læsit; manifestè probatur, ex eiusdem Sancti Thomæ doctrina. Is enim, 2. 2. q. 108.

q. 108. a. 2. c. apertissimè docet illud: quòd repellere nocumenta, per hoc, quòd homo, vel se defendat, contra iniurias, ne inferantur, vel illatas iam iniurias vlciscatur, non quidem intentione nocendi, sed remouendi nocumenta; pertinet ad Vindicationem. Est autem Vindicatio (vt idem addit, ibidem, & ad 1.) specialis quædam virtus, secundùm quam, ex debito morali (hoc est, ad conseruandam honestatem morum) inclinamur, ad malefactori debitam reddendam pœnam, pro illata nobis iniuria, quò illa propulsetur; sicut, secundùm virtutem, quæ dicitur Gratia, siue Gratitudo, ex eodem debito, inclinamur, ad reddenda benefactori debita obsequia, pro collatis in nos beneficijs; quò eadem compensentur. De actu autem virtutis, quin sit licitus; dubitandum neutiquam est.

Sed, est aduertendum (vt bene obseruant Caietanus, ibidem, & Lessius, citato loco, num. 23.) quòd, persona priuata, quæ est subiectum huius virtutis; non potest, per se, consumare actum proprium illius: atque hoc, propter necessitatem materiæ: quia, videlicet, huius virtutis materia malum est pœnæ; quod coactiuam potestatem exigit, in auctore. Vnde, solùm ad Superiorem, coactiuam potestatem habentem, talis actus executio spectat; & priuatus tantùm potest executionem huiusmodi desiderare, & ita consequenter prosequi (vt aiunt) actionem iniuriarum.

101 Ceterùm: quandiu tempus duret, huius actionis iniuriarum prosequendi; audiendum est à Iurisprudentibus. Qui quidem, in casu, de quo disputamus; actionem huiusmodi, non Prætoriam: sed merè Ciuilem facient. Ciuilis autem actionis prosequendi tempus, non anno finiri, tradunt ipsi, quemadmodum finitur Prætoriæ: sed, perpetuò durare: declarantes etiam, quid, per terminum,

per-

perpetuo, sit intelligendum. Legendi sunt hac de re (praeter alios) Bartholomaeus Caepolla, in Consilijs criminalibus, consilio 70. num. 1. 2. 3. 4. & 5. & Iulius Clarus, Sententiarum lib. 5. §. *Iniuriam*, vers. *Tollitur*, & textus quos hi allegant.

Verùm, de tota materia huius noni Dicti (vltra citatos) consulantur, Siluester, verbo, *Charitas*, q. 6. verbo, *Iniuria*, q. 5. & verbo, *Vindicta*, per totum: Caietanus, in Summula, verbo, *Vindicatio:* Azorius, parte 2. lib. 12. capite 3. per totum: Filliuccius, tractatione 28. cap. 1. q. 9. & maximè Comitolus, Responsorum moralium lib. 4. q. 32. toto enunciato 4. vbi quamplurimos adducit; quos transcribendos, non puto. Et, super omnia, percurrantur Canones, *Et qui emendat*, 45. dist. *Siquis contristatus*, 90. dist. &, *De occidendis*, 23. q. 5. cum suis Glossis; vbi, de iniuriarum actione.

Intra limites igitur huius Dicti, concludendum est: licitum esse vnicuique priuato, punitionem desiderare Tyranni, etiam à se ipso, quantùm ad iniuriarum actionem, prosequendam; extra verò, non sic. Et semper, vt monet Lessius, vbi proximè, num. 27. multò melius est (nisi fortè publicum bonum postulet aliud) propter Deum ignoscere iniuriosis; quàm, etiam intra iustos limites, illorum expetere vindictam.

102 Dico decimò, & vltimò. Omnia illa mala, quae hactenus conclusum est, posse desiderari contra Tyrannos; fas, & licitum est vnicuique priuato, desiderare propriè: non impropriè duntaxat: ita vt, huiusmodi mala, tanquam ad finem bonum, ad quem ordinantur, necessaria media; cadant, vnà cum fine, sub intentione: cum hac tamen differentia: vt finis intendatur per se; mala verò, tanquam media, intendantur, per accidens: hoc est, quatenus praecisè requiruntur, ad finem, per se intentum, assequendum. Ra-

Ratio autem, quare dicta mala possint ab vnoquoque priuato desiderari propriè, idest, ita, vt, tanquam media, quæ sint ad finem necessaria, vnà cum ipso fine, sub intentione cadant; hæc est. Quia, cui permittitur desiderium finis; necessariò permitti debet, & mediorum, quæ sunt, ad finem talem assequendum, necessaria, desiderium. Aliàs enim, esset omnino frustranea similis permissio. Sed, desiderare finem, & ad illum necessaria media, est illud idem, quod est, intendere. Siquidem, 1. 2. q. 12. a. 1. ad 4. Sanctus Thomas ad hoc propositum ait; *Non solùm ex hoc intendere dicimur sanitatem, quia volumus eam; sed, quia volumus ad eam, per aliquid aliud, peruenire.*

Ratio verò differentiæ, vt finis intendatur per se, mala verò, tanquam media, intendantur per accidens; est hæc alia. Quia, dato, finem, tanquam bonum, posse per se ab vnoquoque intendi; malum tamen alicuius, per se intendi non potest; nisi ab habente publicam auctoritatem, & propter publicum bonum. Igitur, priuatus homo, qui publicam auctoritatem non habet, nec semper publicum respicit bonum; alicuius malum, quemcunque bonum ob finem, haud potest intendere, nisi per accidens: hoc est, (vt iam diximus) nisi quatenus præcisè requiritur ad dictum finem, per se intentum, assequendum, quem aliter assequi non posset.

Videantur Layman, lib. 3. tract. 3. parte 3. cap. 3. num. 1. vers. *Existimant*, Vasquez, Opusc. De Restit. cap. 2. dubio 6. Lessius, lib. 2. cap. 9. dubit. 8. num. 53. Azorius, parte 3. lib. 2. cap. 1. q. 10. Sotus, De Iust. lib. 5. q. 1. a. 8. & alij.

103 Et quamuis, huic Dicto Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 64. a. 7. c. possit apparere contrarius; dum asserit, exceptis habentibus publicam auctoritatem, illicitum esse,

vt

vt homo intendat malum alterius, etiam propter bonum; &, si ex bono intẽto ab aliquo, sequatur alterius malum, id esse debere, præter iutentionem illius, qui bonum tantùm debuit intendere; vnde, Caietanus ibi opinatus est, non esse licitum (iuxta mentem Sancti Thomæ) desiderare malum alterius propter bonum, ita vt malum cadat sub intentione, etiam, tanquam medium; attamen, communiter arbitrantur ceteri Thomistæ: eundem Sanctum Thomam, dicto loco, non aliud sibi velle, quàm, quod nos conclusimus. Atque adeò, cùm affirmat, illicitum esse (exceptis habentibus publicam auctoritatem) intendere malum alterius, etiam propter bonum; &, si ex bono intento malum sequatur alterius, id, præter intentionem, esse debere; de intentione per se, non autem de intentione per accidens, exponunt, esse intelligendum. Legantur iterum, quos modo citauimus Doctores; & maximè Layman.

104 Possem afferre præterea, duo loca Sancti Augustini: alterum, nimirum, ex Epist. 154. quam scribit ad Publicolam; alterum, ex cap. 4. lib. primo, De Libero Arbitrio; quæ videntur huic nostro Dicto aduersari. Sed, longiùs ne sermo protrahatur; satis, ac super est, videre, tum ipsa loca, tum solutiones difficultatũ earum, quæ inde nascuntur; apud Sanctum Thomam, citato loco, ad 1. & apud Sotum, vbi supra, in responsione ad primum argumentum.

Tantùm illud non addere non possum, circa Dictum præsens: quòd, in facti contingentia, metaphysicas distinctiones animo versare, non equidem est opus: nec malè agit, qui tunc illa omnia intendit, quæ ad finem bonum, quem sibi, tanquam necessarium, præstituit; iudicat esse necessaria. Consulatur Diana, 5. parte, tract. 4. resol. 16.

☛ Ac tandem, hîc illud monere omnino placet: quòd, si

de

de hisce rebus omnibus alia permulta dici possent, videnda interim apud Scriptores illos, quos in superioribus abundè iam citauimus;ad soluendam nihilominus Difficultatem iam propositam (quãtùm satis esse videtur ad institutum præsens) quæ illa erat; Num verè, & absque nota falsitatis, dici queat, Fas, & licitum esse vnicuique indefinitè, odisse Tyrannum; cùm tot modi allati sint, quibus (non odio quidem formali, ac proprio, quod item vocant personæ, vel inimicitiæ, sed materiali duntaxat, & improprio, quod qualitatis quoque, vel abominationis dicunt) licitè hoc fieri posse, probatum est; imò, cùm sit pariter ostensum (quando id licitè fieri potest) eos, qui tali oderunt odio, posse dici etiam simpliciter odisse, quemadmodum simpliciter, *odisse*, verbo Mastinus est vsus, cùm dixit, *Sanos cui non odisse Tyrannos fas, & iure licet?* occasione cuius effati, est mota Difficultas; quæ iam sunt hucusque scripta, satietatem plenam facere, videntur. Quapropter, oportet, ad reliqua procedere.

SVBDISTINCTIO QVARTA.

Perpenditur Mastini præscriptorum Versuum penultima particula: & in primis resoluitur, ex præmissis, latens in ijs quædam Difficultas.

105 VT igitur, ab indefinita quæstione ad quæstionem definitam; nimirum, ab vltima particula Mastini Versuum illorum, quos præ manibus habemus, ad penultimam præteruehamur;ex dictis profectò in aperto est, quid sit ad illud respondendum; Num totus Feretranus, atque ipsius Mastini Patriæ (vt aiebat ille) Tractus;

ctus; licitè potuerit hostilis exercitus Florentinos, Etruscósque Ductores odisse, Hæc est enim præmemoratæ particulæ tota summa; si meminerimus.

Qui quidem Ductores, si, iuxta Mastini eiusdem iudicium, de quo suprà (iuxta enim illud, & non aliter, hac de re semper loqui, profiteor) Tyranni dicendi sint; Tyranni sanè generis eius erant, quos in iure, atque in titulo iam appellauimus. Cùm (iuxta idem iudicium) immeritò, & iniurià tentauerint illi, Tractum prædictum inuadere; atque ibi de medio tollere homines, rémque diripere cunctam eorum.

106 Poterant ergo, & Mastinus, & singuli homines præfati Tractus licitè illos odisse, diuersis temporibus, multísque, ac diuersis cum circunstantijs; vt sigillatim, ac breuiter, mox explico. Sed, *odisse*, dicens, odisse odio illo, mihi denotare mens est; quod, quanuis dici potest simpliciter odium; re vera tamen, est odium solummodo materialiter, & impropriè, siue qualitatis (vt aiunt) vel abominationis: non autem formaliter, & propriè, siue personæ, vel inimicitiæ; vt iam suo loco fuit ostensum plenè, & paulò suprà rursus est tactum: & Dicta nominans, illa semper intelligo; quibus indefinitam Difficultatem iam solui. Et sic:

Primò. Poterant eos odisse, toto tempore, quo tales existerent: verùm tunc, illis desiderando malum aliquod, propter eorundem bonum spirituale, ac temporale; intra limites tertij Dicti. Et fuisset actus ille Charitatis in proximum.

Secundò. Poterant eos odisse, in ipso actu inuasionis: desiderando illis tamen, eo temporis momento, aliquod malum, propter bonum publicum Patriæ, ac proinde, propter bonum etiam proprium singulorum; intra limites Dicti sexti: Et fuisset actus huiusmodi, & Pietatis in Pa-

triam, & Charitatis ordinatæ, quæ à se ipso incipit.

Tertiò. Poterant eos odisse, post inuasionem, cùm adhuc possessionem tenerent: at verò per id spatij, desiderãdo illis aliquod malum, propter bonum publicum Patriæ, & proprium etiam singulorum, vt dictum est; atque hoc, iuxta opinionem primam, de qua in septimo Dicto, & intra limites illius. Et fuisset actus talis, qualem affirmabamus modò.

Quartò. Poterant eos odisse, vel in ipso actu inuasionis, vel post ipsum, durante nihilominus possessione: sed, eo puncto, eáue tempestate, desiderando illis malum aliquod, propter defendendam, vel vitam, vel rem, vel aliquid aliud proprium, aut proximi alterius; intra limites octaui Dicti. Et actus fuisset Charitatis, vel in se ipsum, vel in proximum.

Quintò. Poterant eos odisse, post quàm fuerunt expulsi: tunc nihilominus, desiderando illis aliquod malum, propter bonum, vel Patriæ, vel proprium, vel alterius proximi; intra limites noni Dicti. Et fuisset actus virtutis Vindicationis.

107 Cuius actus prosequendi tempus, cùm ad iniuriarum pertinuisset actionem, & illam quidem non Prætoriam, sed Ciuilem; perpetuò consequenter durasset. Et hæc notauimus, etiam suprà, loquendo generatim. Cùm verò, similis actus, præter hæc, ad genus illarum Ciuilium pertinuisset actionum, quæ ex casibus descendunt, in quibus præscriptio non currit; quatenus enim attigisset Patriam, ad ius publicum spectasset, contra quod (ex lege, *Præscriptio*, C. De Operibus publicis, vti notat etiam Glossa singularis, verbo, *non obstante*, in capitulum, *Cum non liceat*, De Præscriptionibus) nullo vnquam tempore præscribitur; talis perpetuitas temporis, non annorum triginta, aut quadraginta curriculo fuisset finita, quod accidit

cidit in perpetuitate Ciuilium actionum quarundam, vt videri potest apud Iuristas, tum alibi, tum, in §. *Hoc loco*, Instit. De perpetuis, & temporalibus Actionibus: verùm progressa fuisset ad posteritatem, ac durasset adhuc. Quare, huc respiciens, bene (iuxta suum iudicium) in hac particula, quam nunc expendimus, scriptum reliquit Mastinus;

Quos habet hic odio Tractus, venturaque semper
Posteritas habitura:

clarè significans per illa verba, *semper posteritas habitura*; quam innuimus, perpetuitatem.

Sextò demum. Quotiescunque licitè oderant; propriè malum poterant exoptare: intendendo, scilicet, illud, non quidem per se; verùm tantùm per accidens: quo modo explicatum est, decimo Dicto.

108 Hæc autem singula, cur nunc probentur; nihil prorsus est. Satis enim, ad illa probanda, rationes eæ videntur; quibus probauimus, & ipsa Dicta. Ibi ergo, rursus ponderentur; si cui libet. Si qua verò sunt, quæ, neque ibi probauimus; ea sanè tam sunt clara, vt probatione vlla non indigeant: cuiusmodi etiam sunt, quæ addidimus hîc, dum vnumquenque actum odij, quem statuimus, potuisse à Mastino, & à ceteris licitè elici; suæ virtuti assignauimus: licèt, nec etiam hæc omnino ibidem reliquerimus (vt pariter ibi obseruari potest) intacta.

Nihil est item, cur quispiam nũc mihi obijciat, sic dicens. In ipsis Dictis, quemadmodum admisisti multos actus odij, contra Tyrannum, licitos; ita exclusisti nonnullos illicitos. Si oderunt ergo Mastinus, ac ceteri prædictos Ductores, tanquam Tyrannos: Quare, potiùs affirmas, actibus licitis, non verò illicitis odisse?

Nam, facilè obuium accipere potest huiusmodi, *Quia*, (vt ita loquar) quisquis hoc opponit. Manifestè non

constat (aio ipse) Mastinum, ac ceteros, illicitis actibus, præfatos odisse Ductores. At (quemadmodum docet Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 60. a. 4. c.) *Vbi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius; debemus eum, vt bonum habere; in meliorem partem interpretando, quod dubium est.*

SVBDISTINCTIO QVINTA.

Pensiculantur duæ, quæ restant, Versuum prædictorum particulæ: præsertim verò statuitur, ac probatur; sine Charitatis iactura, suo in vtroque Carmine, siluiße Mastinum nomina, quæ siluit.

109 SEd, vt ad extremum, duas reliquas eorundem Versuum, secundam, scilicet, ac primam pensitemus quoque particulas: ponendam puto, tanquam illarum caput; particularem hanc vnam Causalem: nimirum: *Ex eo, quòd, explicatis modis, Mastinus, & ceteri licitè potuerunt odisse suorum hostium Ductores*; hoc est: *Ex eo, quòd credebantur, certoque iudicio* (vti suo loco demonstrauimus) *indicabantur hi, alieni Principatus inuasores iniusti, atque in iure, ac titulo Tyranni* (licitè nanque odisse non possumus, vti præmissum est, nisi, quos nouimus, ita, siue similiter esse iniustos, ac malos) *bene sequitur: sine Charitatis, ac salutis iactura, potuisse Mastinum tacere, suis in Carminibus, illorum nomina, eum ad finem; ne, per eadem Carmina, Ductorum eorundem fama perennaret, & gloria.*

Verùm, quia pluribus Causalis huiusmodi particularis, quam ita posuimus, est comprobanda, quò veritas illius elu-

elucescat; hîc etiam erit nobis præsens, vti altera suprà, rursum partienda Subdistinctio.

MEMBRVM PRIMVM.

Iacitur Fundamentum, cui principaliter innititur Causalis particularis iam statuta. Vbi, de signis dilectionis, exhibendis inimico.

110 VT intelligamus ergo, positam Causalem, quæ particularis est, esse prorsus veram; notandum: quòd (ex doctrina Sancti Thomæ, 2.2.q.25.a.9.c. quem ceteri communiter sequuntur) duo genera signorum assignari solent; quibus nostram in proximos dilectionem indicare, consueuimus. Alterum est eorum, *quæ exhibentur proximis in communi: putà, cùm aliquis orat pro omnibus Fidelibus, vel pro toto populo; aut, cùm aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati*. Sic ille. Alterum est eorum, *quæ quis exhibet particulariter aliquibus personis* (vt idem ait) putà, si quis alloquatur, ac salutet Sortem, ac Titium; ceteros non item.

Circa quæ signa, tria insuper scienda sunt.

111 Primum est: quòd, huiusmodi signa, non ideo dicuntur exhibita in communi, vel particulariter, quia, de natura sua, quædam illorum sint omnibus communia, quædam verò sint particularia quorundam solummodo: sed, ideo sic dicuntur; quia, illorum quædam, intendit exhibens, exhibere omnibus in communi; quædam aliquibus in particulari.

Secundum est, & sequitur ex primo: quòd, tunc dicimur, denegare alicui signa dilectionis in communi; non

quidem, quando denegamus illi quædam signa, quæ, de natura sua, sint omnibus communia: sed, quando denegamus illi ea signa, quæ, iam intendimus, exhibere omnibus in communi: vt, si quis, laudando totum populum; excluderet Sortem inimicum. Tunc verò: dicimur denegare alicui signa dilectionis in particulari; quando denegamus illi ea signa, quæ aliquibus alijs, vel alicui alij particulariter exhibuerimus: vt, si quis deneget allocutionem Caio; quam exhibuit Sorti, ac Titio, vel alteri tantùm ex ipsis. Et, hæc duo Sanctus Thomas, citato loco, non sanè dicit, verbis expressis: sed, si, quæ dicit expressè, funditus penetrentur; hanc esse ipsius mentem, omnino constabit.

112 Tertium est (atque hoc Sanctus Thomas, ibidem, explicatè affirmat) quòd signa dilectionis primi generis exhibere singulis proximis, etiam inimicis, de necessitate Charitatis, ac salutis prorsus est. Et rationem addit: *Quia, si non exhiberentur inimicis; hoc pertineret ad liuorem vindictæ: contra id, quod dicitur, Levitici 9. Non quæres vltionem, & non eris memor iniuriæ.* Signa verò dilectionis generis alterius *inimicis exhibere*, (rursus inquit) *non est de necessitate* Charitatis, & *salutis; nisi secundùm præparationem animi: vt, scilicet, subueniatur eis, in articulo necessitatis, secundùm illud, Prouerb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum.* Cuius rei rationes illæ sunt: nimirum: tum, quia (vt ex ijs, quæ item idem, articulo 8. præcedenti, tradiderat, non obscurè colligitur) eadem signa, neque ceteris hominibus, nisi, secundùm eandem animi prouisionem, tenemur exhibere; tum, quia, cùm inimicus intulit nobis mala, atque à nobis abstulit bona, per iniuriam, siue inimicè nobiscum agendo, siue ex eo, quòd est nobis inimicus (hæc enim sunt vnum & idem) iniquè nos contristauit: quæ tristitia,

cùm

cùm sit iusta in nobis (vt paulò infrà patebit) facit, vt iustè denegemus illi; quæ aliàs exhibere, iure nullo, si non sit necesse, non adstringimur.

113 Ex his itaque, luculenter illud in primis hauritur: quòd, eam ob causam, quia hostis, & inimicus nobis aliquis est; dilectionis ea signa, quæ in communi exhibentur, ac primi sunt generis; denegare illi, sine Charitatis, ac salutis iactura, non possumus. Atque ita: quòd, non possumus exhibere alicui populo signa quædam dilectionis in communi, v.g. laudes, & ab illo discludere nostrum hostem, & inimicum, qui de tali populo sit; eadem absque iactura.

Deinde, hauritur, & illud aliud è contrà: quòd, *eandem ob causam, quia hostis, & inimicus nobis est aliquis; possumus, absque iactura Charitatis, & salutis, denegare illi signa dilectionis, quæ exhibentur aliquibus, aut alicui particulariter: modò tamen, casum necessitatis excipiamus*. Ac proinde, quòd possumus, absque dicta iactura, sed excepto dicto casu necessitatis, propterea quòd Caius, exempli causa, & alij quoque cum ipso, cùm sint hostes, & inimici nostri, nobis intulerunt mala, & abstulerunt bona; illis denegare signa dilectionis, vt laudem, salutationem, allocutionem, & similia; quæ particulariter exhibuerimus Titio, Sorti, vel alteri alicui.

Et hæc duo Corollaria sufficienter probata remanent ex ijs, quæ, in hac Subdistinctione, sunt præmissa.



MEMBRVM SECVNDVM.

Probatur, ac dilucidatur adhuc ampliùs vniuersalis illa Causalis, quæ modò statuta est in secundo Corollario: nimirum: quòd, Eam ob causam, quòd hostis, & inimicus nobis est aliquis, & mala nobis intulit, & abstulit bona; possumus absque iactura Charitatis, & salutis, denegare illi signa dilectionis, quæ exhibuerimus aliquibus, aut alicui particulariter; casu necessitatis excepto.

114 QVanquam Causalis huiusmodi satis (vt dixi) probata relinquitur ex dictis; volo tamen eam probare præterea dilucidiùs: propterea quòd, eius dilucidatio maior ad rem nostram valde conducit. Asseruimus enim, per causalem particularem alteram; bene sequi: *Sine Charitatis, ac salutis iactura, potuisse Mastinum tacere, in vtroque suorum Carminum, Ductorum hostilis exercitus nomina, illisque hunc honorem haud exhibere, ex eo; quòd eosdem credebat, certoque iudicio iudicabat, alieni Principatus inuasores iniustos, ac Tyrannos, & proinde malos, & Patriæ suæ, sibique hostes, & inimicos:* & particularis Causalis huiusmodi sit omne illud, quod principaliter verum esse, demonstrare intendimus, in hac tota Distinctione quinta; vt iam indicauimus. Præterquam quòd: Causalis vtraque, tam vniuersalis, quàm particularis, videri fortasse posset alicui male sonans; nisi ampliùs dilucidaretur.

115 Fundamentum igitur, & probatio, cui nititur prædicta Causalis vniuersalis; non est, nisi ratio, qua paulò

lò antè, secundo loco, demonstrauimus, posse nos, debitis concurrentibus circunstantijs, denegare inimico signa illa dilectionis; quæ particulariter exhibentur aliquibus. Circa quam: ad id, quod intendo, tria me dilucidare oportet, quę in ea continentur; & sunt subsequentia.

Primum. Quòd inimicus, inferendo nobis mala, & auferendo bona, causet iniquè in nobis tristitiam ex eo; quòd nobis est inimicus.

Secundum. Quòd hæc tristitia sit verè in nobis iusta.

Tertium. Quòd hæc tristitia, cùm sit iusta; faciat, vt iustè prædicta denegemus.

Si enim dilucidatum sit, quòd iustè denegare possumus inimico signa dilectionis, de quibus loquimur, ob iustam tristitiam, quam in nobis ipse causauerit, quia nobis inimicus; bene, ac dilucidè quoque sequitur, à primo ad vltimum; quòd iustè illi denegare possimus talia signa, eam ob causam, & propterea; quia nobis est inimicus.

116 Quantùm ergo ad primum. De ratione inimici est (ex Aristotelis doctrina, 2. Rhetoricorum, cap. 6.) vt, damnum importare nobis, gestiat: (& hoc pertinet ad illationem mali) & nos extingui, ac perire velit; & hoc pertinet ad ablationem boni. Et, si quis audire velit ipsum Aristotelem; eius verba (sicuti vertit Maioragius) hæc sunt. *Inimicitia* (primo loco inquit) *damnum importare gestiunt* deinde subdit, nonnullis interpositis: *Qui odit, vult eum, quem odit, extingui, ac perire.*

117 Ex hac doctrina sequitur: quòd, si velimus inimicum definire; ita dicere possumus. *Inimicus est, qui gestit, damnum, siue malum inferre nobis, & auferre bonum, & præsertim vitam.* Quo posito: veram oportet esse huiusmodi causalem. *Inimicus infert nobis mala, & aufert bona, propter eam causam; quia, inimicus definitur esse, qui gestit, damnum, siue malum inferre nobis, & auferre bonum,* &c.

&c. Et ratio est: quia, huiusmodi causalis continet veram causam, quare inimicus nobis infert mala, & aufert bona: quæ (cùm actus inferendi mala, & auferendi bona supponatur actus humanus, & volitus, ac proinde, ad eum finem ordinatus, qui est illatio mali, & ablatio boni) alia esse non potest; nisi voluntas illa gestiens, hoc est, deliberata (gestire namque, talem voluntatis deliberatio nem denotat, quæ corporis etiam gestibus indicetur; vt ex illo Plauti, in Amphit. *Gestiunt pugni mihi*, apparet) in ordine ad illationem mali, & ablationem boni prædictam. Quandoquidem (vt Sanctus Thomas docet, 1.2. q. 1. a. 1. c.) illi soli actus humani, ac politi dicuntur; qui ex voluntate, quæ, in ordine ad propositum sibi finem, sit deliberata, procedunt. Quod, si verum est: veram etiam esse oportet hanc aliam causalem. *Inimicus nobis infert mala, & aufert bona, propter eam causam; quia est nobis inimicus.* Et ratio est: quia hi duo termini, *inimicus*, ex vna parte, &, *qui gestit nobis inferre malum, & auferre bonum*, ex altera parte; sunt (vt est clarum) definitum, & definitio. Vnde non solùm sunt termini (vt Dialectici vocant) conuertibiles, hoc est, æquè latè patentes; verùm (ex eodem Sancto Thoma, in 1. sentent. dist. 25. q. vnica, a. 1. ad 2.) termini sunt, secundùm rem, prorsus idem significantes. Id quod indicauit etiam ipse Arist. cùm (4. Metaph. tex. 28.) dixit; quòd, *Ratio, quam significat nomen, est definitio.* Ergo, vbi ponitur terminus, *inimicus*, nempè, definitum; significatur idem, secundùm rem, ac vbi ponitur terminus, *qui gestit nobis inferre malum, & auferre bonum*, nempe, definitio. Sed, ex dictis, illa prima causalis, vbi ponitur iste terminus, *qui gestit nobis inferre malum, & auferre bonum*, qui est definitio inimici, est vera, quia continet veram causam, quare (vt ibi dicitur) inimicus nobis infert mala, & aufert bona, quæ vera causa non est aliud, nisi (vt

(vt est ostensum) definitionis eiusdem significatum ; ergo oportet, esse veram, etiam hanc secundam causalem, vbi pro definitione ponitur, definitum, nempe, pro termino, *qui gestit nobis inferre malum, & auferre bonum*; terminus, *inimicus*: atque hoc, propter eandem rationem; quia, continet veram causam eiusdem illationis malorum, & ablationis bonorum, significatam per terminum, *inimicus*, qui, cùm sit definitum, significat idem (vt dictum est) quod sua definitio.

118 Ex his tandem infertur: quòd oportet, veram esse pariter hanc tertiam causalem, *Inimicus, nobis inferendo mala, & auferendo bona, causat in nobis tristitiam ex eo, quòd est nobis inimicus*; circa cuius dilucidationem primo loco propositam, nunc versamur. Et est ratio: quia (quod, ex Sancto Thoma, suprà, vidimus) mala nobis illata, & bona nobis ablata, tristitiam in nobis obiectiuè causant. Ergo, eandem tristitiam causat in nobis, & ipsa illatio malorũ, & ablatio bonorum; quæ duo immediatè causata sunt per mala illata, & per bona ablata. Imò, & quod significatur per terminum, *inimicus*, & per ipsius definitionem, dicendum est pariter eandem tristitiam causare: nimirum, ipsa voluntas gestiens, ac deliberata, in ordine ad eandem malorum illationem, & ablationem bonorum, quæ significatur, vt quo; & ipse inimicus homo, qui significatur, vt quod. Nam vtrunque (prima, videlicet, vt quo, & causa formalis; secundus, vt quod, & causa efficiens) causat illationem, & ablationem prædictam. Atque horum omnium ratio est: quia (vt retulimus alibi) *Quod est causa causæ, est causa causati*. Sed, inimicus causat in nobis illationem, & ablationem prædictam ex eo, quòd est nobis inimicus, vt est visum; ergo inimicus, nobis inferendo mala, & auferendo bona, causat in nobis tristitiam ex eo, quòd est nobis inimicus. Atque hæc de primo.

119 Quan-

119 Quantùm ad secundum. Illud est iustum, quod alicui rei, cui debet, adæquatum sit · & ideo, *Quæ adæquantur, dicuntur vulgariter* (inquit, 2.2. q.57. a.1. c. Sanctus Thomas) *iusta*. Tristitia verò debet adæquari Regulæ rectæ rationis: quia, *Passiones omnes regulari debent, secundùm talem rectæ rationis Regulam, quæ est radix boni honesti*; vt habet idem Sanctus Thomas, 1.2. q.39. a.2. ad 1. Ergo, tunc tristitia est iusta; quando Regulæ rectæ rationis est adæquata. Rationis autem rectæ Regula illa est, quæ concordat cum Regula diuinæ voluntatis: hoc est, quæ concordat cum Lege æterna, & cum ratione diuinæ Sapientię: secundùm quam, circa creaturas, rationabiliter, ac rectè vult, ac mouet ipse Deus; quæcunque, in ijs, debitum ad finem, vult, ac mouet. Qua de re, legendus est idem Sanctus Thomas, tum, ibidem, ad 3. tum, eadem parte, q.19. a.9. & 10. & q.93. a.4. ad 1. Sed voluntas diuina, æterna Lege, rationéque diuinæ Sapientiæ regulata, & dicta proinde rationabilis (loquor autem sic de diuina voluntate, non sui quidem ipsius ratione: sed ratione tantùm volitorum, circa creaturas: quem sanè loquendi modum, quemadmodum, & eius explicationem, ab eodem Sancto Thoma, in responsione ad primum argumentum, proximè citata; sum expresse mutuatus) peccatum, quale est, per iniuriam, atque inimicè inferri malum, & auferri bonum alicui; prorsus non vult: sed ab illo summè abhorret. Ergo, Regula rectæ rationis, huic diuinæ voluntati concordans, dictat; esse abhorrendum ab iniuriosa, atque inimica illatione malorum, & ablatione bonorum: cùm semper in ordine ad eum, qui infert, & aufert, sit peccatum, & à peccato, in quocunque existat, vel, scilicet, in nobis, vel in alijs, sit semper abhorrendum (ex eodem S. Thom. ad 3. citatum) id quod pendet à memorata concordantia. At, *cùm tristitia in motibus appeti-*

petitiuis (vt iterum ait S.Tho. 1.2.q.36.a.1.c.) *se habeat, per modum fugæ, & recessus*; consistit in abhorrendo. Ergo, quandocunque contingit, vt ab iniuriosa, & inimica illatione malorũ, & ablatione bonorum aliquis abhorreat; huiusmodi tristatur. Sed, sic abhorret, ex dictamine Regulæ rectæ rationis, & sese illi adæquando; ergo pariter, ex dictamine Regulæ rectæ rationis, & sese illi adæquando, tristatur. Atque ita, dilucidè concluditur: tristitiam, quam causat aliquis in nobis, inferendo nobis mala, & auferendo bona, per iniuriam, & inimicè, siue ex eo, quod est inimicus nobis; cùm sit adæquata rectæ rationis Regulæ; iustam esse vsquequaque.

Porrò: vti consueuisse Scriptores in hac materia termino, *iustum*, ita vt iustam appellent tristitiam, iustum dolorem, iustum rancorem, & similia; legi potest, apud Siluestrum, verbo, *Charitas*, q.6. apud Nauarrum, in Manuali, cap. 14. n. 25. apud Dianam, parte 5. tract. 13. resol. 89. (vbi verbis Hurtadi de Mendoça loquitur) & apud alios. Atque hæc de secundo.

120 Quantùm ad tertium. Idem Hurtadus, apud eundem Dianam, ibidem, expresse tradit: iustum dolorem, siue, quod idem est, iustam tristitiam facere; vt, *vrbanitatis* (ait ipse) *argumenta*, siue (vt pergamus, terminis nostris vti) signa dilectionis, quę particulariter aliquibus exhibuerimus, iustè denegemus ei; qui causauerit in nobis iniustè talem dolorem, talémque tristitiam. Quod tamen, semper intelligo, nisi contrarium necessitas poscat; vt suprà iam, cum Sancto Thoma, statuimus.

Et huius Asserti, quod prorsus verum existimo; hanc reddit rationem Hurtadus. Quia, nisi quis huiusmodi signa dilectionis denegaret ei, de quo loquimur; indicaret vtique ceteris, parui se contristantem iniuriam æstimare.

Sed, eiusdem Asserti rationem ego eruerem ab ipsa natura

tura tristitiæ, quæ ea est (ex Arist. 10. Ethic. & ex S. Tho. 1. 2. q. 37. a. 3. c.) vt operationem tristitia impediat: maximè verò circa illud, quod est causa tristitiæ. Tunc enim, propterea quòd versatur circa illud, quod est causa tristitiæ, nostra voluntas; oportet, illam ampliùs tristari: quæ voluntas, cùm operationis humanæ sit causa; quò magis est contristata, eò magis necesse est, operationem ipsius impediri. At, si iustè contristati signa dilectionis exhiberemus ei, qui nos contristauit iniustè; versaretur nostra voluntas circa illud, quod est causa tristitiæ: atque ita, iustè tristaretur ampliùs; & impedimentum, ac proinde difficultatem, in operando, grauiorem sentiret. Rationi ergo consentaneum est, & propterea iustum: vt, ad euitandum, in operando, impedimentum, ac difficultatem huiusmodi; cùm iustè tristamur, non exhibeamus quidem: verùm denegemus illa signa dilectionis ei, qui nos contristauit iniustè; quæ particulariter exhibuerimus aliquibus, quæque, nullo Iure tenemur, aliàs exhibere.

121 Et quanuis, idem Auctor explicet, suum Assertum habere locum, cùm quispiam acceperit ab aliquo grauem, infamémque iniuriam, quod *esset*, inquit, *si appellatus fuisset sodomita, fur, iudæus, aut quid simile enorme*; necesse tamen est, vt, multò magis habere locum, fateatur; cùm quispiam acceperit graues iniurias in bonis corporis, quæ tendant, ad tollendam vitam: cuiusmodi essent vulnera lethalia, mutilationes membrorum, & huiusmodi. Præeminent enim (vt est clarum, vtque docet Sanctus Thomas, tum 2. 2. q. 73. a. 3. c. tum alibi) bona corporis, qualis est vita, & membrorum integritas; bonis exteriorum rerum, inter quæ, connumeratur fama.

122 Præterquam quòd, verbales illæ iniuriæ, quantumuis graues, atque infames; fere non sunt tandem, nisi effectus iræ. Contumelia nanque ponitur, inter iræ filias; & iniu-

iniuriosa verba contumeliæ sunt: (Sanctus Thomas, 2.2.q. 158.a.7.c.) iniuriæ verò in bonis corporis, ac tendentes, ad tollendam vitam, sunt effectus odij, atque inimicitiæ: vt (ex Arist.Rhet.2.cap.6.) suprà vidimus. Vnde, tantò sunt hæ grauiores illis; quantò grauius est odium ira, hoc est, quantò grauior est trabs festuca. Odium enim à S. Augustino, in sua Regula, trabi, ira festucæ comparatur; cùm, de ijs faciendo verba, dicit ibi; ***Ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca.*** Concludendum igitur est: quòd iusta tristitia, quàm iniustè causauit inimicus in nobis; nedum iustè, sed iustissimè faciat, vt illi denegemus prædicta signa dilectionis, necessitate seclusa. Cùm, iusta tristitia, quam causauerit alióquin in nobis verbalis iniuria, & consequenter ex ira, non ex odio, & inimicitia procedens; idipsum iustè facere, asseratur. Maximè autem, si (vt addit Azorius, parte 2. lib. 12. cap. 3. q. 7.) adhuc recens iniuria sit; & animi perturbatio non sit sedata. Atque hæc de tertio.

His itaque tribus ita dilucidatis: dilucidatam etiam remanere oportet nostram illam vniuersalem Causalem; pro qua dilucidanda, hæc tria dilucidare voluimus: Causalem, videlicet, illam, qua stauebamus; ***Absque Charitatis, ac salutis iactura, posse nos dilectionis illa signa, quæ alijs particulariter exhibuerimus, denegare inimico, eam ob causam, & propterea; quòd est inimicus nobis, & nobis mala intulit, & abstulit bona: nisi tamen, contrarium necessitas poscat.***



MEM-

MEMBRVM TERTIVM.

Applicantur Mastino, quæ scripta sunt hactenus generatim, duobus proximis in Membris: & concluditur, quod pensiculandum, & probandum, in quinta Subdistinctione, fuerat susceptum.

123 CEterùm: vt deueniamus tandem ad Mastinum, & illi applicemus, quæcunque hactenus, in Subdistinctionibus duabus præcedentibus, propter illum, dicta sunt:

Certum hoc est: quòd, Cùm ille suis tacuit in Carminibus Ductorum hostilis exercitus nomina; atque hoc ob id, ne hunc ipsis tribueret honorem qualemcunque; non eis denegauit propterea signum dilectionis illud; quod exhiberi dicitur proximis, in communi. Et ratio est. Quia, tacendo illorum nomina, non exclusit proinde illos à participatione signi alicuius dilectionis; quod intenderit eorum exhibere populo, vel nationi toti. Neutiquam enim constat, vnquam hoc illum intendisse; quin, contrarium prorsus: &, in huiuscemodi exclusione, signi talis denegationem sitam esse; iam ostensum est. Quocirca, relinquitur: Mastinum, prædicta nomina tacendo, signum dilectionis prædictis Ductoribus denegasse; quod exhibuerit aliquibus, aut alicui particulariter. Cùm enim duo tantùm sint (vti vidimus) horum genera signorum; nisi denegauit signum primi generis; necessariò concluditur, denegasse signum secundi.

En autem, quàm bellè facta dictis respondent. Expressit Mastinus, in Carmine, de secundo Incursu, nomen

men, siue cognomen potiùs vnius ex ipsis; cognomen, in quam, Sebastiani Macri; cùm dixit alloquendo Patriam:

Cumque Fluentini in te præcipitata Senatus
Saeuiret rabies, totis cùm viribus Arnus
Iurasset, Macri interitum, cladémque cruentam
Vlcisci, Campo passam, succensus, Acerbo.

Denegauit ergo ceteris, quod vni ex ipsis particulariter exhibuerat. Et, quod pluris est, eo tempore denegauit; cùm, signa dilectionis illis exhibendi, nulla penitus vrgebat necessitas.

Congruenter igitur ijs, quæ generatim sunt, in secunda Subdistinctione, conclusa, & comprobata: siluit Mastinus memoratorum nomina Ductorum, suis in Carminibus, illísque proinde signum dilectionis, atque honoris, quod præ se ferebat eorumdem nominum expressio, denegauit; absque vlla omnino Charitatis, ac salutis iactura.

124 Deinde autem: tale signũ dilectionis, atque honoris eisdẽ denegauit, ex tristitia faciente; vt iustè, imò iustissimè hoc denegaret. Faciebat autẽ hoc ipsum illa tristitia; quia erat iusta. Erat autem iusta; quia fuerat in illo causata, per eosdem Ductores ex eo; quòd, (iuxta practicum illius iudicium, quod erat moraliter certum, formidinémque oppositi penitus excludebat, vt firmatum est suprà, n.70.) immeritò, ac tyrannicè tentauerunt ij, suã illius inuadere Patriã, ibíque de medio tollere homines, & rem cunctam diripere illorum: ac proinde ex eo, quòd erant ijdẽ (iuxta prędictum eiusdem iudicium) in iure, & in titulo Tyranni, hoc est, suę illius Patrię alieníque Principatus inuasores iniusti, ac sibi ipsi consequẽter inimici: & hoc modo, hísque causis causata tristitia, cùm adęquata rectæ rationis Regulæ sit; est prorsus iusta: quę omnia clarissimè patent, ex fusè dilucidatis, in superiore proxima Subdistinctione. Igitur, à primo ad vltimũ, bene sequitur: Ex eo, quòd præfati Ducto-

ers (iuxta Mastini practicum, & certum iudicium) tyrannici, atque iniusti suæ ipsius Patriæ, alieníque Principatus inuasores erant, ac sibi ipsi, per consequentiam, inimici; potuisse ipsum tacere, circa illos, quæ, de facto, suis tacuit in Carminibus; atque ita, signum dilectionis, & honoris illud eisdem denegare, quod de facto denegauit; absque vlla Charitatis, ac salutis iactura. Maximè, cùm, scribente ipso (vt per ipsius verba vidimus alibi) inter flammiuomos, bellicósque, quos concitarant ijdem, tumultus; iniuria, damnúmque acceptum equidem esset perquamrecens, nec esset animi perturbatio sedata: quapropter doctrina, quę iam ex Azorio tacta est, in antecedentis Membri fine; proprium haberet in eo locum.

Et per hęc, pensiculatum, & probatum remanet, quod, in Distinctione quinta pensiculandum, & probandum susceperamus.

MEMBRVM QVARTVM.

Proponuntur, ac soluuntur Obiectiones quædam, contra illa, quæ, proximo Membro, sunt hactenus resoluta.

125 DIcet aliquis in contrarium,

Primò. Tacuit prædicta Mastinus, ex odio: quod expresè patet, ex verbis eius. Ergo tacuit, cum Charitatis iactura.

Respondeo. Nisi dicere velimus, illum, ex odio licito, tacuisse; de quo suo loco scriptum est (vt verè possumus) addamus: eundem, ex illo tacuisse odio; quod Nauarrus, in Man. cap. 14. num. 25. facit idem cum rancore, & ad rancoris, odijque mali differentiam; dicit, esse ranco-

corē bonū. Et hoc formale, vel materiale odiū quidē certè nō est: sicut sanè nō est ali.ud, nisi iusta tristitia, de qua, num. 84. & ad odium illud licitum ita se habet; sicut ad suum effectum sua causa: quod etiam dici debet de tristitia iniusta, in ordine ad odium illicitum: mediat enim huiusmodi odium, siue propriùs tristitia, vel iusta, vel iniusta, inter apprehensionem, tanquam causam ipsius, & dissonantiam, tanquam ipsius effectum: de quibus duobus, odij formalis, quod in dissonantia quadam consistit, definitionem afferentes; in superioribus meminimus. Videantur illa; atq; hæc, & illa conferantur simul; dū nego conseq.

126 Secundò. Tacuit prædicta, vt explicat; ne illorum Ductorum fama, & gloria, suis ipsius Carminibus perennis fieret. Sed, hoc est effectus maleuolentiæ, quæ dicitur liuor vindictæ: est, nimirum, redditio mali pro malo; qua prohibemur ab Apostolo, ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes*.

Respondeo, negando minorem. Maleuolentia nanque, siue liuor vindictæ facit; vt reddamus malum pro malo formaliter, ac positiuè: hoc est, vt infligamus malum offensori positiuum. Et, hoc prohibemur à S. Paulo. Videndus est Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 108. a. 1. c. Per taciturnitatem autem, signum dilectionis denegare, quod necessitas exhibere non cogit; nequaquam est inflictio mali positiui: verùm denegatio non debiti boni.

127 Tertiò. Et, est etiam impugnatio proximæ Responsionis. Bonum ijs, qui nos oderunt, semper debemus. Semper enim vrget Christi Domini præceptum (Matthæi 5.) *Benefacite ijs, qui oderunt vos*. Ergo, si Mastinus, tacendo, quæ tacuit, (licèt positiuum non inflixerit malum) bonum tamen, vt conceditur, denegauit; verè denegauit bonum debitum, ex præcepto Christi; non verò bonum indebitum: atque ita, cum iactura Charitatis.

Respondeo: Præceptum prædictum Christi Domini vrgere quidem semper: at, non ad semper. Est enim, vt patet, affirmatiuum. Quapropter: etsi, semper vrgeat; vrget nihilominus, pro articulo necessitatis tantùm. Legatur Sanctus Thomas, in 2.2. tum, q. 2. a. 2. c. tum, q. 25. a. 9. arg. 2. &, c. Secluso itaque necessitatis huiusmodi articulo (vt in casu nostro secluditur, quod est alibi visum) bonum, quod ijs debemus, qui nos oderunt, semper est non debitum; &, absquè iactura Charitatis, prætermittitur.

Fateor sanè: si ijs, qui nos oderunt, etiam necessitatę seclusa, benefaciamus; id esse longè melius: quippe quod ad perfectionem pertineat Charitatis: atque adeò, longè meliùs facturum fuisse Mastinum; si, repugnando suæ tristitiæ, quanquam iustæ, nomina prædicta expressisset; prædictisque Ductoribus hunc exibuisset honorem, & bonum. Verùm, hîc non loquimur de eo, quod est melius, & perfectius: cùm ostendere sufficiat, ad nostrum institutum, id, quod licitè fieri potest; absque iactura Charitatis.

128 Quartò tandem. Et, est impugnatio pariter proximæ Responsionis. Tacere nomina nonnullorum, ne illi honorentur; scandalosum est. At, inter casus necessitatis, quibus tenemur inimicis exhibere signa dilectionis, etiam secundi generis; vnus est euitatio scandali. Adeatur Caietanus, in 2. 2. q. 25. a. 10. Adest ergo, non secluditur articulus necessitatis, in casu nostro: atque, hac vrgente necessitate; tenebatur Mastinus exprimere nomina, quæ siluit; aut saltem non exprimere, [sic] silere, ne Ductores illi honorarentur.

Respondeo: Quod iustè fieri potest, nequaquam esse scandalosum. Scandalum enim est (quemadmodum statuit Sanctus Thomas, eadem 2. 2. q. 43. a. 1. c.) dictum, vel

vel factum minùs rectum præbens ocasionem ruinæ. Si verò, ex eo, quod Mastinus tacuit, ſcandalizari paſſiuè puſilli (quod ſcandalum non eſſe contemnendum, certum eſt) fortaſsè potuiſſent; ſuæ taciturnitatis ratione reddita, per illa verba, *Qui noſmet medio de tollere, adorti immeritò*, quibus iuſtæ ſuæ triſtitiæ cauſam indicat, quæ faciebat, vt iuſtè taceret ea, quæ tacuit (vt iam oſtenſum eſt) ad remouendum omne ſcandalum, ſufficienter eſt vſus illo remedio; quod Idem Sanctus Thomas, conſulendus ibidem, a. 7. c. præſcribit.

129 Ea verò expreſſio, Ne Ductores illi honorarentur, ſiuè (vt ipſius verbis vtar) *Ne* illorum *fama perennaret*, &, *Quò* (illorum) *pijs, nulla ſupereſſet gloria, Carminibus*, nullam prorſus malitiam addit taciturnitati, circa nomina: ita vt magis expreſſio ſcandalizare potuerit, quàm taciturnitas. Etenim vtrunque, tam, nimirum, taciturnitas, quàm expreſſio, intra limites æquè continentur denegationis non debiti boni, hoc eſt, non debiti ſigni dilectionis, quod ſecundi generis dicimus; & neutrum æquè inflictio eſt poſitiui alicuius mali, qua tantùm (vt in Reſponſione ad ſecundum, paulò ſuprà diximus) in inimicos prohibemur. Quare: quicquid affirmamus de taciturnitate; idem omnino dicendum eſt etiam de expreſſione. Et præſertim: ſi de taciturnitate iam dictum eſt, quòd (illius ratione reddita, per verba ſuprà poſita) ſatis, quantùm erat in ſe, remouit Mastinus omne ſcandalum; idem concludere oportet, per eadem verba, feciſſe illum prorſus, & de expreſſione.

Et ex his omnibus, quæ, trutinantes Maſtini Verſus, ad impugnandam ipſius Chriſtianam Bonitatem ſuprà relatos, per totam Diſtinctionem quintam hucuſque conſcripſimus; dilucidiſſimè apparet: eoſdem Verſus nihil obſtare, quin affirmari poſsit, fuiſſe in Maſtino (dum vi-

 ueret)

ueret) erga Deum, & erga proximum Charitatem; & quin præsumi possit, fuisse tunc eundem bonum Christianè. Quam clausulam habeat, ad octauum argumentum, secunda Responsio.

Atque ita solutis octo argumẽtis illis omnibus, quæ, circa dicta specialia Mastini, iam fuere proposita; proinde, finit etiam, cum §. 5. tertiæ Sectionis; & vltima Secundæ huius Partis Quæstio quoque vniuersa.

APPENDIX QVÆST. VTRIVSQVE COMMVNIS.

Afferuntur vniuersales Probationes duæ, singula tria Facta, quæ, duabus iam absolutis Quæstionibus, probata speciatim sunt hactenus; adhuc simul probantes: & nullo modo postponendæ.

1 VNiuersalium igitur huiusmodi Probationum Prima est. In factis antiquis memoriam hominum excedentibus; publica vox, & fama plenè probat. Docet hoc expresse Decius, in capitulum 1. n. 18. De Appellationibus, & in capitulum, *Veniens*, n. 11. De Testibus, vbi testatur de communi; Iason, in legem, *Cum aliquis*, n. 5. C. De Iure deliberandi; Mascardus De Probationibus, conclus. 105. n. 1. 2. & 3. & alij quamplurimi, quos hi Doctores citant. Et, maximè locum habet hoc effatum; cùm fama non est quidem vana vox vulgi, & rumor quidam in populo, qui nullos certos auctores, aut causas, aut rationes probabiles habet, quæ, ad ita credendum, persuadeant: (vt loquitur idem ipse Mascardus, conclus. 749. n. 5.) sed originem traxit, vel ab ijs, de quibus, in capitulo,

lo, *Qualiter, & quando* (quod ſecundò ſic incipit) De Accuſationibus, hoc eſt, à prouidis, & honeſtis, &(vt intelligit Bartholus, in legem, *De minore*, §. *plurimum*, n. 15. ff. De Quæſtionibus) à perſonis fide dignis; vel ab aliquo exteriore actu, vnà cum perſona, etiam vili, vel ab aliquibus alijs coniecturis fundatis(ex eodem Bartholo, ibidem, n. eodem, & n. 17.) & eſt, præter hæc, probata, item ex Barth. n.30.

2 Sed, vt hæc percipiantur; aduertendum: quòd fama (vt idem Bartholus, citato loco, n.7. 8. & 9. docet) non eſt aliud; niſi quædam *communis opinio, voce manifeſtata, ex ſuſpicione proueniens*. Et ſermo eſt de illa fama, quæ non, *de homine*, quidem; ſed, *de aliquo facto*, nuncupatur: hæc enim tantùm, ad rem præſentem ſpectat. Explicat autem ipſemet Bartholus talem famę definitionem, hoc modo. Dicitur, *communis opinio*, inquit; *ad differentiam opinionis ſingularis*, quæ non eſt fama. Dicitur, *voce manifeſtata; quia aliàs, non eſſet fama: fama enim* (vt addit) *ſecundùm Hugonem, dicitur à fando*. Dicitur, *ex ſuſpicione proueniens, ad differentiam manifeſti. Nam, ſi diceretur communiter aliquid, quod eſſet certum, & viſum à populo; illud eſſet manifeſtum, vel notorium: non fama*. Sic ille.

3 Quoniam verò, ſuſpicio illa, vnde prouenit cōmunis opinio, quæ dicitur fama, poteſt oriri, vel ab auctore certo, vel ab auctore incerto (vt notat Gloſſa, in canonem, *Manifeſta*, 2. q. 1. & verbo, *notorium*, in capitulum, *Veſtra*, De Cohabitatione Clericorum, & mulierum, id quod innuitur inſuper, can. *Sanctum*, in fine, De Conſecratione, diſt. 4.) vel etiam ex indicijs, & præſumptionibus (vt addunt Nauarrus, in Manuali, cap. 27. num. 255. & Reginaldus, in Praxi, lib. 30. tract. 2. num. 36.) & auctor certus poteſt eſſe perſona digna, vel indigna fide; & auctor incertus, non niſi vanam illam reſpicit vulgi

vocem, ac populi rumorem; & indicia, ac præsumptiones possunt, esse fundatæ, ac non fundatæ; & tandem, quemadmodum (vt habet, vbi suprà, num. 30. Bartholus) vana vox populi (ex lege, *Decurionum*, C. De Pœnis) non est exaudienda, ita dici debet, à pari, de persona indigna fide, quæ sit sola, neque cum alijs fundatis indicijs coniuncta, & de indicijs ipsis, ac præsumptionibus non fundatis; ideo dixi, suprà positum effatum habere maximè locum, non quando fama est vana vox populi, & causis caret, quæ, vt ei aliqua præstetur fides, persuadeant: sed, quando traxit originem, vel à fide dignis, vel ab aliquo actu exteriore, vnà cum persona, etiam vili, vel ab alijs fundatis coniecturis. His enim vltimis casibus, probari, & ipsa fama potest, non autem primis; quod quidem est illud, quod volunt sibi Doctores, cùm famam dicunt (vt iam ex Bartholo vidimus) esse probatam debere.

De his autem (præter Mascardum, conclus. 748. citata, & sequenti 749. per totas) videndus est prælertim ipse Bartholus, in allegatum §. vbi, num. 17. pariter allegato, discetur præterea; quo modo, ex actu aliquo exteriore, vnà cum persona, etiam vili, & ex alijs fundatis coniecturis nasci possit vtilis, ad probandum, fama.

4 His ita notatis, & firmatis: argumentor ipse, hoc pacto. In factis antiquis, memoriam hominum excedentibus; publica vox & fama plenè probat. Attamen: huiuscemodi publica vox, & fama (esto habeat optimas causas, & vtilis ob id, ad probandum, sit, vt cùm maximè) cum formidine nihilominus, ac dubium, semper habet assensum: quippe quæ semper opinio sit, & ex suspicione dimanet. Ergo, factis in ijsdem, publica illa vox, quæ currit ex manifestis, multò pleniùs probat; quàm publica vox, quæ currit ex famosis. Quandoquidem, vox publica currens ex manifestis, inde ducit ortum; vnde ducit

cit

cit ortum, & ipsum esse manifestum. Sunt enim vnum, & idem, vox publica currens ex manifestis, & esse manifestum; sicuti, sunt vnum & idem, vox publica currens ex famosis, & fama, seu esse famosum. At (quemadmodum tradit Glossa iam citata, in can. *Manifesta*, 2. q. 1. Siluester, verbo, *Manifestum*, Nauarrus, & Reginaldus, allegatis locis, & ceteri communiter) esse manifestum, procedit ex scientia: videlicet (cùm de factis agimus) ex cognitione, quam (vt loquitur Mascardus, conclus. 459.) capimus per proprium sensum; vt, cùm oculis, v. g. aliquid videmus, &c. Scientia verò quæcunque, semper certitudinem habet, & euidentiam: qua in re, ab opinione differt; quæ semper est incerta, & cum formidine. (Consulatur Aristoteles, 1. Posteriorum, cap. vltimo, & Siluester, verbo, *Opinio*, in principio.) Vnde, tantò pleniùs probare oportet vocem publicam ex manifestis currentem, voce publica, quæ currat ex famosis; quantò necesse est, esse veriora, quæ deriuant ex certis, & euidentibus; quàm ea, quæ ex incertis, & iunctam formidinem habentibus, deducuntur.

5 Porrò autem: publica vox, quæ Pinnæ Billorum currit, circa Facta, tum Lacrymarum, tum Liberationis vtriusque, currit equidem ex manifestis. Principium nanque desumpsit ex certis, ac fide dignissimis illis auctoribus, qui suismet oculis illa conspexerunt; vt, suis locis, ex multis, apertè ostendimus. Ergo, sola huiusmodi publica vox probat illa plenissimè.

6 Secunda est. Mascardus, conclus. 103. num. 11. & 12. hæc habet. ***Approbata omnium nostrorum sententia habetur: in factis antiquis non requiri exactam, & plenam Probationem, vt in nouis, & recentibus: sed, leuiores Probationes sufficere, omnes consentiunt.*** Et conclusione 107. num. 1. hæc addit. ***Antiquum probari, per coniecturas***

ras, indicia, & præsumptiones; tum Cæsareo, tum etiam Pontificio Iure receptum est. Et (vt ampliat, num. 2.) id ipsum verum est; *etiam si Lex, vel Statutum requirat plenam Probationem. Nam, in casu antiquo, sufficiunt coniecturæ, & præsumptiones, pro plena Probatione.* Quæ omnia textibus, ac Doctorum auctoritatibus cōfirmat. Quin, conclusione 1229. num. 4. huius rei optimam affert rationem. *Quia*, scilicet, *facta antiqua sunt difficilis Probationis.*

Quo posito: sic argumentor. Probationes, circa supradicta Facta, hucusque in hac secunda parte allatæ; aut sunt per se exactæ, & plenæ; aut sunt leues & coniecturales tantùm. Si primum; per illas iam habuimus, quod intendebamus. Si secundum; habemus illud, saltem nunc. Quia, cùm Facta sint antiqua (vt loco suo vidimus) in antiquis Probationes leues, & coniecturales (ex doctrinis proximè allatis) vtique sufficiunt, & habentur pro plenis. Et, Secunda Pars ad hunc exitum sit perducta.

TER-

TERTIA PARS DISSERTATIONIS.

De illius Approbatione, quod in Factis, & Lacrymarum, & Liberationis vtriusque, Miraculum est.

PRÆFATIO.

Indicatur continuatio sequentium cum antecedentibus: & proponitur, quod est quaerendum.

PRopter causas, quæ, §. 5. Procemialium sunt expositæ; Factorum huiusmodi, An sit, in Secunda Parte, &, Quid, & Quale sit, in esse, quasi entis, & naturæ, in Prima; iam visum est. Restat: vt videamus idem Quale, in esse moris, in hac Tertia Parte; vt eorundem Factorum Propter quid, videri tandem possit, in Quarta.

Ad Quale itaque, in esse moris, Factorum talium; pertinet eius Approbatio, quod in illis (ex dictis in Prima Parte) Miraculum est. Quare, hîc vnum tantùm satis est, vt inquiramus: nimirum:

An illud, quòd in his Factis est Miraculum; sit approbatum.

QVÆ-

QVÆSTIO VNICA.

An illud, quod Miraculum est, in Factis, & Lacrymarum, & Liberationis vtriusque, sit approbatum.



Væstio duas habet Sectiones, neque illas quidem breues: quæ proinde, multipliciter diuiduntur, ac subdiuiduntur, solito more.

SECTIO PRIMA.

Supponuntur non pauca: illa, nimirum, quæ, ad resoluendam Quæstionem, sunt visa, tum necessaria, tum conducibilia.

PAragraphi principales nouem sunt. A tertio fit quædam Digressio, & illi demum nonnihil appenditur; textus verò distinguitur, ac subdistinguitur, vt patebit.

§. I.

Supponitur, ac probatur; Approbationem esse actum voluntatis deliberatæ.

1 SVpponendum est primò: quòd, Approbatio est actus voluntatis deliberatæ.

Esse

Esse autem illam actum voluntatis;

Patet ex eo: quia, multi Theologi, scientiam Dei, prout est causa rerum in actu secundo, scientiam appellant Approbationis. Qua de re, videri potest, inter ceteros, in primum Sententiarum, dubio 3. litterali, circa distinctionem 38. Sanctus Bonauentura: & maximè omnium, Sanctus Thomas, cum Thomistis communiter, 1. p. q. 14. a. 8. c. Hinc autem colligitur, Approbationem spectare ad voluntatem, tanquam actum ipsius, ex eo: quòd, propter eam causam, ***Scientia Dei, secundùm quòd est causa rerum*** (inquit Sanctus Thomas, ibidem) ***consueuit nominari scientia Approbationis***; quòd, ***scientia Dei sit causa rerum, secundùm quòd habet voluntatem coniunctam***: hoc est, secundùm quòd Dei voluntas vult, & approbat, quòd causari debet, & determinat scientiam ipsam diuinam, siue diuinum intellectum, ad quem scientia pertinet; vt, suo imperio, causet: iuxta illud Psal. 148. ***Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt***. Qua de re, cõsulatur (si placet) Aluarez, De Auxilijs diuinæ gratiæ, disput. 17. num. 4. dum, per huiusmodi (quæ quidem, in præsenti, per se, ad nos non spectant) interim satis apertè didicimus; Approbationem esse voluntatis actum.

2 Quòd verò, eadem voluntatis deliberatæ sit actus; infertur ex insequente discursu.

Approbatio siquidem nihil est aliud; nisi quoddam Complacitum, siue Beneplacitum.

Indicatur hoc, primò, ex quadam explicatione, illáque optima; quam, 1. p. q. 74. a. 3. ad 3. adhibet Sanctus Thomas verbis illis Genesis capitis primi; ***Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona:*** dum tollit maximè difficultatem, quæ inde nascitur, quod Scriptura repetat hoc ipsum, in fine operum ceterorum dierum creationis; & prætermittat in fine operis diei secundi. Dicit ergo sic.

In

In hoc significatur quadam Complacentia Dei opificis, in re facta: non quòd, alio modo cognosceret, aut placeret ei creatura iam facta, quàm, antè quàm faceret; sed, eodem modo. Rationes verò quatuor afferens, quamobrem, in fine operis diei secundi, Scriptura non ponat, *Vidit Deus, quod esset bonum*; hoc est; quamobrem, dictæ Dei opificis, in re facta, complacentiæ mentionem non faciat; terminos variat: ac pro termino, *Complacentia*, terminos vsurpat, *Approbationem*, &, *Approbari*. Vnde, loquitur hoc pacto. *In opere verò secunda diei, non ponitur, Vidit Deus, quòd esset bonum: quia, opus distinctionis aquarum tunc inchoatur, & in tertia die perficitur. Vnde, quod ponitur in tertia die, refertur etiam ad secundam. Vel, quia distinctio, qua ponitur secunda die, est de his, qua non sunt manifesta populo. Vel iterum, propter hoc, quòd firmamentum simpliciter intelligitur aer nubilosus, qui non est de partibus permanentibus, in vniuerso; seu de partibus principalibus mundi*. Atque has tres rationes, quas dicit, esse Rabbi Moysis, ita concludit. *Ideo huiusmodi Approbatione Scriptura non vtitur*. Tandem, addit quartam rationem, ita fatus. *Quidam autem assignant rationem mysticam ex parte numeri: quia binarius ab vnitate recedit:* & eam claudit per hæc: *Vnde, opus secunda diei non Approbatur*. Clarum est autem: quòd, cùm dicit, *Huiusmodi Approbatione Scriptura non vtitur*, vel, *Opus secũda diei non Approbatur;* perinde est, ac si dixisset, Scriptura non vtitur verbis Complacentiam Dei opificis, in re facta, denotantibus. Relinquitur igitur etiam clarum: quòd hæc tria, *Complacentia*, *Approbatio*, *& Approbari*; sint vnum, & idem. Porrò: inter Complacentiam (quo termino vtitur Sanctus Thomas) & Complacitum, nihil differe video; nisi quòd, Complacitum, vocabulum sit Latinius, quàm, Complacentia. Complacitum verò, & Beneplacitum

tùm idem esse, apparet ex Roberto Stephano, in suo Thesauro, verbo, ***Complaceo***. Quare, in aperto positum est: Approbationem nihil esse aliud, nisi quoddam Complacitum, siue Beneplacitum.

3 Indicatur hoc secundò, verbis quibusdam Magistri Sententiarum, lib. 1. dist. 36. & Sancti Bonauenturæ, ibidem, dubio 3. litterali. Magister ita scribit. ***Deus mala non cognoscit, nisi per notitiam: bona verò, non solùm per scientiam; sed etiam per Approbationem, & Beneplacitum. Et, ob talem cognitionem, aliqua dicuntur esse in Deo, scilicet, quia ita ea scit; vt etiam approbet, & placeant.*** En autem: quàm dilucidè, terminum, Approbationem, per terminum, Beneplacitum, exponat Magister. Sanctus verò Bonauentura hæc habet. ***Approbatio supra cognitionem, secundùm intellectum, addit Beneplacitum voluntatis.*** Est ergo Beneplacitum quoddam, per illum, Approbatio. Cùm itaque (vt iam notauimus) Beneplacitum sit idem, atque Complacitum; iterum per Magistrum, & Sanctum Bonauenturam palam est factum, Approbationem nihil esse aliud, quàm ipsummet Complacitum, siue Beneplacitum.

Atque hinc fit: vt etiam propriè, Latinissiméq; quod nobis placet, approbare dicamus: cuius rei testis est luculentissimus Robertus ipse Stephanus, in Thesauro, verbo, ***Approbo***, vbi sic ait. ***Approbamus propriè, quæ placere, aut rata habere ostendimus.*** vbi, ad id, multas congerit Scriptorum bonorum auctoritates.

4 Porrò autem (*vt*, ad monstrandum, quod est per nos assertum, veniamus) Complacitum, siue Beneplacitum idem est, quod Propositum, seu Decretum, & Statutum.

Ostenditur ex eo, quòd, vbi ad Ephesios, cap. 1. habemus dictionem, ***Propositum***, dum iuxta vulgatam legimus,

Qui

Qui prædestinauit nos, in adoptionem filiorum, per Iesum Christum in ipsum, secundùm Propositum voluntatis suæ; Sanctus Hieronymus, Commentariorum, in eandem Epistolam, lib. 1. testatur; ex Græco posse verti, Beneplacitum. Audiamus ipsum disserentem: *Verbum*, inquit, *εὐδοκίαν, apud Græcos, compositum est ex duobus integris; ἀπὸ τοῦ εὖ, καὶ τοῦ δοκεῖν, à bene, & à placito, quod nos possumus dicere Beneplacitum*. Pro eodem ergo ponitur ab ipsomet Sancto Hieronymo, Propositum, & Beneplacitum, in eodem loco Sacræ Scripturæ: Propositum, in textu Vulgatæ (*Quam ex ipsius Sancti Hieronymi interpretatione esse, doctissimorum est virorum sententia*, vt ait Fabianus Iustinianus, De Sacra Scriptura, lib. 1. parte 1. cap. sexto) Beneplacitum verò in Commentarijs, vt vidimus. Sunt ergo vnum, & idem Beneplacitum, atque adeò etiam Complacitum; quod, Propositum. Imò, cùm (vt notat Cornelius, à Lapide, in idem caput 1. ad Ephes.) Apostolus ibi vocet Propositum, semel (hoc est, versu 11.) propriè, nempe, πρόθεσιν, & iterum (nimirum, versu 9.) εὐδοκίαν, quod propriè Beneplacitum significat, & rursum, versu 11. βουλὴν, quod est propriè Consilium voluntatis, aut liberum Decretum, siue Statutum; infert idem Cornelius: *Idem ergo sunt* Beneplacitum, siue Complacitum, Propositum, & Decretum, siue Statutum.

5 Hæc autem omnia, videlicet, Complacitum, Beneplacitum, Propositum, Decretum, & Statutum designare actum voluntatis; apertè manifestant, & Apostoli verba ipsa iam citata, cùm dicunt *Secundùm Propositum voluntatis suæ*; &, quod habent etiam Theologi, cùm voluntatem Dei propriè dictam appellant voluntatem Beneplaciti, distinctam ab ea, quæ est voluntas metaphorica, & signi voluntas nuncupatur; vt videri potest, apud Sanctum Thomam, 1. p. q. 19. a. 11. c. & apud alios.

6 Ac

6 Ac tandem: eadem omnia deliberatæ voluntatis actum denotare; docet idem Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 88. a. 1. c. dum ait expressè: *Propositum autem aliquam deliberationem praexigit, cùm sit actus voluntatis deliberata.*

Cùm ergo, Propositum, siue Decretum, & Statutum, & pariter Complacitum, siue Beneplacitum, eò quòd sunt idem, sint actus voluntatis deliberatæ; bene infertur ex hoc toto discursu: (id quod principaliter intendebam:) Approbationem quoque, quæ ab his nihil est aliud; deliberatæ voluntatis esse actum.

§. II.

Ostenditur, quid praexigat, & in quo propriè, completeque consistat actus voluntatis deliberatæ: Et, ex dictis, hauritur Approbationis definitio.

7 SVpponendum est secundò: quòd (vt elicitur ex Sancto Ioanne Damasceno, Ortodoxæ Fidei lib. 2. cap. 22. ex Sancto Thoma, 1. 2. quæstionibus 13. 14. & 15. fere per totas, maximè verò, a. 3. quæstionis 15. ex Caietano, 2. 2. q. & a. paulò antè citatis, ex Gregorio de Valentia, suorum Commentariorum tomo 2. disp. 2. q. 10. puncto 1. ex Vasquez, 1. 2. q. 15. in notationibus, circa doctrinam articuli primi, & ex alijs) Actus voluntatis deliberatæ illud præexigit: vt, quando datur optio, vnum ex duobus, vel ex multis eligendi; primò, quispiam, per actum consilij, conferat illa, quotquot sint (verbi gratia, scortari, nubere, & Virginitatem seruare) inter se: deinde, per actum iudicij, concludat, sententiam ferat, de-

Digitized by Google

terminet, decernat, statuat, ac deliberet; melius vnum esse, quàm alia: hoc est (iuxta positum exemplum) melius esse, Virginitatem seruare; quàm scortari, & nubere. Et hæc duo, nempe, consilium, & iudicium, spectant ad intellectum practicum. Quibus peractis: ille metipse, qui actu consilij, iudicijque fuit vsus; tandem, per actum voluntatis, afficitur, & applicat se ad id, quod fuit conclusum: nimirum (cùm huiusmodi affectio, & applicatio vocetur, ac sit consensus in actum, nempe, finalis quædam, ac definitiua sententia, de agendis; ita enim tradit, vbi suprà, Sanctus Thomas, quod & accepit ex Sancto Damasceno, vt infrà huius ex verbis apparebit) vltimò, ac definitiuè determinat, decernit, statuit, deliberat, ac, tanquam sibi beneplacitum, & complacitum, proponit acceptare, & eligere vnum, & non cetera; videlicet, Virginitatem seruare, non verò scortari, neque nubere. Atque, in hoc propriè, completéque consistit actus voluntatis deliberatæ. Consistit, inquam, in consensu voluntatis in actum. Et (quod idem est) consistit in finali, ac definitiua Sententia, Determinatione, Decreto, Statuto, Deliberatione, Beneplacito, Complacito, ac Proposito voluntatis; ex collatione, ac discursu intellectus practici nascente. Cùmque (ex dictis, §. antecedente) sint hæc omnia, non solùm inter se, verùm etiam Approbationi prorsus eadem; sequitur demum, vt idem actus voluntatis deliberatæ consistat, in Approbatione. Quod expressè ostendit, allegato loco, Sanctus Ioannes Damascenus, docens etiam altiùs, quæ, in primis, ego ipse dixi, præexigi, ad actum voluntatis; vt mox, ipsum differentem audiendo, dignoscemus.

8 Loquitur itaque ibi primò de fine, quem, tanquam obiectum, vt eo fruatur, voluntas vult, & intendit; ita dicens. ***Voluntas porrò finem spectat: non ea, quæ ad finem***

nem pertinent. Ac finis quidem est id, quod voluntati subycitur: verbi gratia, Regiam dignitatem tenere, vel incolumi valetudine esse.

Deinde: verba facit de medijs,ad finem conducentibus, & sic ait. *Ad finem autem spectat id, de quo consilium capitur: hoc est, modus, vel adipiscendæ sanitatis, vel Regiæ dignitatis.*

Tertiò: agit de solertia, inuentionéque mediorum, per hæc verba. *Voluntatem porrò sequitur inuestigatio, & consideratio.*

Quartò: sermonem habet de consilio, sic fatus. *Deinde, si de re aliqua, quæ in arbitrio nostro sita sit, agatur; consilium, seu deliberatio existit. Est autem consilium inuestigandi appetitio, quæ, de ijs rebus agendis, oritur; quarum, penes nos, est potestas. Deliberat enim quispiam, an rem aliquam aggredi debeat, necne.* Sed obseruandum: hîc deliberationem poni, pro consilio, & deliberare, pro practicè inquirere; quæ inquisitio actus est consilij.

Quintò: tractat de iudicio, taliter asserens. *Mox id, quod melius, conducibiliusque futurum sit, expendit: & iudicium dicitur.*

Sextò denique, concludit hoc pacto. *Postea, afficitur, atque id, quod consilium censuit; comprobat, & amplectitur.* Et en, quàm clarè significet,actum voluntatis deliberatæ (vt nos quoque dicebamus) in Comprobatione, siue Approbatione consistere; quæ ex consilio,iudicióque intellectus practici sit exorta. Sed, est hîc etiam obseruandum: ab Interprete Damasceni, qui est Iacobus Billius, consilium, hoc vltimo loco, pro iudicio vsurpari. Latinis enim,non raró, consilium est iudicium. Vnde,per Tullium, De Inuent.lib. 2. sic definitur: *Consilium est, aliquid faciendi, non faciendiue, excogitata ratio.*

9 Quod, si velimus etiam clarè percipere, Approba-

tionem hanc esse consensum, & contrà (quod itidem innuebamus) iterum audire libeat Sanctum ipsum Damascenum, proximè post ea verba, quæ postremò transcripta sunt, addentem quædam; atque, à Gabriele Vasquez (vbi, iam citatum est) appensam ipsis, appendiculam. Ille igitur hæc addit. *Et tunc* (nimirum, cùm post iudicium afficitur, & illud comprobat voluntas) *γνώμη, hoc est, sententia vocatur.* Hic verò hæc appendit. *Vbi existimat,* (nempe Damascenus) *ipsum affectum voluntatis, post iudicium esse, γνώμη, hoc est, consensum: & pro eodem omnino vsurpat, voluntatem comproba e, & amplecti, quod iudicatum est; & ei affici.* Dilucidè satis loquuntur ambo.

10 Atque, ex his omnibus haurire possumus definitionem Approbationis, & ita dicere. *Approbatio est consensus voluntatis, comprobans, & amplectens iudicium sententiam, ac decretum, tanquam sibi beneplacitum; quod ex sua collatione, consilioque intellectus practicus, de agendis, elicuit.* Quæ claret, per iam scripta.

Cùm itaque, Approbatio sit essentialiter consensus voluntatis; hinc sequitur: vt, quæcunque Scriptores de consensu voluntatis dicunt; eadem dicenda sint etiam de Approbatione: ad quorum aliqua tangenda, quæ ad præsens institutum faciunt; mox procedam: vbi nihilominus, beneuolum Lectorem vnum admonuero; quod illud est.

Probè noui quidem: voluntatis inter illos actus, qui habitudinem habent, non ad finem proximè, sed ad ea, quæ sunt ad finem; locum vltimum, tanquam complementum ceterorum, electionem tenere: atque omnium ordinem hunc esse. Præcedit consilium, conferens eligenda. Sequitur iudicium, decernens melius. Ponè subit consensus, approbans iudicium. Ac tandem totum cursum terminat electio, vnum ceteris præferens, & illud acceptans. Declaraui tamen tantùm tres primos actus, ni-

Digitized by Google

nihilque dixi de quarto: quia illi tantùm ostendunt, quod mihi fuit propositum; in quo, nimirum, consistat actus voluntatis deliberatæ. Vidimus enim, incipere hunc à primo; ac tertio terminari. Quare, cùm quartus, hoc est, electio nihil faceret ad rem; omittendus planè fuit.

De electione igitur (si de illa placet plura scire) cōsulatur, cum suis Expositoribus, S. Thomas, loco iam citato; maximè, q. 13. per totam: &, si quis legere voluerit responsionem ad tertium argumentum articuli tertij quæstionis 15. discet præterea; in quo singulariter electio differat à consensu, & quando non re, sed ratione tantùm.

§. III.

Afferuntur differentiæ, distinctionesque variæ Consensus: vt inde appareant etiam differentiæ, ac distinctiones Approbationis.

11 SVpponendum est tertiò: quòd, Consensus primò duplex est. Alter expressus, explicitus, actualis, positiuus; alter tacitus implicitus, virtualis, negatiuus: ex Caietano, 2. 2. q. 88. a. 1. vers. *Ad hoc dicitur;* Azorio, Instit. parte 1. lib. 4. cap. 6. q. 5. Sayro, in Claui regia, lib. 8. cap. 7. num. 1. & alijs.

Consensus expressus, explicitus, actualis, positiuus tunc est; cùm omnia illa interueniunt, quæ de actu voluntatis deliberatæ dicta sunt. Cùm, inquam, præcedunt formaliter, ac distinctè, ex parte quidem intellectus practici, actus consilij conferentis conferenda, & actus iudicij concludentis, ac determinantis, quid melius, vel quid bonum: ex parte verò voluntatis, insequitur actus con-

sensus comprobantis, & amplectentis, quod iudicium conclusit, ac determinauit; vt iam declarauimus. Videantur, qui suprà.

Contrà porrò: Consensus tacitus, implicitus, virtualis, negatiuus tunc est; cùm omnes, & singuli prædicti actus, & intellectus, & voluntatis, interuenire sanè possunt, ac debent; attamen, ex defectu tantùm ipsius agentis per intellectum, & voluntatem (qualis, in actibus liberis, & voluntarijs, est homo) in suo munere; haud interueniunt. Sic ex Sancto Thoma, 1. 2. q. 6. a. 3. c.

12 Rursum. Consensus expressus, explicitus, actualis, positiuus potest esse duplex. Alter tantùm internus, & externis actibus non explicatus; alter externus, & externis actibus, nempe, locutionis, gestus scripturæ, ac similibus, explicatus. Ex Thoma Sanchez, De Matrimonio, lib. 2. disp. 30. num. 1. Ioanne Gutierez, item De Matrimonio, cap. 46. num. 8. Basilio Pontio, item De Matrimonio, lib. 2. cap. 6. num. 1. & ex ceteris: qui propterea quærunt: An, in contractu Matrimonij, & in quouis alio, sufficiat Consensus internus; ita vt externus non requiratur.

Et pari modo: duplex etiam esse potest Consensus tacitus, implicitus, virtualis, negatiuus. Nimirum, alter internus, ex defectu internorum actuum; alter externus, ex defectu externorum: cùm tamen, & illi, & hi possunt, ac debent interuenire. Hæc ex S. Thoma, loco proximè citato, & ex illa Regula can. vltimi, 23. q. 3. *Qui desinit obuiare, cùm potest, consentit.* Quin (dictis debito, & potentia concurrentibus) etiam ex altera Regula, De Reg. Iuris, in 6. præmissæ congruente; *Qui tacet consentire videtur.* Insuper, ex Reg. ibi, proximè sequēte: hæc est, *Is qui tacet, non fatetur, sed, nec vtiq; negare videtur*; quę neutri cōtradicit. Sensus enim huius vltimæ Regulæ (vt bene in eam ob-

obseruat Glossa Ioannis Andreæ, verbo, ***non fatetur)*** is est. ***Is qui tacet, non fatetur***, hoc est, non confitetur quidem expresse: attamen, nec propterea negare, dicendus est: quia, ex Regula superiore; Qui tacet, cum loqui potest, ac debet, is videtur consentire. Sed hæ omnes Regulæ maximè locum habent; cùm est sermo de Consensu tacito exteriore: ac proinde, ad confirmandam doctrinam, quæ, de illo præsertim, est tradita; eas adduxi.

13 Rursum. Hi omnes Consensus hactenus explicati, dupliciter possunt obtingere. Primò, vt, per eorum aliquem, quispiam consentiat in actum proprium. Secundò, vt, item per eorum aliquem, quispiam consentiat in actum alienum. Ita, optimè Siluester, verbo, ***Consensus***, in principio.

Ac tandem: siue quispiam consentiat in actum propriũ, siue consentiat in actum alienum; potest accidere, vt consentiat, vel in actum Theologicum, vel in actum Ciuilem. Verùm, hîc digrediendum aliquantùm est, ad huiusmodi actus declarandos; Theologicum, nimirum, & Ciuilem.

DIGRESSIO.

De actibus, quorum alterum Theologicum, alterum verò Ciuilem appellamus.

CONgruum est, in quatuor Particulas, Digressionem vniuersam dispertiri; cum dicenda multa sint, quæ paucis expediri non possunt. Quocirca, Theologicus actus explicabitur, in prima Particula. Ciuilis, in secunda. Tollentur, in tertia, quædam obiectiones. Ac demum, in quarta, tota Digressio concludetur.

PARTICVLA PRIMA.

De actu, quem dicimus Theologicum.

14 VOco autem actum Theologicum, actum quemlibet humanum, qui Deum respiciat, vel diuinum bonum, tanquam obiectum. Quæcunque enim ad Deum, tanquam ad obiectum, ordinantur; dicuntur Theologica: ex Sancto Thoma, 1. 2. q. 62. a. 1. c.

At verò: dupliciter contingit, actus humanos Deum respicere, tanquam obiectum. Quidam enim respiciunt Deum, tanquam obiectum, quasi per accessum ad ipsum; & quidam respiciunt Deum, tanquam obiectum, quasi per recessum ab ipso.

Respiciunt Deum, tanquam obiectum, quasi per accessum ad ipsum; actus multiplices. Quorum sanè

15 Primi sunt actus interiores, eliciti à quacunque virtute Theologica. Nam, si loquamur de Fide, etiam informi, & ex parte intellectus tantum; actus eius interior, vt materiale quidem obiectum, respicit, & ipsum Deum, & alia multa, quæ aliquem ordinem ad Deum habent: & ideo, respectu talis obiecti, dicitur is actus, *Credere Deum*: idest, credere rem reuelatam, quæ sit, vel ipse Deus, vel ad Deum pertinens: vt formale verò obiectum; respicit item ipsum Deum: sed, vt est veritas prima, cui inhæreat homo; vt, propter eam, creditis assentiat: & ideo, respectu talis obiecti, dicitur huiusmodi actus, *Credere Deo*; idest, credere primo auctori narranti, & reuelenti. Consulatur Sanctus Augustinus, Serm. 181. De Verbis Domini, & Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 2. a. 2. c. Pariter: si loquamur de Spe, etiam informi; eius actus nihil aliud respicit, tanquam obiectum, quàm ipsum item Deum; cuius auxilio inni-

innititur, ad beatitudinem æternam consequendam. Legatur idem Sanctus Thomas, tum, 1.2. q.65. a.4. c. tum, 2.2. q.17. a.1. & 2. c. Denique: si loquamur de Charitate; actus eius interior, siue feratur in suum obiectum formale, qui est Deus, siue in suum obiectum materiale, qui est proximus; nihil aliud respicit, tanquam obiectum formale; quàm itidem ipsum Deum. Quia, cùm fertur in Deum; iam formale obiectum eius est Deus: cùm fertur in proximum, formale obiectũ eius est similiter Deus; diligit enim proximum, vt sit in Deo. Videatur idem Sanctus Thomas, 2.2. q.25. a.1. c. & Caiet. ibi.

16 Secundi sunt, & actus exterior Fidei, nempe, Confessio pertinentium ad Fidem; & actus exteriores Charitatis, quales Beneficentia, Eleemosyna, & Fraterna Correctio. Sed tunc, huiusmodi actus respiciunt Deum, tanquam obiectum; quando procedunt à Fide, & Charitate, tanquam à virtutibus infusis, & non acquisitis. Quia Fides, & Charitas Theologicæ sunt virtutes; quatenus infusæ: non quatenus acquisitę, qua ratione, sunt tantùm humanæ: & actus virtutum Theologicarum tantùm, respiciunt Deum, tanquam obiectum; non autem actus virtutum humanarum, quæ habent pro obiecto aliquid, quod humana ratione comprehendi potest. Ita Sanctus Thomas, 1.2. q.62. a.2. c.

17 Tertij demum sunt actus quarumcunque virtutum, vel Thelogicarum, vel moralium; quando à Charitate imperantur: sed non quidem, vt sunt actus virtutum illarum (nisi sint illæ Theologicæ, nempe, Fides, & Spes) sed, vt sunt eleuati à Charitate imperante, & effecti, veluti sui. Hac enim ratione, cùm sint Charitatis actus; non possunt aliud obiectum respicere, nisi, quod respicit ipsa Charitas: nimirum, ipsum Deum, & ipsum Diuinum bonum. Non enim potest esse aliud obiectum habitus,

& aliud

& aliud actus; ex eodem Sancto Thoma, 2.2.q.162.a.3.c.

18 Sed, vt veniamus ad actus humanos, qui Deum respiciunt, tanquam obiectum; verùm, quasi per recessum ab ipso: hi, breuiter, sunt actus vitiorum, & peccaminosi, quando, ad esse mortiferum perueniunt. ***Deordinatur enim anima***, (vt verbis vtar eiusdem Sancti Thomæ, 1.2.q.72. a.5.c.) per talem actum, ***vsque ad auersionem ab vltimo fine, scilicet, à Deo, cui vnimur per Charitatem.***

Neque verò videatur incongruus alicui modus huiusmodi dicendi, cùm, differendo de actibus humanis, Deum respicientibus, tanquam obiectum, quosdam asserui, respicere Deum, quasi per accessum ad ipsum; quosdam autem respicere Deum, quasi per recessum ab ipso. Nititur enim hic modus dicendi Sancti Thomæ doctrina: qui (1. 2.q.71.a.1.c.& 22.q.35.a.2.c.) docet, omne vitium refugere bonum virtutis oppositæ. Habent ergo vitium, & virtus bonum vnum, ad quod accedat altera; à quo refugiat, ac recedat alterum. Præterquam quòd: notum est, etiam pueris, Fidei rudimenta discentibus: actum peccaminosum, & vitij mortiferum opponi Charitatis actui. Si accedit ergo ad Deum, tanquam ad suum bonum, actus Charitatis, & Charitas, cùm per hæc (vt modò attingebamus) vniamur Deo; consequens est, vt refugiat, ac recedat à Deo actus peccaminosus, & vitij mortiferus, oppositus,

Et propter hanc fugam, & recessum (vt id obiter hîc notem) ego puto; culpam illam, quæ peccatum est, & distinguitur à culpa, de qua Iurisperiti, nempe, à culpa, quam dicunt iuridicam, & quæ consistit in omissione alicuius diligentiæ, vnde sequitur aliquod incommodum; vocari à Scriptoribus culpam Theologicam, vt est clarum. Verùm, de actu Theologico hucusque.

PAR-

PARTICVLA II.

De actu, quem dicimus Ciuilem.

Porrò: iam est dicendum de actu Ciuili.
19 Voco igitur actum Ciuilem, non quidem actum aliquem spectantem ad causas, vel actiones illas, quas Legum, & Canonum Doctores Ciuiles nuncupant, & distingunt à causis, vel actionibus illis, quas appellant Criminales, de quibúsque videndus est maximè Clarus, in sua Practica criminali, q. 1. & 2. siquando libeat. Neque etiam voco hîc actum Ciuilem, actum aliquem, qui pertineat ad Ciuile Ius, prout distinguitur à Canonico Iure. Sed actum Ciuilem voco actum humanum, respicientem bonum illud, tanquam obiectum, quod Aristoteles, Moralium Nicomachiorum lib. 1. cap. 1. & S. Thomas, tum ibi, lect. 2. tum 1. Politicorum, lect. 1. tum alibi sępe, vocant bonum Humanum, bonum Commune, bonum Ciuitatis, bonum Politicum, & bonum Ciuile. Hoc autem quotuplex, & quale sit; paulò infrà innuetur, additis insuper exemplis.

Interim verò, sciendum: quod hîc etiam (quemadmodum de actibus Theologicis est dictum) dupliciter vsu venit, vt actus humani Ciuile bonum respiciant, tanquam obiectum. Vno modo, per accessum ad ipsum; altero modo, per recessum ab ipso.

Tunc actus humani respiciunt bonum Ciuile, tanquam obiectum, per accessum; cùm aliqua humana, & moralis virtus elicit, aut imperat actus respicientes tale bonum Ciuile, tanquam obiectum; & huiusmodi virtus est Iustitia illa, quam Sanctus Thomas, 2. 2. q. 58. a. 5. & 6. vocat Iustitiam legalem; & duplicem facit, alteram specialem, alteram

teram generale; & specialem docet, principaliter, & quasi architectonicè esse in Principe, & secundariè, & quasi administratoriè, etiam esse in subditis; quemadmodum generalis potest esse principaliter in singulis. Videatur ipse S. Doctor.

20 Quoties ergo, Communitatis qualiscunque Princeps, aut eius administer exercet Iustitiam legalem, quæ specialis est; quoties, nimirum, procurat, & promouet bonum Ciuile; talis actus, vt elicitur à legali Iustitia speciali, respicit bonum Ciuile, tanquam obiectum, per accessum. Et similiter: Quoties vnusquisque, siue sit Princeps, siue sit subiectus, exercet Iustitiam legalem, quæ dicitur generalis; quoties, inquam, ordinat actus virtutum ceterarum, vtputà, actus Fortitudinis, actus Prudentiæ, & generis eiusdem, ad bonum Ciuile promouendum; tales actus etiam, non quidem, vt actus particularium virtutum illarum: sed, vt actus à Iustitia legali generali imperati; respiciunt bonum Ciuile, tanquam obiectum, per accessum: & ea de causa, quæ, Particulâ priore, allata est de actibus imperatis à Charitate, in ordine ad bonum Diuinum. Videatur iterum Sanctus Thomas, citato loco, Sotus lib. 3. De Iust. q. 2. a. 3. Lessius, item De Iust. lib. 2. cap. 1. dubit. 3. & alij.

Atque ex his (cùm contrariorum sit eadem disciplina) facilè colligi potest; quinam sint actus humani, respicientes bonum Ciuile, tanquam obiectum, per recessum. Vnico enim verbo, asserendum est, esse illos; qui, veluti actibus Iustitiæ legalis contrarij, ac proinde vitiosi, à Iustitiæ legalis obiecto, siue per omissionem, siue per comissionem, refugiunt, ac recedunt. Res, per se, est certa, ac manifesta; nec est, cur exemplis illustretur, aut auctoritatibus, vel rationibus firmetur.

21 Sed, illud vnum valde, ad rem nostram, obseruandum

dum est ; quòd actus omnes humani , respicientes bonum Ciuile , tanquam obiectum , siue per accessum , siue per recessum ; præcipiuntur , vel prohibentur humana Lege. De ratione siquidem Legis humanæ , hoc est (vt ait Sanctus Thomas , 1. 2. q. 95. a. 4. c.) vt ordinetur ad bonum commune Ciuitatis, quod nos vocamus bonum Ciuile : & idcirco , præcipit actus virtutum, ad tale bonum accedentes , & prohibet actus vitiorum , à tali bono recedentes ; vt idem Sanctus Doctor docet , quæstione sequenti, a. 2. & 3. Et quia, Iustitia legalis est illa virtus , qua (ex eodem , 2. 2. citata, quæstione 57. a. 5. c. in fine) concordamus Legi humanæ, prosequentes actus virtutum, ab illa præceptos, & fugientes actus vitiorum , ab eadem vetatos, in ordine ad Ciuile bonum ; hæc est ratio , non solùm (vt addit ipse, & nos obiter hîc notamus) quare talis virtus, & Iustitia, dicitur legalis ; sed, ad rem nostram , quare actus humani, respicientes bonum Ciuile , tanquam obiectum , siue per accessum , siue per recessum , & præcepti , vel prohibiti humana Lege , dicti sint à nobis , eliciti , vel imperati à Iustitia legali , vel actibus Iustitiæ legalis contrarij.

Quocirca, concludendum est : quòd, idem sit, dicere , Actus humani respicientes bonum Ciuile, tanquam obiectum , per accessum , sunt actus eliciti , & actus imperati à Iustitia legali ; & Actus humani respicientes bonum Ciuile , tanquam obiectum , per recessum, sunt actus actibus Iustitiæ legalis contrarij , vt innuimus ; ac dicere : Actus humani respicientes bonum Ciuile , tanquam obiectum , per accessum , sunt actus , à Lege humana præcepti ; & Actus humani respicientes bonum Ciuile , tanquam obiectum , per recessum , sunt actus , à Lege humana vetati.

22 Lex autem humana , prout respicit bonum Ciuitatis,

tis, ac Ciuile, & prout ab eo Iure distinguitur, quod Ius Gentium appellant(vt prorsus tritissimum est) ab omnibus Ius Ciuile nuncupatur. Consulatur Sanctus Thomas, 1, 2. q.95. a.4. c. citatis; Gratianus, canone, ***Ius Ciuile***, dist. 1. Iustinianus, §. ***Sed, Ius quidem Ciuile***, Institutione, De Iure Nat. Gentium, & Ciuili; Vulpianus, lege, ***Ius Ciuile***, ff. De Iustitia, & Iure: & ceteri. Sed, per Ius Ciuile, vt respicit bonum Ciuitatis, & distinguitur, à Iure Gentium; non intelligo Ius vnius Ciuitatis tantùm, quod Ius nominant Municipale: sed intelligo Ius Ciuile, in quammaxima sua generalitate, ac latitudine: idest, Ius Ciuile, quod, respiciens bonum Ciuitatis, vel Ciuile, distinguitur à Iure Gentium, per eam rationem formalem; quòd (vt ait Sanctus Thomas, loco proximè citato) à Lege naturali, per modum conclusionis, vel determinationis, difficiliùs deriuetur; quàm ab eadem Lege concludatur, siue inferatur, per eundem modum, Ius Gentium. Atque hoc Ius Ciuile, tanquam genus (ex Siluestro, verbo, ***Lex***, quæst. 1.) comprehendit sub se Ius Ciuile vniuersale, quod attinet ad omnes fere homines; & Ius Ciuile particulare, quod, ad vnam fere Ciuitatem spectans, Ius Municipale dici solet: &, cùm ad bonum commune ordinetur, & omnis denominatio fiat à nobiliori, &, inter tres illas communitates, Ciuitatis, Vici, & Domus, communitas Ciuitatis (quod Sanctus Thomas tradit, 1. Politicorum, lectione 1.) perfectissima sit, atque adeò nobilissima; idcirco, huiusmodi Ius denominatur semper Ius Ciuile (etiamsi ad generalius bonum, quàm sit bonum vnius Ciuitatis tantùm ordinetur) ab huiusmodi bono communi Ciuitatis; quod, quemadmodum communitatum Ciuitas est nobilissima; ita oportet, bonorum humanorum esse nobilissimum.

23 Quoniam verò, bonum hoc humanùm, quod Ciuitatis,

uitatis, ac Ciuile dicimus, est duplex, alterum temporale, cuiusmodi est (vt ait Azorius, Instit. parte 2. lib. 10. cap. 1. q.2.) quæ quæ *ad temporalem,* Reipublicæ *pacem, salutem, & vtilitatem spectat;* alterum spirituale, quale est (vt idem subdit, ibidem) omne, quod pertinet ad Religionem Dei, & ad mores; propterea (cæteris differentijs, ac distinctionibus Ciuilis Iuris, tanquam ad rem præsentem non spectantibus, omissis) duplex etiam esse oportet idem, tam vniuersale, quàm particulare Ciuile Ius, eidem bono relatum, cùm ad illud ordinari, affirmauerimus non semel. Vnde (ex optimè obseruatis à Gregorio de Valentia, Commentariorũ suorum tomo 2. disp. 7. q. 5. puncto 2. colum. 3. litt. C) alterum est, quod propriè refertur ad commune, ac Ciuile bonum temporale, retinuitque nomen ipsum Ciuilis Iuris, ac dicitur etiam Ius Imperiale, Cæsareum, ac Sæculare, si verò particulare sit, Municipale; alterum, quod refertur in primis ad spirituale bonum, & Ius Canonicum, Pontificium, atque Ecclesiasticum vocatur; si autem particulare sit appellari Metropolitanum, vel Diœcesanum solet.

PARTICVLA III.

Obijcitur quidpiam contra id, quod proximè innuebatur, Ius Canonicum, Pontificium, & Ecclesiasticum respicere humanum, ac proinde Ciuile bonum; & soluitur.

24 ET quanuis aliqui (vt Nauarrus, in Commentario, De Finibus humanorum actuum, n. 29. vers. *Tertium,* Reginaldus in Praxi, lib. 13. n. 209. & alij) asserant, Ius Pontificium referri ad bonum æternum, quod bo-

bonum Diuinum est; hoc tamen, iam statutis nihil obstat.

Intelligendi sunt enim, hi Doctores loqui de relatione, ac respectu remoto: non de proximo, de quo loquimur nos.

Primò. Quia, hic est ordo humanarũ rerum: vt ad æterna, ac diuina tendant, per humana, & creata. Id quod est, iuxta illud Apostoli, ad Rom. 1. ***Inuisibilia enim ipsius*** (Dei) ***à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.*** Vnde necesse est: vt Ius Pontificium, tanquam humanum; non proximè quidem ad bonum æternum, ac diuinum referatur: sed remotè, ac per humanum bonum, ad quod refertur proximè. Quapropter, iam vidimus; etiam Sanctum Thomam expresse docere: Legem humanam, quæ Ius quoque Pontificium includit, ordinari ad bonum commune, ac Ciuitatis; quod est absque dubio humanum bonum.

Secundò. Quia, idem Nauarrus, ibidem, vers. ***Quartum***, addit, etiam Ius Imperiale, maximè, quod à Christianis Imperatoribus est conditum; ad idem bonum æternum, ac Diuinum referri: & hoc probat ex textibus, non paucis, & maximè, ex Pandectarum, seu Digestorum Inscriptione, quæ illa est; ***In nomine Domini nostri Iesu Christi.*** Ex ijs autem, qui talem Commentarium legerint; Nauarrum hoc ipsum, quod addit, ita intelligere, vt velit, Ius Imperiale ad bonum æternum, ac Diuinum proximè referri; nemo sanè (vt puto) dicturus est. Ibi enim, citato vers. ***Quartum***, explicatè fatetur; Ius Imperiale opus esse illius, qui sanciuit illud, Imperatoris. Et, num. 28. superiùs declarauerat, idem Ius totum ex intentione operantis, idest, Imperatoris, cuius illud est opus; tanquam ad finem proximum, vel medium, in publicum dirigi bonum: idque potissimùm, ex Lege prima, ff. soluto Matrimonio,

constare. Imò certum est (quod etiam idem innuit eodem numero) Ius omne Imperiale, suapte naturâ (consideratis, nimirum, verbis, quibus est conceptum, ac sancientis expressa intentione seclusa) proximè dirigi, partim in bonum publicum tantùm; partim in bonum publicum, & priuatum simul; partim in bonum priuatum tantùm: quod claris posset fulciri textibus; nisi res esset nimis longa. Ex quibus claret: neminem (vt aiebam) qui Nauarri doctrinam perpenderit, in allegato Commentario, dicere posse, per ea, quæ (dicto vers. *Quartum*) addidit, illum indicare, vel sentire; quòd ad æternum, ac Diuinum bonum, Ius Imperiale proximè referatur. Igitur, etiam nemo dicere debet, aut potest: eundem Nauarrum, per ea, quę scripserat antea (præmemorato vers. *Tertium*) velle; Ius Pontificium ad bonum æternum, ac Diuinum proximè referri. Tum, quia videretur alióquin, sibi contradicere; tum, quia videtur, etiam ibi, totum contrarium indicare. Quandoquidē, ex verbis ipsis multorū capitulorū huius Iuris, quę, ad hoc propositum, adducit; manifestissimè patet: proximum finem illorum, vt opera quædam sunt; esse bonum Spirituale animarum. Ita; ex cap. 2. De Constitutionibus; ex cap. *Quamuis*, De Pactis; ex cap. *Contingit*, De Iureiurando, in 6. & ex alijs multis. Quin etiam (vt hoc insuper addamus, & nos) ex Proœmijs, tum Gregorij IX. Decretalium; tum Bonifacij VIII. Libri Sexti; tum Ioannis XXIII. Clementinarum; notissimum est: hos Pontifices bonum Humanum, hoc est (vt explicant) morum correctionem, honestatem vitæ, quietémque, tanquam in finem vltimū, retulisse in æternum, ac Diuinum bonum; nullum est dubiū. Et doctissimus Nauarrus haud erat ignarus harum rerum. Prętcrquam quòd: sola Charitas est illa, quæ bonū æternum, ac Diuinum, tanquam finem vltimum, proximè attingit, quod suprà tactum est.

25 Ex quibus obiter infertur: quòd, cùm vtrunque Ius, tam Pontificium, quàm Imperiale, remotè respiciant Æternum bonum; non bene illi sentiunt, qui, in hoc, differe Ius Pontificium ab Imperiali, asseuerant; quòd, illud ad bonum Æternum ordinetur; hoc autem non item: rectiùs fortassis opinaturi, si hanc differentiam in eo collocassent; quòd, Ius Pontificium, ad Spirituale in primis bonum, Ius verò Imperiale, ad bonum Temporale proximè (vt est explicatum) ordinetur.

PARTICVLA IV.

Concluditur, tum, quod Ciuili de actu dicendum erat, tum, tota Digressio.

CVm itaque, solidè assertum sit, hæc duo Iura singula proprium spectare bonum, hoc est, spirituale vnum, ac temporale alterum; consequens est: vt (iuxta Sancti Thomæ doctrinam, superiùs allatam) singula pariter præcipiant, aut vetent actus virtutũ, aut vitiorum, ad suum ꝓpriũ bonũ accedẽtes; aut ab eo recedentes: atque adeò, vt vtrunque simul, præcipiant, aut vetent adæquatè actus humanos, promouentes, aut destruentes Commune, Humanum, ac Ciuile bonum; quod iam suprà tetigimus, in Spirituale, ac Temporale, adæquatè dispertiri.

26 Igitur, ex his omnibus habemus: quòd, cùm diximus, actus Ciuiles, respicientes bonum Ciuile, tanquam obiectum, siue per accessum, siuè per recessum, sunt actus humani, eliciti, vel imperati à Iustitia legali, vel actus humani, qui sint his contrarij; perinde est, ac, si dixissemus: eosdem actus esse actus humanos, præceptos, vel prohibitos per Ius Ciuile, quatenus distinguitur à Iure Gentium; hoc est, per Ius Ciuile, in tota sua latitudine; siue

per

per illa duo Iura, quæ, tanquam duæ ſpecies, adæquant Ius Ciuile in tota ſua latitudine, quod eſt genus; nimirum, per Ius Ciuile, quod Imperiale dicitur, & per Ius Canonicum, quod dicitur Pontificium. Hæc enim Iura tam genus, nempe, quam illius duæ ſpecies, adæquatè reſpiciunt Ciuile bonum, quod affirmauimus, in Temporale, ac Spirituale ſecari.

Et per ea, quæ totâ ſum proſecutus hac Digreſſione, declaratum remanet, quid intelligam, per actum Theologicum, & per Ciuilem actum; in quorum alterutrum, dixeram poſſe accidere, vt quiſpiam conſentiat; dum, in actum, ſiue proprium, ſiue alienum conſentit.

Dixi autem plura de actu Ciuili, quam de Theologico; quia ille, non hic, ad rem præſentem facit: vt paulò infrà plenum fiet. Atque ita, clauſa ſit vniuerſa Digreſſio.

APPENDIX PARAGRAPHI III.

Reſumitur, & concluditur materia tertij Paragraphi: & proponitur, quid videndum ſit deinceps de exteriore Approbatione actuum alienorum Ciuilium, ad Ius Pontificium ſpectantium, circa Facta Miraculoſa, de quibus eſt præſens Quæſtio.

27 Viſis igitur ijs, quę de vtroque actu, Theologico, nimirū, & Ciuili, videre opus erat, reſumēda demū eſt, & cōcludenda tertij Paragraphi materia, de qua diuerteramus: materia, inquā, de Conſenſu, propter quā, tam multa (digrediēdo) ſcripta ſunt iſtiuſmodi de actibus. Sed, cùm reſumēda illa ſit in ijs tantùm, quæ ad noſtrū inſtitutū

pertinent, à quo prorsus aliena sunt subtiliora plura, quę de Consensu in actum Theologicum, & maximè peccaminosum, pertractari solent; hæc sunt nobis pariter prorsus omittenda. Præsertim verò, quia (si libeat) consuli facilè possint ab vnoquoque, super ijs, & Sanctus Thomas, & Expositores eius, 1. 2. q. 15. & Casuistæ omnes, vbi de Consensu agunt, ac de morosa delectatione.

Interim porrò, sit hoc loco satis, quædam aduertere.

Primum est: quòd, Ex differentijs, ac distinctionibus Consensus, quas attulimus adhuc; apparent etiã, tum differentię, tum distinctiones, nostrum ad propositũ spectantes, ipsius Approbationis: quæ (vt aiebam) idem est essentialiter, atque ipse Consensus.

Secundum est: quòd, Inter eas differentias, ac distinctiones, illę sunt nobis nunc admodum accommodæ; quibus intelligimus, dari consensum exteriorem, tum expressum, tum tacitum, in actus alienos: atque adeò, in actus alienos Ciuiles etiam, qui ad Ius Pontificium, & Ecclesiasticum pertineant. Hinc enim, pariter addiscimus; eorundem actuum dari quoque exteriorem, tum expressam, tum tacitam Approbationem.

Tertium demum est: quòd, Isthæc Approbatio (& idem aio de Consensu) rursũ est duplex; quando accidit, vt sit exterior: altera, quæ dici potest iuridica, nempe, in qua sit ordo Iuris omnino seruatus; altera, quæ iuridica dici non potest, hoc est, in qua talis Iuris ordo seruatus non sit.

28 De hac igitur exteriore Approbatione actuũ alienorum Ciuilium, ad Ius Pontificium spectãtium; deinceps agendum est: (vnde fit planum, quare plura, in Digressione, de Ciuili actu, quàm de Theologico, sint dicta:) &, (vt iam tandem ad illud veniamus, quo de agitur) speciatim est videndum:

Pri-

Primò. Qualis, inter dictas, Approbatio fuerit sufficiens, ad approbandas Attestationes, Probationes, Rationes, & alia quæcunque, vnde, Parte Secunda, & Parte Prima huius Dissertationis, Facta ipsa Lacrymarum, & vtriusque Liberationis extitisse aliquando, & fuisse insuper Miraculosa; respectiuè iam conclusimus.

Secundò. Vtrum earum aliqua, circa huiusmodi Testationes, cum reliquis adiunctis vllo vnquam tempore contigerit, & Qualis. Vtrum, scilicet, expressa, vtrum verò tacita; Vtrum iuridica, vtrum autem non iuridica.

His enim visis, apparebit etiam statim.

An, quod in ipsis Factis, rationem habere, conclusum est, Miraculi, sit approbatum, an verò non; quod principaliter inquirimus, in ista Quæstione. Miraculorum siquidem Approbatio (vt ex Approbationis definitione, suprà posita, manifestè constat) in eo sita est; vt adsit Consensus debitus voluntatis eius, cui de Iure competit, comprobans, & complectens iudicium intellectus practici, quod ex consilio, & consultatione, siue discursu suo, circa ipsa Miracula, elicuit; quod iudicium aliud non est (vt patet) nisi conclusio dictarum Testationum, probationum, Rationum & similium.

29 Posui porrò dictas Attestationes, ac cetera, inter actus, ad Ius Pontificium, Ecclesiasticúmque attinentes, ea de causa: quia cultum, venerationémque respiciunt Virginis Deiparæ, ac proinde Religionis ipsius actus; in quibus, partem Humani, siue Ciuilis boni, quod Spirituale est, & ad quod proinde Ius Pontificium, & Ecclesiasticum refertur, esse sitam; iam superiùs tetigimus.

Sed, antequam procedamus vlteriùs: aperiendum illud omuino videtur: Quinam sit, nimirum, Iuris ordo, qui seruari debere, supponitur, in generis huius Approbationibus, vt sint iuridicæ; & Cuinam (seruato illo; siue non

seruato) quocunque tempore competiuerit, approbare Miracula illa specialia, de quibus dissertamus.

§. IV.

Quinam sit, post Concilium Tridentinum, & quinam fuerit, ante illud, ordo Iuris; in Miraculorum Approbatione, seruandus.

30 SVpponendum est igitur quartò: quòd, Post Concilium Tridentinum, Iuris ordo seruandus, in Miraculorum Approbatione (quemadmodum hauritur, & ex eodem Concilio, vbi infrà, & ex Actis Ecclesiæ Mediolanensis, parte prima, Concilio Prouinciali 1. tit. *De Miraculis nouis*, num. 1. & 2. & ex Paulo Piasecio, in Praxi Episcopali, parte 2. cap. 3. num. 18. & ex Marco Antonio Genuensi, in sua Praxi Archiepiscopali Neapolitana, cap. 50. num. 3. & ex stylo) in eo consistit: vt is, cui hoc munus incumbit, causa cognita, hoc est, saltem duobus examinatis testibus, qui, etiam non interrogati, causam scientiæ reddere debent, & adhibitis in consilium Theologis, alijsque pijs viris; approbet, vel reprobet, quæ approbanda, vel reprobanda cognouerit: ac de omnibus demum publicas litteras conficiendas, demandet. Quin (vt Piasecius, & Genuensis addunt præterea) si Miracula, virtute Sacræ alicuius maginis fieri, dicantur; ille, cuius hæc est cura (quando cautus est) in primis iubet, Imaginem operiri, arceri concursum populi, Ecclesiæque ianuas claudi: & post modum cetera pręstat, quæ iam sunt præscripta.

31 Ante Concilim Tridentinum verò, idem ordo (vt colligitur ex capitulo, *Venerabili*, De testibus, ex Panormi-

mitano ibi, & ex ipso stylo, cuius ego exemplum vidi, de quo infrà) in ijsdem prorsus rebus consistebat: excepto Theologorum, piorúmque virorum consilio adhibendo; de quo nihil apparet, neque ex citato capitulo, *Venerabili*, neque ex Panormitano, neque ex exẽplo styli, quod me vidisse, affirmaui; Sed, in huiusmodi capitulo, *Venerabili*, bene obseruandũ est: quòd, ibi, formaliter prescribitur ordo, seruandus, in Approbatione Miraculorum Seruorum Dei non Canonizatorum: non autem Sanctorum Canonizatorum. An verò, vterque Iuris ordo, de quo hic locuti sumus, formam, siue solemnitatem substantialem contineat, nécne; apparebit infrà.

§. V.

Si Miracula, de quibus inquirimus, ante Tridentinum, approbata non fuissent; explicatur, & ostenditur, cuinam, post illud, eorum competuisset Approbatio. Vbi, etiam aperitur, Num forma, quam idem Tridentinum tradit, pro tali Approbatione; substantialis re vera sit: &, Num Episcopis aliquam potestatem idem Tridentinum fecerit, approbandi Miracula non Canonizatorum.

32 SVpponendũ est quintò. Quòd, Approbatio qualiscunque, vel, scilicet, expressa, vel tacita, vel iuridica, vel non iuridica Miraculorum omnium, & singulorum, de quibus nostra Dissertatio specialiter procedit: si, ante Concilium Tridentinum, expedita, siue dicamus, executioni demandata non fuisset; post ipsum quidem, Episcopo Feretrano tantùm, in cuius Diœcesi contigerunt, alio

quocunque, siue æquali, siue inferiori penitus excepto; sine vllo dubio competiuisset. Atque istud sanè intelligendum est, etiamsi primum, nempe, Lacrymarum, in Ecclesia patratum fuerit, quantùm ad illa, quæ ad Sacramentorũ administrationem, & animarum curam non pertinent (est enim Parœcialis, vt alibi diximus) exempta; hoc est, in Patrum Augustinensium Ecclesia.

Hoc autem ostenditur ex ijs, quæ disponit idem Concilium Tridentinum, sess. 25. in Decreto, *De Inuocatione, & Veneratione, & Reliquijs Sanctorum, & Sacris Imaginibus* propè finem, per hæc verba, *Statuit Sancta Synodus* inquit: *nemini licere, vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare Imaginem; nisi, ab Episcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda esse noua Miracula, nec nouas Reliquias recipiendas; nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo: qui, simulatque de ijs aliquid compertum habuerit (adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris) ea faciat; quæ veritati, & Pietati consentanea iudicauerit*.

33 Sed, vt horum verborum (quatenus attinent ad Miracula) vis, ostendens nostrum Suppositum, clarè appareat; in primis, aduertendum est vnum, circa illa generatim. Deinde, omnia simul, in ordine ad particulam, *nisi*; ponderanda sunt, Tum demum, eorum pleraque sigillatim erunt expendenda.

Et, quantùm ad primum. Illud (ex Thoma Sanchez, Operis Moralis lib. 2. cap. 43. num. 10. in fine) notandum est: quòd, hîc à Tridentino Episcopis non conceditur aliquod nouum priuilegium, vel aliqua noua potestas, quam antea non haberent; circa noua Miracula approbanda: sed, præscribitur tantùm forma, & ordo, in ijs approbandis; cùm nouiter patrantur, obseruandus.

Hu-

Huius Asserti secunda pars est per se clara. Prima verò, tripliciter probatur.

Primò. Quia, Concilium, hoc in loco (vt constat ex ipsius verbis) circa talem Approbationem, nihil quidem de Episcopis directè disponit: sed tantùm de admittentibus noua Miracula: quos ea, non vult, admittere; nisi recognoscente, &, cum consilio Thelogorum, ac piorum, approbante Episcopo.

Secundò. Quia verbis facultatem, aut potestatem, concessam per semetipsum, importantibus; qualia sunt (ex Barbosa, De Dictionibus, dictione 191. num. 5. & dictione 268. num. 1.) verba, *licet*, & *possum*; non vtitur.

Tertiò. Quia (vt palam fiet ex dicendis) hanc potestatem Episcopi (si de Sanctorum Canonizatorum Miraculis loquamur) ante Tridentinum habebant.

Quare (iuxta Regulã illam, quã tradit ex multis, quos citat, Bonacina, Tomo 2. in disputatione, De legibus, quę est 1. q. 1. puncto 7. §. 5. n. 17. vers. *Itaque*) ex his infertur: quòd, ordo, quẽ, ab Episcopo in Approbatione seruandũ, idẽ Tridentinum hîc præscribit: formam, ac solemnitatem continet accidentalem, non substantialem. Regula enim hæc est. *Forma censetur accidentalis, & non substantialis; si, dum præscribitur aliqua forma, potestas, ad faciendum actum, non communicatur; sed supponitur.*

Vnde, subinfertur illud aliud, in præsenti valde menti tenẽdũ: quòd, huiusmodi ordo, et forma potest abesse ab ipsa Approbatione, absque eo, quòd, Approbatio, cesset, absente illa. Hæc enim est (vt sciunt omnes) accidentis naturæ.

34 Quantùm verò ad secundum. Tridentini verba, quæ ad Miracula pertinent, (ne iterũ repetantur) ibi seligẽda sunt à ceteris, vbi ea retulimus cũ illis. At, si nunc ipsa ponderare velimus omnia simul, in ordine ad particulam;

nisi;

nisi; statim apertum fiet: per illa, declarare Concilium, Approbationem istiusmodi competere tantùm Episcopo; alio inferiori quocunque secluso. Dictio enim illa, *nisi*, quam taxatiuam, limitatiuam, & exclusiuam, tum Logici, tum Iuristæ vocant, sic eandem Approbationem taxat, ac limitat ad personam, siue dignitatem Episcopi; vt aliam quamcunque, siue personam, siue dignitatem excludat. Videatur Barbosa, loco infrà citando, num. 9.

Sed (vt ad rem nostram procedamus) non potest intelligi, loqui Tridentinum hîc, quàm de Episcopo loci; vbi Miracula patrata sunt. Quia, nullus Episcopus, extra suum locum, siue suam Diœcesim; iurisdictionem aliquam ordinariam Episcopalem habet. Cùm itaque Miracula, de quibus est sermo nobis, in Feretrana Diœcesi contigerint; applicata declaratione vniuersali Tridentini, de qua modo loquebamur, particulari nostro casui; per eam apertissimè concludendum est: Miraculorũ eorundem Approbationem Episcopo Feretrano tantùm, alia quacunque persona, dignitatéue inferiore, vel æquali seclusa; post idem Tridentinum, fuisse competituram, si fortè oportuisset.

Atque per hæc, quę, quantùm ad secundum, dicta sunt; probata, & ostensa remanet Suppositi nostri vna pars.

35 Quantùm denique ad tertium. Si eorundem Tridentini verborum velimus præterea ponderare pleraque sigillatim; facilè intelligemus: per illud, *recognoscente*, indicare Concilium cognitionem causę; testium, videlicet, examen: per illud autem, *adhibitis in consilium Theologis, & alijs pijs viris;* denotare quandam consultationem, ante sententiam (vt inde patet) requisitam: ac tandem per illud, *ea faciat*, cum reliquis, &, *approbante;* significare iudicium, ac sententiã latam, idest, conclusionẽ, & complementum totius Approbationis: atque ita, per hæc omnia,

præ-

præſcribere ordinem ſeruandum, ac formam, in illa.

Hac verò forma ſeruata: en, reſultat Approbatio iuridica. Cùm autem actus, in ſeruanda forma, eſſe debeant expreſſi; en, ex eadem forma ſeruata, reſultat etiam Approbatio expreſſa. Et cùm, per particulam, *niſi* (vt ſuprà viſum eſt) iſtiuſmodi actus taxentur, ac limitentur, in caſu noſtro, ad Feretranum Epiſcopum tantùm; en, oſtenſum, Approbationem iuridicam, & expreſſam, de qua verba facimus; poſt idem Tridentinum, Epiſcopo tantùm Feretrano competituram fuiſſe; niſi obtigiſſet antea. Et hæc eſt Suppoſiti noſtri pars alia, pariter monſtrata.

36 Præterea. Per illud, quod aduertimus, circa verba Tridentini generatim; forma, & ordo, in eadem Epiſcopi Approbatione, ſeruandus (cùm ſit accidentalis) poteſt abeſſe ab illa, abſque eo, quòd Approbatio ipſa ceſſet, aut inualida ſit. Ergo, dari poteſt Approbatio valida, circa Miracula, abſque tali forma, & ordine. Et ſic, ipſa Approbatio erit non iuridica; quin etiam poterit eſſe, abſque actu poſitiuo; ac proinde omnino tacita.

Iam verò ſacrũ Conc. (vt ex ipſius verbis, quæ retulimus apertè patet) Miraculorum Approbationem eſſe, vult, Epiſcopi: & non ſolùm, quantùm ad accidentalia, hoc eſt, quantùm ad ordinem, in illa, ſeruandum, & formam, quam præſcribit, & iam accidentalem eſſe, firmauimus; ſed multò magis, quantùm ad ſubſtantialia, hoc eſt, quantùm ad actum ipſum Approbationis. Et huius rei ratio eſt: quia, qui vult accidens; multò magis vult ſubſtãtiam: Etenim, accidentia pleraque ſunt propter ſubſtantiam, tanquam propter finem: quod eſt axioma philoſophicum (de quo Sanctus Thomas, 1. p. q. 72. a. 6. c.) & maximè locum habet in præſenti propoſito. Lex nanque præſcribens formam alicuius actus; id certè facit; vt actus ille validiùs, & magis authenticè; & (vt ibidem ait Sancta

cta Synodus) *fideliùs*, fiat. Qui autem vult medium, multò magis vult finem. Quippe (vt idem Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 152. a. 5. c. tradit) *Semper finis excellit id, quod est ad finem*; atque ita, est magis appetibilis. Cùm ergo Tridentinum, præscribendo formam Approbationis Miraculorum, quæ (tanquam accidentalis) ad actum ipsum substantialem Approbationis, veluti ad finem ordinatur, declaret, hoc accidentale se velle; dicendum est, multò magis velle ipsum substantialem actum Approbationis, elicitum (vt ipsius verba sonare, non est dubium) ab Episcopo. Atque adeò, cùm dari possit huiusmodi substantialis actus, absque illa accidentali forma; si contingat, vt re ipsa detur; dici non potest: quin, Tridentinum eundem velit.

Sed, in casu nostro, Episcopi Approbatio qualiscunque, nimirum, etiam non iuridica, quin, & purè tacita, non potest competere; nisi Feretrano Episcopo: quia, in Feretrana Diœcesi, nullus alius, nedum inferior, sed etiam æqualis, & Episcopus; iurisdictionem ordinariam Episcopalem habet, nisi ipse. Ergo, per hæc ostensum remanet: Miraculorum prædictorum Approbationem, etiam non iuridicam, quin, & solùm tacitam; tanquam substantialem ipsum actum Approbationis, ac proinde à Tridentino, per Episcopum Feretranum, prorsus volitam; Feretrano eidem Episcopo tantùm, post ipsum Tridẽtinum, fuisse competituram; si fortè fuisset necessaria. Quæ alia pariter pars est eiusdẽ nostri Suppositi probata.

37 Postremò. Dictio, *nulla*, qua hîc vtitur Tridentinum, est vniuersalis negatiua; & omnia excludit: vt notat Barbosa, De Dictionibus, dictione 229. num. 1. Ergo, cùm dicit, *Nulla etiam admittenda esse noua Miracula, nisi recognoscente, & approbante Episcopo*; excludit omnia Miracula, etiam in Ecclesia exempta patrata: ita vt, hæc etiam

etiam admittenda non sint; nisi recognoscente, & approbante Episcopo.

Præterquam quòd, notanda est pariter alia particula, siue dictio, quæ iuncta est dictioni, ***nulla***, vt visum est; videlicet, ***etiam***. Cùm enim istiusmodi dictio (ex eodem Barbosa, dictione 112. num. 16.) sit repetitiua præcedentium; & in præcedentibus, à Concilio, per verba iam relata, facta sit mentio expressa (cùm de Imaginibus ageret) Ecclesiæ ipsius exemptæ; dixit enim (vt suprà exscripsimus) ***Nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, quomodolibet exempta, vllam*** &c. & immediatè post hæc, de Miraculis decernit; consequens est: vt, vi dictionis, ***etiam***, repetat Ecclesiam exemptam; cùm decernit (vti dicebam) de Miraculis.

Et per hæc, vltima itidem pars Suppositi nostri relinquitur ostensa.

38 Num autem, Sancta Tridentina Synodus, dum statuit, nulla esse admittenda Miracula noua, ***nisi recognoscente, & approbante Episcopo***, hoc intelligat de Miraculis Canonizatorum Sanctorum tantùm, num verò, de Miraculis etiam Seruorum Dei, non Canonizatorum;

Barbosa, in Collectanea Doctorum, in varia loca Concilij Tridentini, sess. 25. circa Decretum prædictum, ***De Inuocatione***, &c. num. 8. & De Officio, & Potestate Episcopi, parte 3. allegat. 97. num. 3. existimat: Concilium hoc intelligere de Miraculis, tum Canonizatorum, tum non Canonizatorum.

Contrà verò: Fortunatus Scacchus (De Cultu, & Venerat. Seruorum Dei, lib. 1. sect. 8. cap. 1. prope finem) & aliqui alij, quos citat idem Barbosa (in citata Collectanea, super eodem Dec. num. 9.) sentiunt; intelligere Concilium de Miraculis Canonizatorum tantùm: quibus libenter, & ipse subscribo. Maximè autem: cùm (vt ex San-

Sanchez visum est) hoc loco, nullam nouam potestatem, circa Miracula, Concilium tribuat Episcopis; sed tantùm formam,& ordinem seruandum,in ijs approbandis,tradat. Vnde nihil aliud videtur, posse deduci; quàm, suum Decretum intelligere Sanctam Synodum de Miraculis duntaxat, quæ antè quàm ipsa publicaretur, poterant Episcopi approbare. Cùm autem, in capitulo, *Venerabili*, De Testibus, quod iam allegaui suprà, manifestè videam, à Romano Pontifice demandari, & committi iuridicam cognitionem, super vita, & Miraculis cuiusdam Serui Dei, qui fuerat Abbas Monasterij Sancti Martini Cisterciensis Ordinis, in Diœcesi Corisopiteñ. eiusdem Diœcesis Episcopo; nihil aliud inde scio, siue possum concludere: quàm, huiusmodi Episcopum, potestatem cognoscendi, & approbandi Miracula Serui Dei, non Canonizati, saltem absolutam, vel ordinatam ad vniuersalem Canonizationem, non habuisse; vel, si quam habuit ordinariam, nolle Romanum eundem Pontificem, vt eam ampliùs haberet: atque adeò, nullum Episcopum, ante Tridentinum, post conditum capitulum prædictum, vt minimũ, potuisse recognoscere, aut approbare, auctoritate ordinaria, Seruorum Dei Miracula, non Canonizatorum. Igitur, neque post: si nullam idem Tridentinum, per tale Decretum, nouam fecit Episcopis potestatem. Videatur Schacchus, citato loco.

Verùm: de hac Difficultate quicquid sit; nostra sanè parui refert: qui de Miraculis agimus, non Serui Dei quidem alicuius Canonizandi, & iam non Sancti; sed ipsius Virginis Deiparæ: quam Sanctus Ioannes Damascenus (De Beatæ Mariæ Natiuitate, Oratione secunda) primò, *Sanctis omnibus sanctiorem*, deinde, *Sanctificationis Arcam*, vocat; & Sanctus Epiphanius (apud Nouatum, De Eminentia Virginis, tomo primo, cap. 8. quæstione 6.)

So-

Solam ipsam Sanctificationem esse, Deum voluisse; testatur.

§. VI.

PARS PRIOR.

Supponitur, ac demonstratur: Miraculorum eorundem, qui scribendi nobis materiam praebent, Approbationem qualemcunque; Feretrani Episcopi fuisse iuris, etiam ante Tridentinum.

39 SVpponendum est sextò: quòd, Miraculorum specialium praedictorum Approbatio qualiscunque, nimirum (vt suprà dicebamus) vel expressa, vel tacita, vel iuridica, vel non iuridica; Feretrano Episcopo praefato competebat, etiam ante Tridentinum.

Sed, antequam Suppositi huius veritatem commonstremus; animaduertendum est vnum: quòd, nempe, sufficit illam commonstrare, quantùm ad Approbationem simpliciter, duntaxat. Quandoquidem, cùm Approbatio qualiscunque, vel, scilicet, expressa, vel tacita, vel iuridica, vel non iuridica, sit actus Iurisdictionis (est enim Decretum, vel Sententia, quod iam suprà suo loco vidimus, & Iurisdictio est, qua, Praesidens alicui Reipublicae, dicere ius potest, decernendo, vel sententiando, vt habet Siluester, verbo, *Iurisdictio*) demonstrato, quòd Episcopo Feretrano, in Feretrana Dioecesi, competebat, ante Tridētinum, approbare simpliciter praedicta Miracula, videlicet, vti circa illa sua Iurisdictione, decernendo, vel sentētiando; sequitur manifestè, quòd, sit etiam demonstratum: eidem

Epi-

Episcopo, ibidem, & eodem tempore, competiuisse Miracula eadem approbare; vel expresè, vel tacitè, vel iuridicè, vel non iuridicè. Quia, quemcunque istorum actuū elicuisset; Iurisdictione sua fuisset vsus.

40 Hoc igitur animaduerso: Suppositi veritas, in primis, ex opinione Thomæ Sanchez, necessariò videtur inferri. Etenim (loco suprà citato, nimirum, Operis moralis lib. 2. cap. 43. num. 10. in fine) scribit (vt iam vidimus) à Concilio Tridentino, per allegatum Decretum, nullum nouum priuilegium, nullámque nouam potestatem, quam antea non haberent, circa noua Miracula approbanda, Episcopis concedi; sed præscribi tantùm formam, & ordinem, in ijs approbandis (quando nouiter patrantur) obseruandam. Si Episcopi ergo, non habuissent antea potestatem huiusmodi; frustra præscripsisset ijsdem Sancta Synodus præmemoratam formam, & ordinem; principalem, ac substantialem potestatem non conferendo.

Deinde verò, demonstratur eadem veritas, rationibus quatuor, & sanè multùm exactè (ni fallor) sequentem in modum.

41 Prima ratio est. Quia (vt habet idem Sanchez, vbi modò, sed, in ipso eiusdem numeri decimi principio, citans etiam pro se Abbatem, in capitulum finalem, in fine, De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum, & Iacobum de Graffijs, Decisionum aurearum parte 2. lib. 2. cap. 14. num. 9.) Episcopis, ante Concilium Tridentinum, approbare Sancti alicuius Canonizati Reliquias, ac publicè venerandas proponere, competebat. Ergo, à fortiori, ante idem Tridentinum, ijsdem competebat, approbare Miracula Sanctorum quorumcunque Canonizatorum. Esse enim aliquid ampliùs approbare Reliquias, quàm Miracula, apparet ex eo; quòd, qui tenent, posse Episcopos,

pos, post Concilium Tridentinum, approbare Miracula non Canonizatorum; non tenent tamen, eosdem posse non Canonizatorum approbare Reliquias. Videatur Barbosa, qui ex his est vnus; De Officio, & Potestate Episcopi, parte 3. allegat. cit. 97. num. 10. & in Collectanea, in Trident. vbi suprà, num. 10. At Miracula, de quibus verba facimus; Miracula sunt (vt iterum cum Sancto Damasceno loquamur) Sanctis omnibus sanctioris Virginis Matris; & in Feretrana Diœcesi patrata. Ergo, ante Tridentinum, competebat approbare illa Episcopo Feretrano.

42 Secunda ratio est. Quia causa, quare non competebat Episcopis, ante Tridentinum, neque competit etiam post, Approbatio Miraculorum Seruorum Dei non Canonizatorum (ex Fortunato Scaccho, De cultu, & venerat. Seruorum Dei, lib. 1. sectione 8. cap. 1. post medium) ea est: quòd *Miracula, in actis Seruorum Dei, ad eorum Canonizationem diriguntur*. Et ideo, *eorum iudicium reseruatum est* (vt aliquantò post subdit) *Romano Pontifici*; iuxta dispofita, in capitulo, *Venerabili*, De testibus: quemadmodum (ex capitulo 1. De Reliquijs, & Venerat. Sanctorum) eidem reseruatur eorundem Canonizatio. Sed huiusmodi causa, circa Miracula Canonizatorum, semper cessauit, ac cessat; ergo, semper cessauit etiam, ac cessat causa, propter quam dici debeat, ante Tridentinum, Episcopis non competiuisse, Sanctorum Canonizatorum approbare Miracula. Atque adeò, concludendum est illud: quòd, Miraculorum, quæ à Sanctis Canonizatis edita fuissent; Approbatio competebat, ante Tridentinum, singulis Episcopis, in suis Diœcesibus. Vnde fit ad rem nostram: vt Miraculorum, de quibus nunc agimus; Approbatio competeret, ante ipsum Tridentinum, ipsi Feretrano Episcopo.

43 Tertia ratio est. Quia, *Quod est solitum fieri per ali-*

aliquos; hoc illis competere præsumitur. Quod sanè, tanquam tritissimum, inter vtriusque Iuris Doctores, axioma, deducunt ex capitulo, ***Constitutus***, De Religiosis domibus, cum Panormitano Canonistæ; & ex Lege, ***Certi condictio***, §. ***Si numos***, ff. De Rebus creditis, si certum petatur, Ciuilistæ suo cum Bartholo; quódq; nos etiam, occasione poscente, alibi superiùs vsurpauimus, non semel. At, ab ipso fere initio nascentis Ecclesiæ; solitum est, ab Episcopis approbari Sanctorum Canonizatorum Miracula, in suis Diœcesibus. Ergo, præsumi debet, huiusmodi Approbationem, ante Tridentinum, ac semper, Episcopis, in suis Diœcesibus, competiuisse. Et sic (applicando generalia specialibus) oportet etiam concludere de Miraculorum, quæ præ manibus habemus, Approbatione; respectu Feretrani Episcopi.

Minor, in qua versatur difficultas, innotescit hoc modo.

44 Seligo in primis Miracula quædam, ex recensitis in Breuiarij Romani Lectionibus; hîc tamen, breuitatis ergô, non exscribenda; sed ibi, Lectori legenda, si libet. Et primum sit Miraculum vnum, quod accidit, cùm, Constantini Magni temporibus, inuenta est salutaris Christi Crux; ac de quo, die tertia Mensis Maij. Tum, succedant illa Miracula, quæ, Honorio imperante, dum corpora Sanctorum Stephani Protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis reperirentur, sunt edita; de quibúsque, Augusti tertia die. Et postremum locum habeant alia Miracula, quæ, Gelasio I. Pontifice, in vertice Gargani montis, apparente Sancto Michaële Archangelo, patrata sunt; ac de quibus, octaua die rursus Maij.

Porrò autem: in Miraculorum huiusmodi singulis; duo sanè sunt obseruanda. Alterum est: in singulis ijsdem fuisse consultum, circa illa, proprij loci proprium Antistitem: in primo, nempe, Macarium, in secundo verò, Ioannem, vtrun-

vtrunque Ierosolymorum Episcopum, cùm ibi essent facta Miracula; & in tertio, Episcopum Sipontinum, in cuius Diœcesi, situs est Garganus mons. Alterum est: statim à populis, occasione Miraculorum talium, coli fuisse cœpta, tum, Christi Crucem inuentam; tum, Sanctorum, qui sunt memorati, reperta corpora; tum, locum, vbi Beatissimus Archangelus apparuit. Legimus enim: inuentæ Cruci, confestim ab Helena, magnificentissimam, Ierosolymis, extructam Ecclesiam: repertum Beati Protomartyris corpus, illico, summa cum celebritate, in Sanctam Ecclesiam Sion illatum: & Gargani speluncam, quæ cognita est, in tutela esse Michaëlis, & in Templi cuiusdam similitudinem conformata; à Sipontinis actutum diuinis Officijs excultam.

45 Non est verò dicendum; circa similes Miraculosos euentus, fuisse frustra consultos Episcopos: quod vtique dici deberet; ni, quæ euenerunt, ipsi approbassent. Nec etiam asserendum est; temerè populos, eorundem occasione Miraculorum, inchoasse nouum cultum: quod sanè oporteret asserere; ni, Episcopis approbantibus, illum inchoassent. Qui, si statim inchoatus est; nec demum affirmari potest, Romani Pontificis auctoritate, fuisse inchoatus: cuius auctoritatis nuncius, in longinqua, nisi, post elapsum longū tempus, perferri nequibat. Igitur, licèt nullum expressum Approbationis actum, circa memorata Miracula, Breuiarij prædictæ Lectiones enuncient; attamen, ex hoc discursu, necessariò concludendum, videtur: quæcunque, circa illa, & illorum occasione, populi præstiterunt; cuncta, dictis Episcopis approbantibus, & volentibus, præstitisse.

46 Post hæc: aduerto, quæ scribit Baronius, Annalium tomo 8. anno Christi 713. num. quinto: fuisse, videlicet, olim in more; *vt publica Curationes, à Sanctis, in Eccle-*

sia, fieri solitæ, ab Ecclesiæ Notarijs scriberentur; conficerenturque Libelli, qui publicè, in Ecclesia, legerentur; ijdẽque, inter alia Acta publica, in earundem Ecclesiarum archiuis, asseruarentur. Quoniam autem citat ibi Baronius, pro hoc astruendo more, Sanctum Augustinum, neque exprimit locum; qui tandem, ipsum legere cupienti, occurrit mihi fere casu, lib. 22. De Ciuit. Dei, cap. 8. pagina penultima; eundem hîc exscribere duxi, vt inferam ex vtroque; quod ad rem nostram faciat. Sic itaque loquitur Sanctus Augustinus. *Si Miracula sanitatum (vt alia taceam) modò velim scribere, quæ per hunc Martyrem (idest, gloriosissimum Stephanum) facta sunt, in colonia Calamensi, & in nostra* (Hipponensi) *plurimi conficiendi sunt libri. Nec tamen omnia colligi poterunt: sed tantùm, de quibus Libelli dati sunt; vt recitarentur in populis. Id nanque fieri voluimus, cùm videremus, antiquis similia diuinarum signa virtutum, etiam nostris temporibus, frequentari; & ea non debere multorum notitia deperire Nondum est autem biennium, ex quo, apud Hipponem regium, cœpit esse ista memoria: & multis (quod nobis certissimum est) datis Libellis, de ijs, quæ mirabiliter facta sunt; illi ipsi qui dati sunt, ad septuaginta ferme numerum, peruenerant; quando ista conscripsi.* Et hactenus ille. Ex quibus constat luce clariùs: tum mos, conficiendorum Libellorum, de quo Baronius; tum, quod pro nobis pluris est, Sanctum Augustinum, Hippone, vbi erat Episcopus, voluisse, Libellos huiusmodi, circa Miracula, fieri. Qui, cùm scriberentur prætereà (vt vidimus, ex Baronio) per Notarios, hoc est, per eos, qui officio quodam in Ecclesia fungerentur, atque adeò ministri quidam essent publici: de quibus idẽ Baron. (Annal. tomo 1. anno 44. num. 79.) & canon, *Monachus* (77. dist.) sumptus ex cap. tertio Epistolæ primæ Gelasij Papæ ad Episcopos Lu-

Lucaniæ, videndus est, cum alijs, quos, ibidem, allegat citatus Baronius; inficiari nequaquam potest: hanc fuisse, tunc temporis, Miraculorum editorum a Sanctis, qui habiti essent, pro talibus, vel in aliqua Prouincia, siue Diœcesi, vel vniuersaliter, & vbique (quod de Sancto Protomartyre dicendum est) & consequenter, ex consuetudine, habente vim Legis, tacitè saltem, essent Canonizati (qua de re legendus est Bellarminus, tomo primo Controuersiarum, controuersia 7. lib. 1. cap. 8.) satis expressam, & quasi iuridicam Approbationem; per Episcopum, in sua Ciuitate, siue Diœcesi, executioni demandatam.

Neque hîc aliquis respondeat, sic dicens: Non est mirum, si, Sancti Augustini temporibus, approbarent Episcopi Miracula Canonizatorum: quia tunc, poterant illi canonizare Sanctos etiam; vnusquisque saltem, pro sua Diœcesi: quemadmodum, docet Thomas Vualdensis (lib. De Sacramentalibus, tit. 14. cap. 122.) quem refert, cuiq; subscribit Bellarminus, adducto iam loco. At, ante Tridentinum, minimum, post Alexandrum III. (vt patet ex cap. *Audiuimus*, quod est primum, De Reliquijs, & Venerat. Sanctorum) ijdem Episcopi prohibiti fuerunt, non ampliùs canonizare Sanctos vllibi: sicut in Capitulo *Venerabili*, De Testibus, ab Honorio III. fuisse prohibiti, videtur, approbare Miracula non Canonizatorum, quod antea quidem poterant; si, Canonizatione particulari, poterant canonizare.

Quandoquidem, obstat in contrarium illud: quòd, esto, per dictos textus, canonizare Sanctos, & Miracula non Canonizatorum approbare, sint Episcopi prohibiti; attamen (vt ex textuum eorundem lectione clarè patet, & videbimus nos infrà) nequaquam, ibi sunt vlla verba, quæ prohibeant, illos, etiam ex idẽtitate rationis, eorum approbare Miracula; qui sint Canonizati. Vnde relinquitur, vt

hoc remaneat concessum. Etenim, quod Episcopis non est prohibitum; intelligitur concessum: ex illo axiomate, quod, hinc non longè, multis explicabitur, & ostendetur.

47 Deinde noto (vt reuertar ad intermissa) Hieronymum Menghium, in suo Cælesti Thesauro, de Virgine Deipara, quem Italicè conscripsit, multa referre Miracula, videnda quidem apud ipsum, si cui placeat; quæ, ante Tridentinum, ab Episcopis, in suis Ciuitatibus, ac Diœcesibus, vbi euenerunt, manifestè dicit, approbata.

Atque ita: lib. 2. cap. 49. prodit: Episcopum Bononiensem, circa annum Domini 1116. approbasse Miraculum; vnde celebris illa Ecclesia, quam Sanctæ Mariæ de Monte nuncupant, originem sumpsit.

Sed, hoc loco, videantur etiam, quæ, cum ceteris rerum Bononiensium Scriptoribus, allegatus alibi suprà Gaspar Bombacius (in illo suo Italico libro, quem inscripsit, ***Bolognesi Illustri per Santità***, parte prima, sub titulo, ***Picciola Gallucci Vedoua de' Piatesi***, &c.) tradit. Vbi præsertim exprimit prædicti Episcopi Bonononiensis nomen; dum dicit, appellatum illum fuisse, Victorem.

Porrò autem, loquendũ est iterũ nonnihil ex Menghio: qui (libro pariter eodem, cap. 18.) narrat illud ad rem propositam: quòd Ardinghus Papiensis Archiepiscopus Florentinus approbauit Miraculum, quod obtigit, cùm pingeretur Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Annunciata, Sacra Imago, quæque, tum Florentiæ, tum extra, tanti nominis est: atque hoc, circa annum Christi 1252. Et alia similia, quæ, ad finem properans, prætermitto; litteris consignat.

48 Quare, vt concludam, obseruo ad extremum; quod, etiam Pinnæ Billorum, aliquando factum est. Quandoquidem: anno, post Christum natum, 1537. Aprilis die 21. & consequenter, ante Tridentinum, Bernardinus

de

Digitized by Google

de Gianinis à Sancta Agatha, Pauli de Alexandris Vrbinatis Episcopi Feretrani, in spiritualibus, ac temporalibus Generalis Vicarij, solemniter, testibus diligenter examinatis, approbauit Miraculum, quod acciderat ibidem, paulò ante, nimirum, eodem anno, ipso die Parasceues, Martij 30. cùm in Ecclesia Sodalitatis Beatæ Mariæ, quam dicunt de Misericordia, Sancti Nicodemi fictilis Imago, quæ, cum aliorum Sanctorum, ac Sanctarum Imaginibus, Imaginem Christi Domini de Cruce depositi, & in tabula quadam iacentis circunstat; è fronte sudorem effudit. Qua de re, datis publicis, & authenticis Litteris, eas in prospectu, in eadem Ecclesia, iussit affigi; quæ adhuc ibi asseruantur.

Et ex his omnibus, nostræ tertiæ rationis minor, in qua difficultas erat, claret vtique satis, ac super.

49 Restat ratio quarta: ad quam fundandam, nonnulla præmittenda sunt.

Primum est (vt verbis vtar Dianæ, parte 8. tract. 3. resolut. 11. vers. *Itaque*) *Apud me certum esse: Episcopos immediatè habere iurisdictionem ab ipso Summo Pontifice; ad eumque spectare, gradum, & modum illius iurisdictionis definire.* Hoc tamen: bene stat cum verbis Apostoli (Actuum 20.) *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Quia, quemadmodum Episcoporum iurisdictio (vt habet Siluester, verbo, *Papa*, q. 1.) *quantùm ad institutionem, & collationem*, est à Papa; ita (cum Layman, Theologiæ moralis lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 2. num. 3.) fatendum est: eandem, *quo ad substantiam, ex diuina institutione esse.* Auctores, pro hac sententia, sicuti etiam pro contraria; videri possunt, apud eundem Layman, ibidem.

50 Secundum est, & sequitur ex primo: Tantam iurisdictionem Episcopos habere, dicendos esse, de Iure communi;

muni; quanta illis conceditur à Summo Pontifice, in Iure Canonico, & in generalibus Concilijs.

Attamen, sciendum est: in Iure Canonico, & in generalibus Concilijs, dupliciter concedi iurisdictionem Episcopis. Vno modo expressè: vti contra crimina, & criminosos (in capit. 1. De Officio Iudicis ordinarij) conceditur, per hæc verba: *Habeant igitur Episcopi singularum Vrbium, in suis Diæcesibus, liberam potestatem, adulteria, & scelera inquirere*, &c. & vti multa conceduntur, in Concilio Tridentino; quæ ibi passim obseruari possunt: altero modo quasi tacitè: hoc est, cùm, in Iure Canonico, & in Concilijs generalibus, iurisdictio non reseruatur Papæ. *Quæ*, enim Papa, *sibi specialiter non reseruat; alijs indulgere videtur:* ait Glossa, verbo, *reseruata*, *Quod* in cap. *translationem*, De Officio Legati, nixa capit. *Nuper*, De Sententia Excommunicationis. Et optimo quidem iure, (vt scribit Sāchez, De Matrimonio, lib. 1. disp. 61. num. 3.) Quia, Episcopus est Pastor ordinarius, in sua Diœcesi; sicut Pontifex, in toto orbe: tamen ipsi subiectus, & ab illo dependens; vt dictum est suprà. Ergo in ijs, in quibus Pontifex eius iurisdictionem reseruatione non limitat; censendus est illam habere concessam, vt liberè, in eadem sua Diœcesi, vtatur ea, tanquam ordinaria: quemadmodum, quilibet Confessarius, non tantùm ordinarius, verùm etiam delegatus, censetur habere concessam iurisdictionem, ab omnibus peccatis absoluendi; nisi quatenus, reseruatione aliqua, talis iurisdictio à Superioribus limitatur. Præterquam quòd: nisi censeretur Episcopis concessa iurisdictio, quam sibi Papa specialiter non reseruauit; frustranea videri posset ipsa reseruatio. Hæc enim reseruantis (vt est clarum, & docet Barbosa, De Clausulis, clauſ. 137. num. 2.) iurisdictionem non ampliat; sed conseruat. Nisi ergo indicaret, cetera non reseruata inferio-

ribus

ribus concedi; non apparet, quid operaretur.

51 Sed nihilominus, est attendendum hoc aliud: quòd quædam reseruantur Papæ verbis apertis, in ipso Iure: quorum pleraque recenset modò citata Glossa; & alia Glossa pariter, verbo, *pertinere*, in capitulum, *Sicut vnire*, De Excessibus Prælatorum. At multò plura (nimirum, quinquaginta) Siluester enumerat (verbo, *Casus*, q. 1.) quæ collegit (vt ait) ex corpore Iuris, & ex codicibus Doctorum. Vnde dicendum videtur: quòd, præter ea, quæ manifestè leguntur, in ipso Iure; quædam etiam reseruantur Papæ, quia, sic scribunt, & sentiunt Doctores. Et hæc omnia videnda, & obseruanda sunt ibi, apud ipsum Siluestrum. Deinde quædam reseruantur Papæ, quasi ex natura sui: vt est dispensatio Legum Pontificiarum. *Lex enim* (inquit Diana, parte 8. tract. 3. resol. 11. paulò antè citata, vers. *Tandem) eo ipso, quòd Superioris est, secum affert prohibitionem, vt nullus inferior audeat, in eam falcem mittere, nisi ei concedatur: neque, prater hanc virtualem, & quasi innatam prohibitionem; alia formalis, & expressa per se requiritur*. Excipiuntur tamen casus, quos ponit (ibidem, resolutione sequenti) idem Diana, videndi, si Lectori placeat. Ac demum, asserendum est: esse Papæ reseruata illa omnia, quæ tam ardua, & grauia sunt; vt, circa ipsa, vel adhuc dubitetur, vel aliquando dubitatum sit, inter Doctores, de ipsius Papæ potestate. *Cùm enim deceat* (vt scribit, ex Antonio Perez, idem Diana, eadem parte 8. tract. 1. resol. 64. vers. *Ad argumentum) grauissimas causas Summo Christi Vicario reseruari; censendum est, Christum illi soli reseruasse*, illas. Et huius generis sunt, e. g. Constituto nouo impedimento, reddere personas, inhabiles ad Matrimonium: qua de re, Num aliquid posset Papa, dubitatum etiam est, inter Patres ipsius Concilij Tridentini, vt videri potest (omissis ceteris) apud eundem

Dia-

Dianam, citato tract. 1. resol. 59. & 60. Item, Nouas instituere Censuras: dubitatum enim est à Doctoribus; Num institutio Censurarum, de Iure diuino sit, num autem de Iure humano; vt cognosci potest, apud Suarez, tomo 5. in 3. p. disp. 2. sect. 1. num. 3. vsque ad 8. inclusiuè, & apud Sayrum, De Censuris, lib. 1. cap. 4. num. 8. Item alia, de quibus infrà.

52 Atque, cum his exceptionibus, ac limitationibus, puto, verissimum esse axioma illud, quod Canonistis tribuunt; ***Quicquid potest Papa, in tota Ecclesia; potest Episcopus, in sua Diœcesi, nisi prohibeatur.*** Ita tamen: vt non quidem id Episcopum posse, putem, ex natura rei, & ex ipso Iure diuino, quod expressè tenet Barbosa (De Officio, & Potestate Episcopi, Allegat. 33. num. 16.) sed, ex tacita concessione solummodo ipsius Papæ, vt explicatum est.

Cum quibus exceptionibus, ac limitationibus, puto etiam, in materia præsertim Episcoporum, esse verissimum alterum illud axioma generalius; ***Concessum videtur, quod non est prohibitum:*** quod erutum ex Lege, ***Nec non***, ff. Ex quibus causis maiores, in eadem Episcoporum materia, citant, & adhibent, tum Glossa, verbó, ***non retinuit***, in capitulum, ***Nuper***, De sententia excommunicationis; tum Diana, parte 6. tract. 7. resol. 35.

53 His itaque præmissis: argumentor ad meum propositum hoc pacto. Approbatio Miraculorum à Sanctis Canonizatis editorum, ante Tridentinum, non erat Papæ reseruata, vllo ex prædictis modis. Ergo, erat Episcopis, in suis Diœcesibus, concessa.

Consequentia patet ex ijsdem, quæ sunt præmissa.

Antecedens verò ita probatur. Nam talis Approbatio non erat Papæ reseruata verbis apertis in ipso Iure, nec etiam, ex eo, quòd ita scribant, ac sentiant Doctores, quæ

duo

duo palam fiunt percurrenti, quæ tradit Siluester allegato loco. Neque erat eidem reseruata, ex natura sui; cùm, quando agimus de dicta Miraculorum Approbatione, nequaquam de Pontificiarum Legum dispensatione agamus, quæ sola, de natura sui, reseruata censetur. Neque tandem erat eidem reseruata, tanquam aliquod arduum, & graue, de quo Doctores dubitēt, inter se, Vtrum circa illud habeat ipse Papa potestatem; hoc enim, esset ridiculum, asserere. Ergo, Approbatio istiusmodi non erat Papæ reseruata vllo ex prædictis modis; qui plures non sunt vtique, quàm illi, quos modò repetiuimus.

Cùm igitur sit consequens hinc, talem Approbationem Episcopis omnibus, Diœcesibus in suis, ante Tridentinum, fuisse concessam; manifestè consequens itèm est, quod nos intendebamus: Miraculorum, videlicet, quæ nostræ Dissertationi materiam nunc præbent, Approbationem; Episcopo Feretrano, tunc temporis, competiuisse.

§. VI.

PARS ALTERA,

Proponuntur in contrarium argumenta tria.

54 CONtra sextum hoc Suppositum arguet quispiam. Et,

Primò, ex Barbosa (De Officio, & Potestate Episcopi, parte tertia, alleg. citata 97. num. 1.) sic. Nullus Episcopus habebat potestatem, aut iurisdictionem aliquam, ante Tridentinum, examinandi, & approbandi Miracula. Ergo falsum est: ante Tridentinum, Episcopo Feretrano

com-

competiuisse, Miracula, de quibus loquimur, approbare.

Antecedens probatur. Quia, multipliciter constat: hanc potestatem, ac Iurisdictionem fuisse reseruatam Pontifici, tunc temporis.

In primis enim: ex textu capituli, ***Audiuimus***, De Reliquijs, & Venerat. Sanctorum, habemus: Alexandrum III. acriter quosdam reprehendisse, nescio quem, in potatione, & ebrietate, occisum, quasi Sanctum venerantes; conclusisséque his verbis. ***Illum ergo non præsumatis de cetero colere: cum, etiamsi per eum Miracula fierent; non liceret vobis ipsum pro Sancto, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.*** Vnde, manifestè apparet, reseruari Romanæ Ecclesiæ, non solùm iudicium de Sanctitate alicuius; verùm etiam de Miraculis.

Deinde: in capitulo sequenti, ***Cùm ex eo***, Innocentius III. ita fatur, in fine. ***Prælati verò non permittant, eos, qui ad eorum Ecclesias, causa venerationis accedunt, varijs figmentis, aut falsis documentis decipi.*** Vbi, appellatione variorum figmentorum, venire Miracula falsa; non videtur dubium. Cùm ergo vetentur Prælati, hoc est, Episcopi, permittere, figmentis huiusmodi populos decipi; sanè ab ijs potestatem auferri, de Miraculis iudicandi, concludendum est.

Præter hæc: in capitulo, ***Venerabili***, De Testibus, quod aliàs adduximus iam suprà, Honorius III. Episcopo, & Capitulo Corisopiteñ. quædam circa Miracula demandat, hoc pacto. ***Discretioni vestræ mandamus, quatenus testes, quos Abbas, & Monachi Sancti Martini Cisterciensis Ordinis, super vita, & Miraculis piæ memoriæ M. Abbatis Monasterij supradicti, duxerint producendos; examinare sigillatim curetis, cum ea diligentia, quæ solet, & debet, in receptione testium, adhiberi:*** Si ergo Pontifex

vni

vni Episcopo dat huiusmodi mandata; ille, potestatem, tunc sibi commissam, non habebat.

Postremò (vt verbis vtar eiusdem Barbosæ, citato loco) Ad ostendendum, potestatem, & iurisdictionem, approbandi Miracula, fuisse, ante Tridentinum, reseruatam Papæ; maximè, ***facit Bulla Leonis X. lecta, & publicata in Concilio Lateranensi, eiusdem Pontificis tempore, congregato; vbi inhibentur Sacri Verbi Concionatores, noua, & conficta Miracula prædicare, & reuelationes; nisi à Romano Pontifice fuerint approbata.*** Verba clarissima sunt.

Cùm itaque, per hæc omnia, perspicuè pateat reseruatio, de qua loquimur, saltem pro dicto tempore; concludendum est, verum esse argumenti principalis antecedens.

55 Secundò, arguet quispiam. Vnum ex fundamentis, quare suppositum est, Episcopo Feretrano competiuisse, quæ nunc vertitur in dubium, Approbationem, ante Tridentinum; illud est: quòd cùm ea non esset, tunc temporis, Papæ reseruata; præsumendum sit, fuisse illi Episcopo concessam. Sed esto (quod, ad reseruationẽ ipsam attinet) hoc fundamentũ (contra quàm hauritur ex allatis, in argumento præcedenti) verum sit: ex eo tamen, quòd huiusmodi Approbatio, per idem tempus, reseruata non esset; non cõcluditur, verè fuisse concessam. Non enim, est absolutè verum; quòd omne, quod non est reseruatum Papæ; sit Episcopis, in suis Diœcesibus, concessum: vt, inde ostenditur; quòd nullibi quidem (vt ait Suarez, tomo 5. sup. cit. in 3. p. quod est, De Censuris, disp. 7. sect. 4. num. 5.) esse Papæ reseruatam institutionem Censurarum reperitur: quam tamen, nemo dixerit, esse concessam Episcopis, in suis Diœcesibus. Atque adeò fundamentum, de quo loquimur, saltem totaliter sumptum; haudquaquam dici potest, habere solidam veritatem. Neque igi-

igitur solidum erit, quod eodem nititur fundamento.

56 Tertiò, arguet quispiam, ex eodem Suarez, ibidem, et ex Diana, part. 8. tract. 3. resol. 11. vers. *Denique*, hoc modo. Episcopis, in suis Diœcesibus, non conceduntur; nisi, quæ pertinent ad ordinariam gubernationem moraliter necessariam, vel conuenientem, ad salutem animarum. Sic illi. Et hoc sensu volunt esse vera, & posse concedi axiomata illa, de quibus iam suprà: *Quicquid potest Papa, in tota Ecclesia, potest Episcopus, in sua Diœcesi, nisi prohibeatur*; &, *Concessum videtur, quod non est prohibitum*. Sed non apparet, necessarium, aut conueniens fuisse vnquam, ad hoc, vt Episcopi possent gubernare animas, earum saluti congruenter; illos habere potestatem, approbandi Miracula, in suis Diœcesibus. Ergo, antè quàm Tridentinum declararet, hanc eosdem habere potestatem; illam habuisse, dicendi non sunt.

§. VI.

PARS TERTIA.

Affertur solutio primi Argumenti contrarij: sed, quantùm ad primam, secundam, ac tertiam eius antecedentis probationem duntaxat.

57 AD primum argumentum respondeo, negando antecedens. Et ad eius Probationem, quia multiplex est; multiplicem etiam adhibeo Solutionem: sed hîc sanè, iusta de causa, triplicem duntaxat. Quare:

Primò, ad Probationem per capitulum, *Audiuimus*, aio: Sermonem, in illo, apertè haberi de non Canonizato. Atque adeò, nihil inde posse concludi; nisi reseruari Pon-

Pontifici, siue (vt loquitur textus) Ecclesiæ Romanæ iudicium, vt de Sanctitate; sic de Miraculis talium non Canonizatorum. Videantur, ibi, Expositores, vt Abbas, Zabarella, & ceteri. Cùm itaque, nos de Miraculis Deiparæ disseramus; clarum est: textum huiusmodi nihil prorsus contra nos facere, ne ex rationis quidem identitate. Quandoquidem: ratio, quare, de Miraculis non Canonizatorum iudicium reseruatum est Papæ, illa est (quod superiùs obseruauimus, ex Scaccho) quia, Miracula Seruorum Dei non Canonizatorum, ad eorum Canonizationem diriguntur: quæ ratio penitus cessat, cùm agimus de Miraculis Canonizatorum; vt est de se certissimum.

58 Secundò, ad Probationem per capitulum, *Cum ex eo*; dico: Appellatione, *variorum figmentorum*, osdem Abbatē, ac Zabarellam, ibi; non Miracula quidē falsa: sed falsas Reliquias intelligere. Audiamus vtrunque. *Nota, contra Clericos: qui causa quæstus, decipiunt populos, fingendo Reliquias, vbi non sunt.* Sic Abbas dicta verba precisè glossans, exponit. *Quintò nota: quòd coerceri debent figmenta, circa Reliquias: quæ figmenta interdum faciunt quæstuarij, qui ostendunt costam pecoris, vel asini; loco costæ alicuius Sancti: vel carbones; dicentes, eos esse illos, super quibus assatus est Laurentius, vel quid simile.* Ita interpretatur eadem verba, sigillatim Zabarella.

Sed concedamus, per figmenta varia, intelligi etiam falsa Miracula: non tamen, potest propterea concludi, quod huius capituli verba, quæ, in argumento, relata sunt; auferant Prælatis, vel dicamus, Episcopis, potestatem, de Miraculis iudicandi: sed potiùs concluditur exinde contrarium. Vidimus nanque modò, per Cardinalem Zabarellam: Conditorem huius Decretalis, dicendo, Non permittant Prælati, Fideles ad eorum Ecclesias accedentes, varijs decipi figmentis; velle sibi, super huiusmodi figmen-

mentis, coërcendum esse. Coërcere autem est actus Legis (ex Sancto Thoma, 1.2. q. 92. a. 2. c. & alibi) qui dicitur punire. Pœna verò, siue punitio supponit sententiam. Vnde, tritissimum est illud; ***Pœna, quæ non potest executioni demandari, absque hominis actione; ante iudicis condemnatiuam sententiam, non obligat.*** de quo, inter ceteros, Diana, parte 2. tract. 3. miscellaneo, resol. 67. vers. ***Probatur***. Sententia demum, & iudicium sunt idem: vt superiùs est visum. Vnde: si verba prædicta sumantur hoc sensu: tantùm abest, vt auferatur, per ipsa, Ecclesiarum Prælatis, de Miraculis iudicandi potestas; vt prorsus dicendum sit, eam, nisi haberent, per eadem tradi. Intelligo tamen semper de potestate tantùm, iudicandi de Miraculis Canonizatorum.

59 Tertiò, ad Probationem per capitulum, ***Venerabili***, libens concedo: Episcopum Corisopiteñ. potestatem, saltem omnimodam, per textum illum sibi commissam; antea non habuisse. Verùm, erat illa potestas (vt inde apertè apparet, & nos obseruauimus aliàs) testes examinandi, super vita, & Miraculis serui Dei cuiusdam Canonizandi: non autem Canonizati. Et hanc potestatem Episcopus ille antea quidem, vel non habebat pro vniuersali Ecclesia; vel, si habebat pro sua Diœcesi, nec etiam sic, volebat Summus Pontifex, vt eam ampliùs haberet; vt in superioribus dixi. Quapropter, ex talis capituli textu, nihil prorsus potest inferri, contra nostrum Suppositum, vbi est sermo de re diuersa, de Miraculis, nempe, Canonizatorum; etiam, ex identitate rationis: quemadmodum, & de textu capituli, ***Audiuimus***, iam est responsum.

§. VI.

§. VI.

PARS QVARTA.

Affertur Solutio prædicti primi Argumenti, quantùm ad eiusdem sui antecedentis vltimam Probationem.

REstat refellendum, quod, ad probandum idem antecedens, ex Leonis X. Bulla relatum est. Sed, cùm propterea scribendum sit aliquantò diffusiùs; huius Partis Quartę Paragraphi Sexti materiam (sicuti aliàs in similibus feci) distinguam.

DISTINCTIO PRIMA.

Notatur quidpiam, per Doctores, de vi, & auctoritate Bullæ prædictæ. Deinde ponitur summa Solutionis, & indicatur, vnde pateat, quod in ipsa dicitur.

60 NOtandum in primis, cum Caietano in Summula, verbo, ***Excommunicatio***, cap. 81. vers. ***Alia***, Bartholomæo Carranza, in Summa Conciliorum, circa finem Concilij Lateranensis, sub eodem Leone, vers. ***Ambiguum***, Nauarro, in Manuali, cap. 27. n. 111. & Suarez, De Censuris, disput. 22. sect. 6. num. 8. in fine: valde ambiguum esse; An lex huius Bullæ vsu, & consuetudine receptà sit. Quo notato:

Ad Probationem respondeo sic. Dato etiam, quòd

Bulla prædicta vſu, & conſuetudine, recepta ſit: attamen hæc propoſitio, *In Bulla Leonis X. quæ lecta, & publicata fuit, in Concilio Lateranenſi, prohibentur ſacri Verbi Concionatores, noua, & confictà Miracula prædicare, niſi à Romano Pontifice fuerint approbata,* quæ in eadem Probatione ponitur pro vera; falſa eſt in duplici ſenſu. Primò, ſi intelligatur ita; vt, in tali huius Bullæ prohibitione, fiat ſpecifica mentio de huiuſmodi Miraculis. Et ſecundò, ſi intelligatur ita; vt in eadem Prohibitione, fiat aliquo modo aliqua prohibitio de Miraculis propriè dictis.

Patet falſitas hæc, ex lectione ipſiuſmet Bullæ: quæ habetur, tum, in Bullarij tomo 1. inter Bullas Leonis X. vigeſima prima; tum, in volumine quinto Conciliorum, Concilij Lateranenſis, ſub Iulio II. & Leone X. ſeſſ. 11. & inter quatuor, in ea ſeſſione, deſcriptas Bullas, eſt prima; tum etiam, quantùm ad principalem partem, in ſupracitata Summa, Conciliorum Carranzæ, eiuſdem Concilij Lateranenſis ſeſſ. 11. tum tandem, quantùm ad eandem partem, apud Piaſecium, in ſua Praxi, p. 2. cap. 3. num. 17.

DISTINCTIO II.

Refertur, ſuis ipſis verbis, eiuſdem Bullæ Diſpoſitiua pars, quæ ſola in Bullis vim habet obligandi, vt hic oſtenditur; & eadem in ſeptem Particulas præterea diuiditur, cum ſingularum Synopſi.

61 SEd animaduertendum eſt: quòd hæc Bulla ſeptem continet illas partes aut ſimiles, quas in omnibus fere Bullis, agnoſcit Rebuffus, in ſua Praxi Beneficiorum, titu-

titulo, ***Forma noua prouisionis***, in principio. Et harum prima est, (in ea sigillatim) Inscriptio, per hæc verba: ***Leo Episcopus***, &c. Secunda est Narratio: nempe, ***Superna Maiestatis præsidio***, &c. Tertia est Corpus Bullæ, siue Dispositio: videlicet, ***Sacro approbante Concilio, statuimus, & ordinamus***, &c. Quarta est Fulminatio pœnarum, hoc modo: ***Si qui autem contra*** &c. Quinta est obstantium Derogatio: nimirum, ***Non obstantibus***, &c. Sexta est Commiminatio contradicentibus, aut non parentibus: hoc est, ***Nulli ergo***, &c. Septima est Data, sic: ***Data Romæ***, &c. Quæ omnia patebunt legenti totam Bullam, citatis locis.

Attamen: harum septem partium vna tantùm attendenda est, tanquam obligationem inducens: & est illa, quam diximus Corpus Bullæ, siue Dispositionem; & quam vocant etiam Constitutionem, Statutum, Ordinationem, Conclusionem, & similiter; prout videri potest, in Glossis, maximè in Extrauagantes.

62 Pro quo Asserto comprobando, facit admodum axioma illud, de quo Barbosa, in suis Axiomatibus, axiom. 47. num. 2. ***Conclusio sola***, inquit, ***attenditur; & obligationem inducit***: & textus capituli, ***Si Papa***, De Priuilegijs, in 6. & Glossa verbo, ***collationem***, in capit. vnicum, De rerum Permutatione, item in 6. & vsus communis Decretalium, quæ dicuntur Gregorij Papæ IX. in quibus, omissis ceteris partibus, illam duntaxat possumus cernere, de qua verba facimus: Vnde, & sic incipiunt. V. g. ***Relatum est, & infrà; Nos itaque***, &c. ***Gratum gerimus, & infrà; sanè*** &c. vt est videre (ne referamus alia) De Offic. & Pot. Iudicis delegati, cap. 19. & 20. Præterquam quòd: ***Illud habet vim Legis, quæ est coactiua per metum; pro quo*** (vt ait Sanctus Thomas, 1. 2. q. 100. a. 9. c.) ***in ea Lege pœna infligitur***. At pro eo tantùm, quod statuit Leo X. ac disponit, in huiusmodi parte, hæc Bulla pœnam infligit; igitur

hæc tantùm pars vim habet Legis, & cogit. Et hæc est causa, quare Carranza Bullam talem, in sua Summa referendo (vt iam vidimus) hanc tantùm dispositiuam partem exscripsit, quod fecit, & Piasecius: & Suarez (vbi paulò suprà citatum est) explicans Excommunicationem latam, in eadem Bulla, contra illius transgressores; tantùm recenset summatim ea, quæ in prædicta Dispositiua parte continentur.

63 Hæc itaque Dispositiua pars, quam hîc (vt falsitas, de qua loquor, clariùs appareat) referre censui verbis ipsissimis; circa Verbi Dei Prædicatores, constituit septem: quæ singula singulis contenta Particulis, quibus etiam Synopsim addere volui singulorum, in principio; sic se habent.

Primum est. Non esse admittendum aliquem ad officium prędicandi, nisi examinatum, & approbatum; &, super hoc, authenticis litteris ostensis.

Verba Bullæ, siue Particula 1.

Sacro approbante Concilio, statuimus, & ordinamus: vt nullus, tam Clericus Sacularis, quàm cuiuscunque, etiam Mendicantium Ordinis Regularis, aut quiuis alius, ad quem facultas prædicandi, tam de Iure, quàm de consuetudine, vel priuilegio, aut aliàs pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi priùs, per Superiorem suum respectiuè, diligenter examinetur (in qua re, conscientiam ipsius Superioris oneramus) ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, Prudentia, & vita exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur: & hic, quocunque postea prædicaturus accesserit de huiusmodi examine, & idoneitate sua, per litteras authenticas, seu alias sui examinatoris, approbatorisque, Episcopis, et alijs locorũ Ordinarijs fidẽ legitimè faciat.

Se-

Secundum est. Vt Prædicatores, iuxta sensum, prædicent, Doctorum approbatorum.

Verba Bullæ, siue Particula 2.

Mandantes omnibus, qui hoc onus sustinent, quique in futurum sustinebunt; vt Euangelicam veritatem, & Sanctam Scripturam, iuxta declarationem, interpretationem, & explanationem Doctorum, quos Ecclesia, vel vsus diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent, & explanent: nec quicquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adijciant; sed illis semper insistant, quæ ab ipsius Sacræ Scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus ritè, & sanè intellectis, non discordant.

Tertium est. Ne Prædicatores, Antichristi aduentum, aut Iudicij certum diem, aut quidpiam simile, ad tempus præfixum futurum, prædicare præsumant.

Verba Bullæ, siue Particula 3.

Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem Iudicij, prædicare, vel asserere, nequaquam præsumant. Cùm Veritas dicat, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: ipsosque, qui hactenus similia asserere, ausi sunt, mentitos; ac, eorum causa, reliquorum etiam rectè prædicantium auctoritati, non modicum detractum fuisse; constat.

Quartum est. Ne Prædicatores audeant futura prædicere, vel ex Sacris Litteris, vel ex reuelatione diuina, sibi, aut alijs quibuscunque suggesta.

Verba Bullæ, siue Particula 4.

Inhibentes omnibus, & singulis Clericis Sæcularibus, vel Regularibus præfatis, ceterisque, cuiuscunque status, gradus, & ordinis existant, qui hoc onus assumẽt; ne de cetero, in sermonibus suis publicis, alia quæque futura, ex Litteris Sacris constanter prædicare nec illa à Spiritu Sancto, vel diuina reuelatione se habuisse, affirmare, & alienas inanes diuinationes asseuerando, aut alio quocunque modo tractando, assumant; sed, ex diuinæ vocis præcepto, Euangelium omni creaturæ, cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione enucleent, & declarent: & pacem, ac dilectionem mutuam à Redemptore nostro tantopere commendatam, vbique fouentes; non scindant vestem inconsutilem Christi.

Quintum est. Ne Prædicatores ijdem incautè, intemperantérque Superiores, ac Prælatos reprehendant.

Verba Bullæ, siue Particula 5.

Sed, ab Episcoporum, & Prælatorum, ac aliorum Superiorum, eorumque status, scandalosa detractione (quos coram vulgo, & laicis non modò incautè, sed etiam intemperanter reprehendunt, & mordent) & ab eis malè gestorum, expressis quandoque nominibus, aperta, & manifesta redargutione abstineant.

Sextum est. Vt ijdem inuiolabiliter obseruent Constitutionem Clementis V. quæ incipit, *Religiosi*, & habetur inter Clementinas, tit. De Priuilegijs, cap. 1.

Verba Bullæ, siue Particula 6.

Denique Constitutionem felicis recordationis Clementis Papæ V. quæ incipit, Religiosi, quam tenore præsentium innoua-

nouamus, & approbamus, inuiolabiliter ab eis obseruari debere, decernimus: vt hac ratione, ad vtilitatem populi prædicantes, et cum Domino lucrifacientes, talentum, quod ab illo acceperant, superlucrari, et eiusdem gratiam, et gloriam consequi, mereantur.

Septimum est. Vt inspirationes, reuelationésue diuinæ, antè quàm prædicentur, ab Apostolica Sede sint examinatæ, aut saltem, si necessitas cogat, ab Ordinarijs locorum, cum doctorum virorum consilio.

Verba Bullæ, siue Particula 7.

Ceterùm, si quibusdam eorum Dominus futura quadam in Dei Ecclesia, inspiratione quapiam, reuelauerit, vt, per Amos Prophetam, ipse promittit, et Paulus Apostolus Prædicatorum Princeps, Spiritum, inquit, nolite extinguere, Prophetias nolite spernere; hos aliorum fabulosorum, et mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri, minimè volumus. Extinguitur nanque ipsius gratia Spiritus, Ambrosio teste, si incipientibus loqui, feruor, contradictione, sopitur: & tunc Spiritui Sancto iniuria certè fieri dicitur. Et quoniam res magni momenti est, eoquod, non de facili credendùm sit omni Spiritui, sed sint probandi Spiritus, teste Apostolo, an ex Deo proueniant; volumus, vt Lege ordinaria tales assertæ inspirationes, antè quàm publicentur, aut populo prædicentur; ex nunc Apostolicæ Sedis examini reseruatæ, intelligantur. Quod, si sine mora periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet; tunc, eodem ordine seruato, Ordinario loci notificentur: vt ille, adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis, & grauibus viris, et huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato; quando id expedire videbunt (super quo eorum conscientiam oneramus) licentiam concedere possit. Et hactenus Bullæ Dispositio.

DISTINCTIO TERTIA.

Per transcriptam partem Bullæ, demonstratur expressè vtraque falsitas propositionis, quæ assumpta fuerat in Probatione contraria, quam soluimus; & quo sensu sit vera.

64 EX tenore autem huius Dispositionis, quam totam ad verbum transcripsi;

Apparet illud primò: quòd, Nulla prorsus in ea Miraculorum nouorum, siue confictorum mentio specifica fit. Atque hinc (quantùm ad primum sensum, de quo suprà) falsitas propositionis, quam euertimus, apertè patet: hoc est: patet, falsum esse, quòd, *In Bulla Leonis X. lecta, et publicata in Concilio Lateranensi, prohibeantur sacri Verbi Concionatores, noua, et conficta Miracula prædicare, nisi à Romano Pontifice fuerint approbata*; si hoc intelligatur sic, vt, in tali prohibitione, fiat specifica mentio de huiusmodi Miraculis. Cùm illa re vera (vt dixi, & est visum) non fiat vllo modo.

65 Apparet secundò: quòd, In eadem Dispositione nihil Apostolicæ Sedi, siue Summo Pontifici reseruatur; nisi examen, & Approbatio nouarum, inspirationum, siue reuelationum, circa futura; antè quàm publicentur, aut prædicentur: atque id Lege tantùm ordinaria: ita vt (si necessitas cogat) quod est reseruatum Sedi Apostolicæ, ac Papæ; Ordinarijs etiam locorum permittatur. Vnde, hac in re concluditur: quòd, sacri Verbi Concionatores prohibentur quidem, nouas inspirationes, vel reuelationes prædicare, nisi approbatæ fuerint à Papa, vel, necessitate cogente, ab Ordinarijs locorum; sed, aliud prætereà nihil prorsus.

At

At verò: futurorum, & non præsentium reuelationes, inspirationésue, hominibus aliquando suggestæ, Miracula propriè sanè non sunt: quemadmodum, ex ijs elicitur clarè, quæ habet Sanctus Thomas (3.p. q.44. a. 3. ad 1.) dum dicit: quòd, quamuis Deus virtute diuina animas hominum interiùs immutet, & iustificando, & Sapientiam, diuinam infundendo, hoc est, reuelando; *hæc tamen ad Miracula non pertinent: sed ad Miraculorum finem*, quæ propter hæc operatur. Et huius rei ratio est: quia, quæ homines, Deo reuelante, cognoscunt; illa quidem sunt, quæ sunt omnino supra ipsos homines: hoc est, quæ ex naturalibus causis, per earum considerationem, cognoscere non possunt: & videri potest idem S. Thomas, eadem 3. p. q. 55. a.2. c. Attamen, huiusmodi reuelatio diuina, dicenda nequaquam est, de genere illorum regulariter esse; quæ ad Dei specialem pertinent influxum: hoc est; quæ (cùm ipse solùs, non secundùm solitum causarum secundarum ordinem, sed secundùm ordinem sibi soli notum ea faciat) dicuntur excedentia naturam, vel secundùm substantiam facti, vel secundùm id, in quo fiunt, vel secundùm modum, quo fiunt; quorum singulorum exempla sunt alibi allata: sed inter illa collocari debẽt, quæ ad communem spectant influentiam, & quæ Deus, vt primum tale agens, putà, vt glorificator, facit, sua quidem virtute; sed secundùm solitum, & consuetum cursum, siue ordinem: qualia sunt Iustificatio impij, Collatio gratiæ, & huiuscemodi alia. Reuelationes enim (ex Sancto Dionysio, Cælestis Hierarchiæ cap. 4.) perueniunt ad homines à Deo per Angelos: & hinc patet, qua virtute, quóue ordine, siue cursu fiant, virtute, nempe, Dei, & Angelorum consueto ministerio. Quæ verò spectant ad communem influentiam, & Deus, quanquam sua virtute facit, nihilominus secundùm solitum, & consuetum cursum, & ordi-

nem

nem facit; (ex Sancto Thoma, 1. p. q. 105. a. 7. ad 1. & Caietano, ibidem, super articulo 8.) propriè loquendo, Miracula non dicuntur: vt alibi etiam suprà tetigimus. Quocirca: reuelationes futurorum, & non præsentium (cùm sint de horum genere) propriè Miracula dici non debent.

66 Duo tamen hîc sunt notanda.

Primum: quòd, Reuelationes huiusmodi succedunt plerunque Miraculis: vt Apparitionibus, Visionibus, & eius generis alijs. Idcirco, numero antecedente (vt vidimus) dicebat Sanctus Thomas; reuelationes, quemadmodum, & iustificationes impiorum, non ad Miracula; sed ad fines Miraculorum pertinere: &, eandem etiam ob causam, ego puto, in Leonis X. Bulla, quam præ manibus habemus, parte secunda, quæ Narratio est, iungi cum reuelationibus ipsa Miracula.

Secundum: quòd, Ex doctrina Sancti Thomæ (1. 2. q. 113. a. 10. c.) vniuersaliter omne opus, quod à solo Deo fieri potest, quanuis fiat, secundùm consuetum, & propterea propriè non sit Miraculum; potest tamen impropriè Miraculum dici: ac proinde reuelationes, de quibus loquimur, cùm inter Dei opera ponantur talis generis; hoc habent ipsæ quoque, vt Miracula vocari queant, etiamsi propriè Miracula non sint.

67 Et hinc, patet manifestè propositionis prædictæ falsitas, quantùm ad secundum sensum: patet, nimirum, falsum esse, In Bulla Leonis X. lecta, & publicata, in Concilio Lateranensi, prohiberi sacri Verbi Concionatores, noua, & conficta Miracula prædicare, nisi à Romano Pontifice fuerint approbata; si hoc ita intelligatur: vt, in tali prohibitione, fiat prohibitio, de Miraculis propriè dictis. Visum enim est, in hac Bulla prohiberi tantùm illud, quod est, Concionatores prædicare nouas reuelationes, nisi,

nisi fuerint à Papa, vel, necessitate cogente, ab Ordinarijs locorum priùs approbata; & nihil aliud: & reuelationes huiusmodi propriè Miracula non esse.

Relinquitur itaque: propositionem eandem veram esse, tantùm hoc sensu: vt, videlicet, intelligatur, loqui de prohibitione, circa illa Miracula tantùm impropriè dicta; quę sunt reuelationes futurorum: atque adeò, verum esse tantùm illud, quod est: in Bulla Leonis X. lecta, & publicata, vbi iam toties diximus, prohiberi Sacri Verbi Concionatores prædicare noua, & conficta Miracula impropriè dicta, & quæ sint ipsissimæ reuelationes futurorum, & nihil aliud; nisi sit à Romano Pontifice, vel, necessitate cogente, ab Ordinarijs locorum approbatæ.

DISTINCTIO QVARTA.

Monstratur ex vero sensu prædictæ propositionis, quo est concessa; non sequi, quod intendebat contraria Probatio.

EX eo tamen, quod relictum est; haudquaquam sequitur: quod intendebat, quam nunc soluimus, contraria Probatio hoc est: haudquaquam sequitur, nullum Episcopum habuisse potestatem, aut iurisdictionem aliquam, ante Tridentinum, examinandi, & approbandi Miracula, propterea quòd, saltem post Lateranense Concilium, sub Iulio II. & Leone X. talis potestas, aut iurisdictio fuerit Papæ reseruata, modo, quem iam explicauimus.

Ex eo enim, quòd, in Lateranensi Concilio, per prædictam Bullam, fuit reseruata Papæ (Lege tamen tantùm ordinaria, vt dictum est) potestas, & iurisdictio, approbandi

no-

nouas reuelationes futurorum, antè quàm prædicentur; non sequitur: fuisse, in eodem, eidem Papæ reseruatam omnem, & quamcunque potestatem, approbandi omnia, & quæcunque Miracula. Et ratio est: quia reuelatio noua futurorum, quæ deberet esse medius terminus, in argumento, seu syllogismo, quo id probaretur, quanuis impropriè Miraculum sit, imò, etiam si esset Miraculum propriè; maiorem quidem conclusionis eiusdem argumenti, seu syllogismi extremitatem continet, & vt antecedens eam infert: attamen à minori extremitate non continetur, neque, vt consequens, infertur ex ea. Quod, vt verum esse perspiciatur; ponamus, quæso, ipsammet argumenti talis conclusionem; & reliqua practicè demonstremus.

68 Conclusio igitur hæc est. ***Omne Miraculum, post Lateranense Concilium, & ante Tridentinum, erat reseruatum Papæ, quantùm ad Approbationem.*** Et in ea, maior extremitas est, τὸ, ***Reseruatum Papæ quantùm ad Approbationem***; minor verò extremitas est, τὸ, ***Omne Miraculum***, &c. Porrò autem: τὸ, ***Reuelatio noua futurorum***, id quod (vt dixi) deberet esse medius terminus, in syllogismo, ad probandam huiusmodi conclusionē, continet, absque dubio, atq; infert, vt antecedens, τὸ, ***Reseruatū Papæ, quātū, ad Approbationem:*** quia est verum dicere: ***Est reuelatio noua futurorum; ergo est reseruata Papæ, quantum ad Approbationem***, supposita prædicta Bulla. Nihilominus: τὸ, ***Reuelatio noua futurorum***, non continetur, neque, tanquam consequens, infertur ex, τὸ, ***Omne Miraculum*** &c. Nō enim est verum dicere, ***Est Miraculum, ergo est reuelatio noua futurorum.*** Tum, quia, vt est ostensum, reuelatio noua futurorum propriè Miraculum non est; tum, quia, etiam si esset Miraculum, longè plura contineret, quàm huiuscemodi reuelationem.

69 Iam verò, Logica Regula est: ***Quando vniuersalis affir-***

affirmatiua conclusio probari debet (qualis quidem est conclusio, quam posuimus) *medius terminus inueniendus est, qui, non solùm contineat maiorem extremitatem, & tanquam antecedens inferat illam; sed præterea contineatur à minori extremitate, & ex illa inferatur, tanquam consequens: alioquin probandum non probatur.* De qua Regula Summularij passim, & maximè Paulus Vallius, in sua Introductione, in vniuersam Aristotelis Logicam.

Igitur: τὸ, *Noua reuelatio futurorum*, tanquam medius terminus, positam conclusionem non bene probat. Quia, debitus, & conueniens medius terminus, iuxta positam Regulam, re vera non est. Atque adeò Syllogismus huiusmodi, *Omnis reuelatio noua futurorum, post Lateranense Concilium, & ante Tridentinum, erat reseruata Papæ, quantùm ad Approbationem, Sed omne Miraculum, post Lateranense Concilium, & ante Tridentinum erat reuelatio noua futurorum, Ergo omne Miraculum, post Lateranense Concilium, & ante Tridentinum, erat reseruatum Papæ, quantùm ad Approbationem;* non bene concludit, & probandum non probat; ex debiti, & conuenientis medij termini defectu.

Atque inde fit: vt (quemadmodum dicebamus) ex eo, quòd, in Lateranensi Concilio, fuit reseruata Papæ potestas, & iurisdictio, reuelationes prædictas approbandi; non sequatur: tunc fuisse reseruatam eidem, cuiuscunque Miraculi quamcunque potestatem approbandi; ac proinde nullum Episcopum, ante Tridentinum, hanc potestatem habuisse; quod est contra nostrum Suppositum.

DI-

DISTINCTIO QVINTA.

Monstratur, veritati Solutionis iam statutæ nihil obstare quædam alia; inter quæ, Caietani auctoritatem, & aliorum quorundam.

70 ATque hoc, quod, respondentes contrariæ Probationi sic statuimus; est verum, etiamsi, in Narratione prædictæ Bullæ, fiat mentio Miraculorum: cùm semel dicitur, *Cumque q̃ (Prædicatores) sub confictorum Miraculorum mendacijs, varios errores, fraudesque disseminent*; & iterum, *Sed conficta Miracula, & noua, ac falsa vaticinia, aliaque leuia, & ab anilibus fabulis parum distantia, magnumque scandalum parientia*, &c. *vastis clamoribus imprimere, ac suadere, vbique conãtes*, &c. Tum, quia ex Narratione Bullarum nihil ad decisionem desumi potest, cùm tota vis obligatiua, in dispositiua, & constitutiua parte consistat, vt, ex Rebuffo, supra tetigimus; tum etiam, quia ego ipse puto (quod item innui suprà) in hac Bulla, iungi reuelationibus Miracula propterea; quòd (ex Sancto Thoma, cuius ibi citaui locum) his illæ plerumque succedant: nec aliam ob causam.

Imò: est verum illud ipsum, etiam si ratio, quæ, in ea Bulla, Leonem X. mouit, ad reseruandam Sedi Apostolicæ nouarum reuelationum, circa futura, Approbationem, & (vt inde colligitur) ea est, vt, Prædicatorum *prædicatione, Dei Ecclesia nullum scãdalum patiatur*; locum quoque haberet in Miraculis: & maximè propter duo.

71 Primum est. Quia, *In odiosis, non admittitur extensio, etiam ex identitate rationis*: vt Barbosa firmat, multos

tos allegando; Axiomate 146. num. 7. Quod (ex Thoma Sanchez, De Matrimonio, lib. 1. disp. 1. num. 4.) verum est; etiamsi Lex partim sit odiosa, & partim etiam sit fauorabilis; qualis quidem Bullæ huius est Lex, quæ partim fauet Ecclesiæ, ne, ob prædicationem, scandalum patiatur, & partim damnum inferre videtur Episcopis, quatenus, reseruando, eorum potestatem restringit; & modò fauor, & odium distingui commodè possint; quemadmodum, commodissimè iam hîc distinximus. Tunc enim Lex extendenda quidem est, quatenus fauorabilis; sed quatenus odiosa, est prorsus restringenda, non extendenda.

72 Secundum est. Quia, Si, ob identitatem rationis, reseruatio Approbationis nouarum reuelationum, circa futura, quam statuit huiusmodi Bulla, extendenda esset ad Miraculorum quorumcunque Approbationem; sequeretur maximum absurdum: vigere nunc, nimirum, duas Leges omnino contrarias: Legem, scilicet, Tridentini volentem (vt suprà vidimus) admittenda esse Miracula Sanctorum, saltem Canonizatorum, recognoscentibus, & approbantibus Episcopis; & Legem Lateranensis, huiusmodi Approbationem, Lege ordinaria, Papæ reseruantem. Vigeret quidem, his temporibus, Tridentini dicta Lex; quia vsu, & consuetudine recipitur, & est recepta. Vigeret autem temporibus eisdem etiam Lex Lateranensis; quia illi, per Tridentini nouam Legem, derogatum haudquaquam est. ***Non enim censetur derogatum Concilij generalis Decretis*** (inquit Sanchez, De Matrimonio, lib. 3. disp. 26. num. 7. vbi textus, & Doctores quamplurimos citat, & rationem addit, quod confirmat etiam, Operis moralis lib. 2, cap. 43. num. 10.) ***nisi expressa mentio fiat, his verbis; Non obstante aliqua Lege, aut Constitutione, in Concilio generali edita.*** Et huiusmodi expressa mentio, cum huiusmodi derogatoria clausula, in supracitato Tridentini-

den-

dentini loco, neutiquam apparet. At verò: tale maximum absurdum concedendum non est. Neque id ergo est concedendum, vnde illud emanat.

73 Oportet itaque concludere: quòd, si Tridentinum, expressa mentione facta, & apposita necessaria clausula, non derogauit, vbi suprà, prædictæ Lateranensis Bullæ, & Constitutioni; hoc non fuit opus: quódque huiusmodi Bullæ, & Constitutionis verba (quatenus Approbationem nouarum reuelationum de futuris, Apostolicæ Sedi, Lege ordinaria, reseruant) nunquam sint extensa, vltra ipsorum exigentiam, & id, quod significant expressè; etiam ex identitate rationis. Atque hoc bene, ac iure sentit Suarez, De Censuris, loco suprà citato, cum eiusdem Bullæ, & Constitutionis explicat Excommunicationem: licèt Caietanus, in Summula, verbo, ***Excom.*** cap. 81. vers. ***Si qui***, Nauarrus, in Manuali, cap. 27. num. 111. & Auctor Memorialis sciendorum à Clericis, iussu Cardinalis Ludouisij, qui postea fuit Gregorius XV. editi, in Catalogo Excommunicat. cap. 5. num. 3. eandem Excommunicationem explicantes, & redigentes Constitutionem, de qua loquimur, in summam; cum reuelationibus (quas non reuelationes quidem, neque inspirationes, vt Constitutio, sed prophetias vocant) ponant etiam, & Miracula; nec de Approbatione mentionem vllam faciant: fortasse, quia, quæ nos, ita discurrendo, vtcunque inuestigauimus (& detur dictis venia) non animaduerterunt.

74 Sed ponamus verba, quæ Caietanus ibi, quasi Decreti cuiusdam in modum, habet: vt, hæc nostra quicunque legerit, videre saltem possit absque difficultate multa; Num illa pugnent contra nos: maximè, cùm non desint; qui eadem, hac in re, nobis obiecerint. Caietanus ergo ita scribit.

Si qui, in suis prædicationibus ad populum, Miracula falsa,

falsa, aut incerta, vel prophetias, quae ex sacra Scriptura non constant, praedicare, seu Episcopis, aut suis Superioribus, scilicet, Ecclesiae Praelatis, detrahere, ausi fuerint (vltra poenas contra tales, in Iure, statutas) Excommunicationis etiam sententiam, à qua, nisi à Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Idem ibidem (hoc est, Leo X. in Concilio Lateranensi) ***in XI. Sessione.***

75 Sed certum est: Decretum huiusmodi, hac verborum forma conceptum, in eodem Concilio Lateranensi, non reperiri. Cùm ergo tribuatur à Caietano expressè ipsi Leoni X. in Lateranensis 11. Sessione; non potest esse, nisi eiusdem Leonis X. praedictae Bullae, in eadem sessione, lectae, & publicatae, Dispositio, & Constitutio, in summam, redacta; vti modò dicebam.

An verò, Caietanus re vera effecerit, quod videtur praetendere; iudicent illi (quod pace tanti viri dictum sit) qui eius haec verba, cum verbis Dispositionis, quae iam suprà retulimus, conferre non fuerint grauati. Ex hac nanque collatione manifestè colligitur, ponere Caietanum, ***falsa, aut incerta Miracula*** (id quod paulò antè innui) quae illa Dispositio non ponit; & ***reseruationem Approbationis reuelationum***, quam ponit eadem Dispositio, non ponere.

Verùm, hoc vtcunque sit: aut dicit Caietanus, per huiusmodi verba, quod dicta dicit Dispositio; aut aliud. Si primum; iam vidimus, Dispositionem nihil facere contra nos. Si secundum; quòd sonant verba Caietani, nihil item contra nos facere, dicendum est. De Approbatione siquidem nos disserimus; & de Approbatione Caietanus, ne verbum quidem.

Et per haec, respōderi pariter potest, si quis nobis obijciat verba Nauarri, Auctorisque citati Memorialis, in ci-

tatis locis: quæ, nisi eadem numero sunt, ac verba Caietani; illud idem tamen omnino significant.

DISTINCTIO SEXTA.

Proponuntur, ac soluuntur Difficultates duæ, circa quædam, quæ dicta sunt, in hac Parte IV. Sexti Paragraphi.

76 Restant difficultates duæ breues, quas nolo prætermittere.

Prima est. Quæ dicta, sunt ad soluendum argumentum, circa Leonis X. Bullam, quæ ad Concilium Lateranense spectat; videntur illius quædam Glossæ, Interpretationésque. Sed, idem Leo X. in alia Bulla, quæ, in sess. 12. eiusdem Concilij, secunda est, expresse prohibuit, Ne quis, in eo Concilio gesta, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, glossare, aut interpretari præsumat, qua licentia ipse non fruor; ergo, illa bene dicta non sunt, ac bene argumentum non soluunt.

Quæ difficultas moueri etiam potest contra illa, quæ superius dixi, circa Decretum Tridentini, *De Inuocatione* &c. in sess. 25. cùm Pius IV. in Bulla, qua idem Tridentinum confirmauit, & in ipsius habetur fine; idipsum prohibeat de Tridentini eiusdem Decretis.

Respondeo tamen, cum Sayro (De Censuris, lib. 3. cap. 25. num. 21.) huiusmodi prohibitiones intelligendas esse, hoc sensu: vt nullus, absque Sedis Apostolicæ licentia, possit edere libros, qui ex professo contineant Commētarios, Glossas, & Interpretationes, in ipsa Concilia, speciales ipsius edentis: non autem ita, vt nemo possit, in re dubia,

bia, & obscura, sententiam, & opinionem suam, & quæ verbis eorundem Conciliorum videatur magis conformis, piè, reuerenter, & humiliter explicare nonnunquam, cùm sese offert occasio; quemadmodum quotidie, à doctissimis, & grauissimis viris obseruari, videmus. Ita vt: Augustinus Barbosa volumen compilauerit haud exiguum; quod ita inscripsit: *Collectanea Doctorum, qui, suis in Operibus, Concilij Tridentini loca referentes, illorum materiam incidenter tractarunt; & varias quæstiones, in foro Ecclesiastico versantibus maximè vtiles, & necessarias, deciderunt*. Vbi sanè ex ijs, quæ obiter super varijs Tridentini locis varij scripsere Scriptores; ferè totum Tridentinum exponit.

Ego igitur, his congruenter, quæcunque, tum circa Bullam Leonis, quæ in Lateranensi habetur, tum circa memoratum Tridentini locum, scripsi; me piè, reuerenter, atque humiliter, & iuxta sententiam Doctorum, quos ibidem adduxi, neque aliter; scripsisse, profiteor, ac protestor.

77 Secunda est. Inter Miracula, de quibus dissertamus, vnum est Apparitio, seu Visio Dei Genitricis. Sed Apparitio, seu Visio idem est, ac Reuelatio: ergo, cùm, ex dicta Leonis Bulla, Approbatio Reuelationis reseruata sit Papæ; hoc idem est dicendum etiam de Approbatione Apparitionis, seu Visionis.

Respondeo, cum Sancto Thoma, in secundam ad Corinthios, lect. 1. & Consaluo Duranto, tomo 1. in Sanctæ Birgittæ Reuelationes, tractatu De Visionibus, cap. 2. versu, *Postremo quærendum*, circa finem, vbi citat Lyranum, & Caietanum; differentiam esse, inter Apparitionem, seu Visionem, & Reuelationem. *Nam Reuelatio* (inquit Sanctus Thomas) *includit visionem, & non è conuerso*. Quare, cùm stet Visio, siue Apparitio absque Re-

uelatione, quemadmodum, re vera ſtetit Apparitio Dei Genitricis, de qua nos agimus, cum per illam (vt patet ex dictis in Procœmialibus, & alibi) nihil circa futura reuelatum fuerit; nequaquam eſt extendenda reſeruatio Approbationis Reuelationis ipſius, ad Apparitionis Approbationem. Et eò maximè, quòd Apparitio propriè Miraculum eſt, Reuelatio verò non item, vt ſuis locis vtrunque fuit oſtenſum; &, quòd inde illud abſurdum, de quo ſuprà, num. 72. omnino ſequeretur.

§. VI.

PARS QVINTA,

Solutiones afferuntur duorum reliquorum principalium Argumentorum ex ijs, quæ contra Suppoſitum Sextum fuerunt obiecta.

78 SOluenda remanent argumenta duo, ſecundum, nimirum, ac tertium, Suppoſito ſexto contraria.

Ad ſecundum reſpondeo: Illud axioma, *Omne, quod non eſt reſeruatum Papæ, præſumitur Epiſcopis, in ſuis Diœceſibus, conceſſum*; ſolidam prorſus habere veritatem: modò cum ijs limitationibus intelligatur; quas num. 51. & ſeq. explicauimus, & ſunt huiuſmodi: nimirum: vt ea dicantur Papæ reſeruata, vel, quæ illi expreſsè reſeruantur in Iure; vel, quæ illi reſeruantur, ex communi Doctorum ſenſu; (& hæc omnia enumerat Siluester, loco ibi citato;) vel, quæ illi reſeruantur ex natura ſui, vt diſpenſatio legum Pontificiarum; vel tandem, quæ tam ſunt ardua, & grauia, vt inter Doctores dubitetur, aut dubitatum ſit,

Num,

Num, circa illa, Papa ipse potestatem habeat. Quæcunque igitur non sunt reseruata Papæ, vno ex quatuor hisce modis; dicuntur prorsus Episcopis, in suis Diœcesibus, concessa.

79 Neque illud, quod in argumẽto affertur, & alia similia, quæ videri possunt, & apud Suarez, loco citato, ibidem, & apud Dianam, 8. parte, tractatu 3. resol. 11. vers. *Deinde*, quæque mox ego ipse memorabo; aliquid valent, ad ostendendam falsitatem axiomatis ita intellecti, vt est prædictum. Nam, si loquamur de institutione Censurarum; hæc dicitur Papæ reseruata, quia (quod notauimus, vbi paulò suprà) dubitatum inter Doctores est; Num Papa instituere Censuras possit. Sic dicendum est, de committendo ministerium Sacramentorum Confirmationis, aut Ordinis, Presbytero; & de dispensando in Matrimonio rato, non consumato; vel in voto solemni: quia, de his, Num ad Papæ potestatem spectent, inter Doctores dubitari, ac dubitatum esse, manifestè constat ex ipsomet Diana, eadem 8. parte, consulendo; tum tractatu 1. resolut. 3. 33. 34. 35. 36. & 62. tum tract. 3. resol. 100. Si loquamur de concedendis Indulgentijs absolutè, tam pro viuis, quàm pro defunctis, vsque ad plenariam remissionem; hoc esse reseruatum Papæ, significatur apertè, in Extrauaganti, *Vnigenitus*, De Pœnitentijs, & Remissionibus: vnde, in cap. *Cum ex eo*, titulo eodem, limitatur etiam, ac statuitur, quid, circa Indulgentias, Ecclesiarum valeant Prælati; vt innuimus etiam alibi superiùs. Si denique loquamur de Sanctorum Canonizatione; hanc Papæ expressè reseruatam esse in Iure, iam suprà vidimus, ex cap. 1. De Reliquijs, & Veneratione Sanctorum. Vnde relinquitur, nihil obstare, quin solidè dici possit, Episcopis, in suis Diœcesibus, omnia dici debere concessa; quæ aliquo, ex quatuor dictis modis, non sint Papæ reseruata.

80 Ad tertium respondeo: modum illum dicendi, *Episcopis in suis Diœcesibus non conceduntur, nisi quæ pertinent ad ordinariam gubernationem moraliter necessariam, vel conuenientem, ad salutem animarum*; mihi quidem placere non posse. Cum illum videam nimis generalem, ac proinde rem arbitrio boni viri relinquentem; & id (ex ipso Diana, 5. parte, tract. 5. resol. 11.) saltem hoc habet: quòd, non tollere scrupulos est; sed illos ingerere, aut augere. Et sanè, quis æstimabit, quàm latè pateat ordinaria gubernatio, quæ sit animarum saluti moraliter necessaria, vel conueniens; nisi certo aliquo termino præfiniatur? Quod, si difficilè admodum est; contrà, facillimum etiam erit, Episcopos, in re huiusmodi æstimanda, scrupulis dinexari; & sæpe, ac sæpius esse perplexos: quod, tanquam constituens hominem, quasi in necessitate peccandi; vti maximum inconueniens (ex doctrina Sancti Thomæ 1. 2. q. 19. a. 6. ad 3. & 3. p. q. 64. a. 6. ad 3. & q. 82. a. 10. ad 2.) est maximè quoque semper euitandum: qua ratione, vidi (post hæc scripta) eundem vti Dianam, in re persimili, & iisdem fere verbis (parte 10. tract. 16. resol. 47.) vbi, quæso, consulatur. Quare satius est: huic ordinariæ gubernationi ad Episcopos attinenti, præfinire terminos, per commune axioma, dicendo; posse illos, in suis Diœcesibus, quæcunque, vno ex explicatis quatuor modis, non sunt reseruata Papæ, vt præfiniuimus. Atque ita, quàm latè pateat eorum iurisdictio, & potestas, facilè erit inuenire; cùm per ea, quæ diximus, facilè sit etiam inuenire, quæ, dictis modis, Papæ reseruata sint: ac proinde scrupuli quoque, hac de re, tollentur omnes, ac perplexitates.

81 De duobus illis axiomatibus, quæ repetitur in argumento; nihil est, quod ego repetam hoc loci. Quomodo enim sint intelligenda; clarè iam indicaui, num. 52. & num. 78. replicaui paulò antè. Mi-

Minorem argumenti, quam, te meminisse, puto, amice Lector, sin autem, iterum ibi videndam; sino tandem pertransire. Consequentiam verò penitus inficior. Atque ita satisfactum sit omnibus ijs, quæ contra nostrum sextum Suppositum obiecta sunt.

Addo illud vnum. Quæ hac Paragraphi 6. Parte 5. scripsi, duobus respondens argumentis; volo, scripta esse, prorsus inoffensis doctissimis duobus viris: hoc est, Suarez, qui multos ante annos excessit è viuis, ac Diana viuente adhuc: doctissimis viris, inquam, illis, quos quidem, loco Magistrorum plurimi semper æstimandorum, ipse habeo: quippe à quorum Scriptis perquameruditissimis, ac longè vbique gentium laudatissimis, quoties illa euoluo, plura semper, ac pulchra me discere, profiteor. Id porrò, ea maximè de causa volo; quòd hîc, in modo dicendi, me putem aliquid ab illis quidem dissentire; sed re ipsa, ne dicam nihil, parum omnino.

§. VII.

Licèt Miraculum Lacrymarum, exempta contigerit in Ecclesia: supponitur, & probatur, hoc nihil obstare; quin, ante Tridentinum, eius Approbatio Feretrano competeret Episcopo. Soluitur etiam, quod obijcitur in contrarium.

82 SVpponendum est septimò: quòd, Si loquamur de Miraculo Lacrymarum à ceteris præciso; quin, ante Tridentinum, ipsius Approbatio competeret Episcopo Feretrano, nihil obstat: ipsum, in Ecclesia Patrum Augustinensium, in Ecclesia, scilicet, exempta, contigisse. Quod quidem quadrupliciter ostenditur.

Primò. Quia talis Approbatio, nunquam potuit competere Prælatis Regularibus Ordinis Augustinensis. Licet enim Prælati huiusmodi, tanquam exempti, maximè verò, qui sunt maiores inter illos, & qui est immediatè Papæ subiectus, vt Prior Generalis, habeant (sicut in Religionibus ceteris) iurisdictionem, quasi Episcopalem (vt deducunt ex Glossa singulari, in Clementinam primam, De Rebus Ecclesiæ non alienandis, verbo, ***proprij***, ex Nauarro, in consilio 23. De Priuilegijs, & ex alijs, & expressè tradit Layman, Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8. num. 28.) tamen, ex eo quòd (vt optimè ostendit Emanuel Rodriquez, Quæstionum Regularium tomo 2. q. 63. a. 1. & 2.) hanc iurisdictionem habent ex priuilegio, & non de Iure communi; vnde, ideo dicuntur exempti, quia (vt habet Siluester verbo, ***Exemptio***, in principio) per priuilegium Sedis Apostolicæ sunt educti, seu liberati ab Ordinarij subiectione, ac potestate; sequitur: vt eousque iurisdictio eorum extendatur; quousque extenditur priuilegium. Quandoquidem, ***Priuilegium non potest ad aliud, etiam simile, trahi, & extendi, vt colligi videtur ex cap. vltimo, De Prabendis***; inquit Azorius, parte 1. lib. 5. cap. 23. q. 2. in fine. Id quod confirmant, & Bonacina, De Legibus, disput. 1. q. 3. puncto 7. §. 2. num. 11. vers. ***Respondeo***; & Layman, lib. & tract. citato, cap. 23. num. 7. & Emanuel Rodriquez, vbi suprà, tomo 1. q. 7. a. 2. in fine, & alij communiter; & intelligere oportet, etiam de priuilegijs, quæ non vni personæ; sed toti Communitati, & in perpetuum concessa sunt; cuiusmodi reputantur (ex eodem Layman, ibidem, num. 5. vers. ***Dixi***, & Rodriquez tomo 2. q. 63. a. 2. vers. ***Solus***) Religionum priuilegia. Nam, quanuis hæc æquiparentur Legibus communis Iuris corpori insertis, & latam interpretationem habeant (sicut idem Layman, eodem loco, notasse ait Sanchez, De Ma-

trim.

trim. lib. 8. disp. 1. num. 3. Henriquez, lib. 7. cap. 22. num. 3. & Coninchium, 3. p. tomo 2. disp. 33. dub. 2. numero 6.) cùm tamen (vt scribit Azorius, vbi suprà, in principio quæstionis) *longè aliud sit, priuilegium interpretari, atque ad aliud trahere, siue protendere;* esto, quod huiusmodi priuilegia Communitati concessa latam admittant interpretationem, quatenus tamen (vt apertè tradit ipse Rodriquez, vbi proximè) illorum verba patiuntur (in quo quidem æquiparatio prædicta consistit) non propterea sequitur: vt admittere dici debeant extensionem à casu ad casum, etiam ex identitate rationis. Atque hoc satis expressè docet idem Rodriquez, citato loco, tomi primi: vbi mentione facta priuilegiorum, non tantùm vni personæ, sed etiam Communitati, ac Religionibus concessorum; habet hæc verba. *Ex dictis colligitur: quòd priuilegiati debent se continere, intra limites suorum priuilegiorum: nec vlteriùs ea protendere debent, vt dicũt Canones. Ideoque in priuilegijs, non fit extensio de casu ad casum, nec de persona ad personam, etiam ex identitate rationis, vt dicunt Iura, & notant Canonistæ, & Bartholus, & scribentes tradunt, vt Cardinalis, & Thomas Grammaticus:* & loca, more suo, citat in margine. Præterquam quòd idipsum suadet etiam, & ratio. Tum, quia, ad hoc, vt quædam æquiparentur, non omnimoda æquiparatio necessaria est, vt patet ex dictis alibi, de æquiparatione, inter Ecclesiam, & Rempublicam; tum, quia, nec etiam de Legibus insertis ipsi Iuri certum prorsus est, Vtrum, ex identitate rationis, à casu ad casum, extensionem admittant, vnde, inter se disputant hac de re Doctores, quemadmodum, omissis ceteris, videri potest, apud Bonacinam, De Legibus, disput. 1. q. 1. puncto 8. num. 26. tum demum, quia, priuilegia, quæ propriè priuilegia sunt, hoc est, quæ non sunt potiùs gratiæ quædam,

siue beneficia Principis, dicuntur esse cōtra ipsum Ius commune, illique derogare. Quocirca, si ex identitate rationis posset priuilegium tale, à casu in illo expresso, ad casum alium non expressum extendi; nimium Iuri communi derogaretur. Et tamen ratio poscit; vt communis Iuris fauor fauori priuato, quem priuilegium respicit, præferatur: vt considerat Layman, vbi iam adductus est, num. 5. vers. *Aliud est*.

83 Atqui (vt ad minorem ponendam huius primæ rationis principalis transeamus) Si quis euoluat priuilegiorum Collectores, quæ non solùm Patribus Eremitis Augustinensibus, verùm Religionibus etiam ceteris quibuscunque Sedes Apostolica concessit; ipsum ego quidem haudquaquam inuenturum, puto: eisdem aliquando fuisse priuilegium aliquod concessum, quo Prælatis eorum permittatur, suis in Ecclesijs, approbare Miracula, non dicam, non Canonizatorum; sed (quod nostra interest) Sanctorum etiam Canonizatorum. Atque hoc nisi essem expertus; affirmare vtique non auderem. Euolui enim ego ipse, hac de re, quęcunque potui: maximè verò Compendium Priuilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium Alphonsi de Casarubios, cum Additionibus, & Annotationibus Antonij de Corduba, & Hieronymi à Sorbo; & Nouam Collectionem Priuilegiorum Apostolicorum Regularium Mendicantium, & non Mendicantium Emanuelis Rodriquez, in duos tomos diuisam; vbi Bullæ ipsæ Apostolicæ referuntur totæ, & extensæ, ab Vrbano II. vsque ad Leonem XI. & nihil penitus accidit, vt huc spectans reperire potuerim. Igitur, Apostolico priuilegio non extante, siue non inuento, quo Prælatis Augustinensibus concedatur Approbatio, de qua loquimur; dici non potest: vnquam illam eisdem competiuisse.

84 Nec

84 Nec est, cur aliquis respondeat: Hanc Approbationem huiusmodi Prælatis, ante Tridentinum saltem, ex eo competiuisse; quia, cum iurisdictionem ipsi semper habuerint, quasi Episcopalem; ad hoc, vt Episcopis æquipararentur, necesse erat; vt, quemadmodum in proprijs Ecclesijs talis Approbatio competebat Episcopis; ita, quando adhuc declaratum non erat per idem Tridētinum, eam Episcopis, in omnibus Ecclesijs, competere; in proprijs Ecclesijs, dictis competeret Prælatis.

Quandoquidem: dato, & concesso, quòd, post quàm hi Prælati à iurisdictione, ac potestate Episcoporum educti, ac liberati sunt, habuerint semper, quasi Episcopalem iurisdictionem; quia, in hoc asserendo, conueniunt communiter Doctores (quanquam illud expresè, siue in Iure, siue in eorum priuilegijs, ego reperire non potui) nihilominus non sequitur: vt eo ipso debuerint habere potestatem, approbandi Miracula Sanctorum, in proprijs Ecclesijs.

Tū, quia, vt quispiā alteri ęquiparetur omnimoda ęquiparatio (quod paulò suprà dixi) necessaria nō est; tū, quia, *In generali concessione, non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter, in specie, concessurus*, vt in Regula 81. De Regulis Iuris, lib. sexto; tum quia, idcirco semper competiuit Episcopis, in suis Diœcesibus, & Ecclesijs, approbare Miracula Sanctorum, quia populos habent, qui occasione Miraculorum non approbatorum, Deo, ac Sanctis tribuere potuissent indebitum cultum, prædicti Prælati autem populos regulariter non habent; tum demum, quia Pręlatis Regularibus auctoritas quasi Episcopalis à Sede Apostolica concessa est, non quidē circa omnia; sed circa illa tantùm, quæ in specie sunt in priuilegijs expressa. Et sic docet eruditissimus Fortunatus Scacchus, qui Regularis Augustinensis quidem fuit, & Apostolici Sacra-

ij Præfectus, mihique peramicus; dum (De Cultu, & Veneratione Seruorum Dei, lib. 1. sect. 1. cap. 8. circa medium) habet hæc verba. *Auctoritas, quasi Episcopalis, circa nonulla Regularium Superioribus ab Apostolica Sede concessa, non se extendit ad ea, quæ Episcopis, vel Sedi Apostolicæ reseruata existunt; nisi in specie id fuerit expressum.* Quare hi Regularium Superiores, in his nonnullis tantùm, & expressis, & non in aliis; Episcopis æquiparantur.

Ex his ergo infertur intentum principale rationis, nostrumque Suppositum: illud, videlicet: quòd, cùm Approbatio Miraculi Lacrymarum, quod in exempta Ecclesia Patrum Augustinensium contigit, nunquam potuerit cõpetere Patrum Prælatis eorundem; dicendũ sit (si Miraculum erat approbandum) nihil exemptionem obstare talis Ecclesiæ; quin ante Tridentinum, hæc Approbatio competeret Episcopo Feretrano.

85 Secundò monstratur idipsum. Quia prædictam Ecclesiam, tametsi Regularium, & exemptam; quantùm tamen, ad Approbationem quorumcunque Miraculorum in ea patratorum, fuisse aliquando non subiectam Episcopo Feretrano; non videtur asserendum: quod paulò infrà clarum fiet. Ergo, ante Tridentinum, eius exemptio minimè obstabat, quin Episcopo Feretrano competeret Approbatio Miraculi Lacrymarum, in ea patrati.

86 Tertiò. Quia, esto, quantùm etiã ad hanc Approbationem secundùm se, huiusmodi Ecclesia non esset, ante Tridentinum, Episcopo Feretrano subiecta, quod nullatenus concedo; illi tamen subiectus erat populus Pinnensis, ad quem, huius occasione Miraculi, Deiparam Virginem, eiúsque Sacram Imaginem colere, ac venerari spectabat. Sed locorum exemptio, ab Episcoporum subiectione, nihil ademit vnquam Iuris ipsis Episcopis, circa ea,

circa ea,

ca ea, quæ ſpectant ad populum non exemptum, ſecundùm quòd talia. Sic, ex Innocentio, num.3. in cap.1. De Statu Monachorum, qui totum id collegit ex cap. *Ex ore*, De Priuilegijs, in fine. Ergo, quin hæc Approbatio, ſaltem ſecundùm quòd ſpectabat ad populum Pinnenſem non exemptum, competeret, ante Tridentinum, ipſi Feretrano Epiſcopo; nihil obſtabat exemptio Eccleſię, dato etiam, & non conceſſo, quòd tunc comprehenderet Approbationem ipſam, ſecundùm ſe, talis exemptio.

87 Quartò. Quia, poſt Tridentinum, exemptio Eccleſiæ memoratæ nihil obſtat: quò minùs non ſolùm huius, verùm etiam alterius cuiuſcunque Miraculi, quod ibi, per Sanctum aliquem accideret, Approbatio; Feretrano ipſi Epiſcopo competere, dicenda ſit. Iam vidimus enim alibi ſuprà (ex eiuſdem Tridentini Decreto) nulla eſſe admittenda noua Miracula, niſi recognoſcente, & approbante Epiſcopo. Sed, viſum eſt etiam, ibidem (ex Thoma Sanchez) hoc Tridentini Decretum nullum priuilegium Epiſcopis concedere, quod antea non haberent; ſed ſolam formam ab ijs, in recognoſcendis, approbandíſque Miraculis, in poſterum ſeruandam, tradere. Ergo priuilegium, quod habet Epiſcopus Feretranus, circa Miraculorum Approbationem, poſt Tridentinum; habebat etiam ante. Sed nunc, poſt Tridentinum, ex enunciatione prædicti ipſius Decreti, priuilegium habet, quo illi competat Approbatio Miraculorum omnium, nullo excepto. Dicitur enim ibi, vt modò ſcribebam, *Nulla etiam admittenda eſſe noua Miracula, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo*: & dictio, *nulla*, eſt vniuerſalis negatiua, & excludit omnia; quod ex Doctoribus obſeruauimus alibi: vnde, & excludere dicenda eſt etiam illa Miracula, quæ in exempta contingunt Eccleſia. Ergo, concludendum eſt, idem prorſus priuilegium, ante Tridentinum, illum habuiſſe:

at-

atque ita, nihil exemptionem obstitisse vnquam Ecclesiæ, in qua contigit; quin Miraculi, de quo agimus, Lacrymarum, tunc illi competeret Approbatio.

82 Conabitur fortasse quispiam ostendere, competiuisse Prælatis Augustinensibus, ante Tridentinum, approbare Miraculum prædictum, quippe quod est in eorum editum Ecclesia; per textum, quem superiùs retulimus, ex capit. finali, De Reliquijs, & Venerat. Sanctorum. Ibi enim prohibentur Prælati, ne permittant eos, qui ad eorum Ecclesias, causa venerationis accedunt; varijs figmentis, aut falsis documentis decipi. Ac proinde videtur, illis dari facultas, de Miraculis cognoscendi, quæ in eorum patrantur Ecclesijs, ne per occasionem huiusmodi Miraculorum, Fideles ad illas accedentes veneratum, decipiantur. Prælati autem Augustinenses, verè Prælati sunt: in quo comprobando, immorandum non videtur.

Respondeo primò: quòd, Hoc in textu, nihil omnino decernitur de Regularibus Prælatis, atque illis nulla prorsus datur facultas. Est enim ibi sermo de Prælatis Ecclesiarum, vt patet ex Glossa, ibi, in casu. Appellatione verò Prælatorum Ecclesiarum; veniunt non Prælati Regulares: at Episcopi duntaxat: vt colligitur ex aliquibus locis Concilij Trident. præsertim ex cap. 3. De Reformatione, sess. 6. & ex cap. 4. item De Reformatione, sess. 14. & ex ijs, quæ habet Barbosa, De Officio, & Potestate Episcopi, parte 1. tit. 1. cap. 6. num. 14.

89 Respondeo secundò. Dato etiam, quòd, in eodem textu, sermo fiat, non de Episcopis tantùm, verùm, & de Prælatis Regularibus; quin, quòd appellatione Prælatorum Ecclesiarum veniant, preter Episcopos, ipsi quoque Prælati Regulares, quod sentire videntur aliqui, apud Barbosam, in Collectanea, in Tridentinum, ad cap. 3.

iam

iam citatum sextæ sessionis, num. 2. attamen: suprà vidimus ex Panormitano, & Zabarella, moneri Prælatos, per hunc textum, illos esse coërcendos, qui quæstus gratiâ ostendunt, in eorum Ecclesijs, falsas Reliquias pro veris, & falsa tradunt documenta, nihilque aliud decerni. Nemo autem potest coërcere, nisi eos, qui sibi sunt subiecti. Cùm porrò Prelati Religionum subiectos alios regulariter non habeant, nisi suos Regulares; dici nihil potest (si dispositione comprehendũtur huius textus) quàm, quòd illis facultas detur, proprios coërcendi subditos, cùm accidit, vt in similibus delinquant: & idem pariter præstandi, cùm delinquunt, in proponendis, inter prædicandum, falsis Miraculis pro veris: modò velimus, per varia figmenta, & falsa documenta, Miracula quoque intelligere, vt alibi diximus. Id quod, licet sit, de Miraculis aliquid cognoscere; non tamen est necesse, vt sit Miraculorũ Approbatio. Sufficit enim (hoc dato) vt Prælatus cognoscat Miraculi propositi a suo subdito falsitatem: ad hoc, vt illum coërceat. Et si contigit: vt, in processu, cognoscat eiusdem Miraculi veritatem; necesse non est: vt huiusmodi cognitio dicatur Approbatio. Tum, quia potiùs ad Approbationem est via, cùm Approbatio, causa cognita (quemadmodum in superioribus est dictum) expediri debeat, vnde sæpe vidimus, hac in re, illa Tridentini verba, ***Recognoscente, & approbante Episcopo***; tum maximè, quia (vt ex Scaccho iam obseruauimus) nihil ex ijs, quæ, vel Episcopis, vel Sedi Apostolicæ sunt reseruata, conceditur Prælatis Regularium; nisi fuerit id expressum in specie: & in hoc textu, luce clarius est; nihil prorsus exprimi de Miraculorum Approbatione: imò valde incertum est, ex dictis; Vtrum ille Prælatos Regularium comprehendat: qua in re, partem negatiuam, in prima Responsione, ipse sustinui.

Et,

Et, quæ, hoc toto Paragrapho, de Prælatis Augustinensibus, quos maximè veneror, & obseruo dicta sunt; eò tantùm tendunt vtriq; vt Approbatio Miraculorũ, de quibus discurrimus, constabiliatur magis: neutiquam autem ad eorum auctoritatem, ne pilum quidem (quod nec ad me spectat) imminuendam.

§. VIII.

Supponitur, ac probatur: ad approbanda Miracula omnia, de quibus loquimur, semper sufficientem fuisse, Feretrani Episcopi tacitam, & non iuridicam Approbationem.

90 SVpponendum est octauò: quòd, Ad approbanda Miracula omnia, atque singula, de quibus discurrimus, Miraculum, nempe, Lacrymarum, & Miracula cetera Liberationum; semper sufficiens fuit Episcopi Feretrani Approbatio tacita, & non iuridica.

Prima ratio Suppositi huius ea est.

Si enim de tempore loquamur, quod ipsum Tridentinum antecessit, & de Approbatione tantùm tacita; in Iure quidem non apparet: quòd, requireretur tunc, ad dictum finem Approbatio expressa. Sufficiebat ergo tacita. Quia tunc non sufficit Approbatio tacita, ad aliquid huiusmodi; quando expressa requiritur à Iure: vt elicitur ex ijs, quæ de consensu, qui (vt superiùs firmauimus) idem est, atque Approbatio; tradit Mascardus, conclus. 2. num. 9.

Imò, addo vlteriùs: quòd, etiamsi appareret in Iure, quod tunc requireretur, ad approbanda Miracula, Approbatio expressa; sufficiens tamen fuisset Approbatio tacita.

cita. Quandoquidem: Approbatio Miraculorum non est vtique de genere illarum Approbationum, quæ, ad perficiendum aliquid, requiruntur; qualis est Approbatio, qua, per Ordinarium approbatur Sacerdos aliquis, ad Confessiones audiendas (per illam enim (vt ait Layman, lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 1. vers. *Assertio secunda*) perficitur potestas Ordinis eiusdem Sacerdotis, ita vt, quæ, per se, in actum Confessiones audiendi, exire non poterat; per dictam Approbationẽ postea perfecta, in eundem actum exire bene possit) sed, est de Approbationum illarum genere, quæ approbatoriæ, siue confirmatoriæ dici solent alicuius actus, iam, secundùm suam speciem, completi, & perfecti: cuiusmodi esset Approbatio illa, exempli gratia, qua, pater approbaret, siue confirmaret venditionem factam à filio, qui nullius rei dominus, & sui iuris non sit: quæ venditio licet (Approbatione, & confirmatione istiusmodi seclusa) alienæ rei sit distractio; quin tamen sit completa, & perfecta, secundùm suam speciem, imò, & valida venditio, si tamen contingat, *in re immobili, item & in mobili, quando non sit furtum* (quòd in statim citandam legẽ, verb. *dubitatio*, habet Glossa) nisi quòd, *res vendita emptori potest auferri; nulla dubitatio est:* sicuti statuitur, in lege, *Rem alienam*, ff. De Contrahenda Emptione: quæ lex rationem suæ sanctionis etiam addit, per hæc verba; *Nam emptio est*, inquiens, *& venditio*: cuius rationis vis deinde apparet, per ea, quæ subiungit ibi allegata Glossa, dum dicit; *In venditione non teneor, nisi quandam asininam possessionem tradere, & me pro euictione obligare: & ita est ius in persona; quod possum etiam, in re aliena: vt infrà, De Actionibus empti, & venditi, lege, Ex empto*, §. 1. sic illa: quæ, cum ceteris, in eandem legem, *Rem alienam*, Commentaria Scribentibus, consulatur. Approbationem porrò Miraculorum, de hoc secundo gene-

re Approbationum, esse, inde ostenditur; quòd (quemadmodum superiùs, num. 28. animaduertimus) approbans Miracula nihil aliud facit, pręter illud; quod est comprobare, & complecti, tanquam sibi beneplacita, testationes, probationes, rationes, ac similia; quæ, Miracula fuisse patrata, euidenter demonstrant. Huiusmodi autem testationes, probationes, rationes, & eius generis alia, absque eo, quòd approbentur ab illo, cui de Iure id competit, esse perfecta, & completa, secundùm suam speciem, tam quidē est clarū; vt nulla prorsus indicatione indigeat.

At verò, doctrina Socini senioris est: qua, in consilio 80. num. 21. volumine 4. insigniter (vt ait Mascardus, conclus. 2. num. 9.) declarat; quòd Approbatio, à Iure requisita, vt sit expressa, tunc non sufficit, si tacita tantùm sit; quando pertinet, ad perficiendum aliquid. Verùm, si pertinet duntaxat, ad approbandum, & confirmandum, quod iam, secundùm suam speciem, est completum, & perfectum; etiamsi Ius requirat illam expressam; sola tamen tacita semper est satis. Atque hinc apertè concluditur intentum.

91 Si verò loquamur eodem de tempore quidem, de Appprobatione autem non iuridica, de illa, nempe, in qua (vt patet ex dictis iam suprà, num. 27.) licèt fortè sit expressa, Iuris tamen ordo non seruatur, non fuisse futuram hanc sufficientē, ante Tridentinum, ad approbanda prædicta Miracula, fateri sanè cogeremur; si appareret ex ipso Iure, quòd tunc temporis esset præscriptus Iuris ordo, in tali Approbatione seruandus, & ille substantialis: hoc est (iuxta Regulam, quam, num. 33. ex Bonacina retulimus) Iuris ordo ille, cum cuius præscriptione, siuè sanctione, fuisset Episcopis communicata potestas ab eodem Iure, approbandi Miracula. Tunc enim (tali Iuris ordine non seruato) nulla fuisset Approbatio; secundùm commu-

mu-

munẽ Doctorũ doctrinã: de qua, videndus eſt idẽ Bonac. De Legibus, diſp. 1. q. 1. puncto 7. §. 5. num. 14. & deinceps. Sed id, ex ipſo Iure, non apparet. Ergo, fateri non cogimur; Approbationem non iuridicam, ante Tridentinum, ſufficientem non fuiſſe, ad approbanda prædicta Miracula.

Probatur minor. Duo maximè ſunt, quæ videntur ſuadere, dictum Iuris ordinem apparere præſcriptum, ante Tridentinum.

Alterum eſt. Quia (quod iam aduertimus non ſemel) Honorius III. in capit. *Venerabili*, De Teſtibus, multis annis, ante Tridentinum, expreſsè præſcribit modum, formam, & ordinem ſeruandum, in Miraculis approbandis.

Alterum eſt. Quia, per idem tempus, ante Tridentinum, ſtylus, Approbandi iuridicè Miracula, in vſu erat (vt exemplis oſtenditur, quorum ſaltem vnum, ſuprà memoraui, me vidiſſe) & ſtylus dici ſolet, habere vim Legis.

92 Sed hæc duo non bene ſuadent idipſum.

Nam, quantùm ad primum. In capitulo, *Venerabili*, (vt alibi vidimus) fit ſermo tantùm de Approbandis Miraculis non Canonizatorum: quod ampliari, & extendi ad Miracula Canonizatorum nequaquam debet; præſertim, quòd ratio eadem vtrinque non currat, vt aduertimus, §. 6. num. 42.

Quantùm autem ad ſecundum. Licèt ſtylus dici ſoleat habere vim Legis, ex eo, quòd legitimè introductus, tanquam Lex quædam, ſeruetur; cùm tamen (ex Maſcardo, concluſione 1344. num. 1.) ſit re vera quidpiam facti; hoc eſt, cùm, in iudicijs, inter quæ, ponenda vtique eſt Approbatio iuridica, ſit ſtructura ipſa, ſiue tela, quam iudiciariam vocant; contexta quidem, & conſtructa, non ex præſcripto ſcripti Iuris alicuius, verùm, iuxta modum, & ordinem, quem homines, ad quos id ſpectat, communi-

ter sequuntur (quod ex ijs, quæ habet Socinus senior, consilio 36. num. 11. volumine 4. & alij, clarè admodum eruitur) necesse est: vt, & in instituente illum, & eodem in vtente, tũ instituendi, tũ vtẽdi facultatẽ supponat. Aliàs duceret ortum ex alienæ facultatis vsurpatione, quòd (ex Sancto Thoma, 2. 2. q. 60. a. 6. c.) iniustum est; & (vt de iudicio statuit Siluester, verbo, *Iudicium*, q. 4.) nullus prorsus esset, nihilque valeret. Vnde fit: vt, cùm stylus ab instituentis, atque vtentis facultate dependeat; stylus ille approbandi Miracula iuridicè, quem asseruimus, fuisse in vsu, ante Tridentinum, dici nequaquam possit, fuisse tunc aliquis Iuris ordo, vel forma; cum cuius præscriptione, fuerit Episcopis communicata facultas, approbandi Miracula. Implicat enim: aliquid dependere ab aliqua facultate mea, exempli gratia, tanquam à causa, tum suæ institutionis, tum sui vsus; & communicari mihi huiusmodi facultatem, cùm illud instituo, & cùm illo vtor. Nam, fieri neutiquam potest: vt ego instituam, aut vtar; nisi priùs instituendi, aut vtendi habeam facultatem. Siquidem, *Quod nondum est in rerum natura, non causat; secundùm vsum exteriorum rerum*. Id quod habet Sanctus Thomas, 3. p. q. 62. a. 6. c. Ac proindę, supposita potissimùm Regula, superiùs ex Bonacina relata, cuiúsque paulò antè meminimus; fit etiam: vt, nec dici possit idem stylus, eodem tempore, fuisse nonnullus Iuris ordo, vel forma substantialis, in Miraculis approbandis, obseruanda.

Et sic, remanet bene probata suprà posita minor.

93 Si tandem loquamur de tempore, post ipsum Tridentinum; quòd, hoc tempore, ad eadem approbanda Miracula, semper sufficiens fuerit Episcopi Feretrani Approbatio tacita, illud concludit, omissis cæteris; quod scripsimus, non multò antè: hanc, videlicet, Approbationem, de genere illarum esse; quæ, tanquam approbatoriæ & con-

& confirmatoriæ tantùm, approbandum ſupponunt, ſecundùm ſuam ſpeciem, iam completum, & perfectum. Nam, ibidem vidimus, ex Socino ſeniore, quando ea, quæ, ſecundùm ſuam ſpeciem, ſunt completa, & perfecta, debent approbari; etiamſi requiratur à Iure Approbatio expreſſa, tacitam attamen ſemper ſufficere.

Quòd autẽ, eodem tempore, ſemper ſufficiens fuerit ad idẽ Approbatio nõ iuridica; inde manifeſtè conſtat: quòd, licèt in Decreto, *De Inuocatione & Veneratione, & Reliquijs Sanctorum, & ſacris Imaginibus*, relato à nobis in §. 5. num. 32. præſcribat, ac tradat formam, deinceps, in Miraculis Approbandis, obſeruandam, ipſum Tridentinum; cùm tamen hæc forma (vt ibidem, num. 33. diximus ex Sanchez, & ex Bonacina) non ſubſtantialis quidem ſit, verùm accidentalis tantùm, ſequitur (quod intulimus eodem loco) hanc formam poſſe abeſſe à Miraculorum Approbatione, abſque eo, quòd Approbatio ipſa, tanquam nulla, & inualida, deficiat, ac ceſſet; cùm talis accidentium ſit natura. Et videri poteſt idem Bonacina, vbi ſuprà nimirum, De Legibus, diſput. 1. q. 1. puncto 7. §. 5. num. 18. & 19. Cùm, itaque, per hęc, dari poſſit, poſt Tridentinum, Approbatio Miraculorum valida, abſque eo, quòd in illa ſeruetur forma, in ipſo Tridentino præſcripta, quæ, (ex firmatis, §. 4. n. 30. & ſeq.) Approbationẽ eandẽ iuridicam reddit; hinc infertur optimè: quòd toto, poſt Tridentinũ, tempore, ad approbanda noſtra tria Miracula; ſemper ſufficiens fuit Epiſcopi Feretrani Approbatio non iuridica: hoc eſt, Approbatio, in qua, quanuis expreſſa eſſet, non autem tacita; forma tamen eiuſdem Tridentini non eſſet ſeruata: quantùm ad hoc, Tridentini Decreto iam citato nihil obſtante.

94 Secunda ratio Suppoſiti eiuſdem, quantùm tamen ad Approbationẽ tacitã ſolummodo; addi poteſt, in hunc modum.

Plurimi Sancti sunt, qui in tota Ecclesia coluntur, quos non canonizauit Summus Pontifex expresse, sed *ex Approbatione tacita* duntaxat; inquit Bellarminus, in Controuersijs, tomo 2. Controuersia 4. lib. 1. cap. 8. vers. *Dices*, & vers. *Respondeo* Et hi fortè sunt Sancti omnes; qui ante Leonem III. pro Sanctis colebantur. *Primus enim Pontifex*, addit ipse (*nisi fallor*) *qui Sanctos legatur canonizasse; videtur fuisse Leo Papa III.* Sed, quidpiam longè maius est Canonizatio Seruorum Dei, quàm Approbatio Miraculorum patratorum ab ijs; qui iam sint Canonizati. (Et ideo primum, vt affirmatum est non semel, ad solum Pontificem Romanum spectat; secundum verò ad Episcopos Ecclesiarum.) Ergo, si ad id, quod longè maius est, sufficit Approbatio tacita illius, ad quem spectat; dicendum est multò magis: ad id, quod est sanè minus; Approbationem tacitam, item illius, ad quem spectat, sufficientem esse. Maximè, cùm visum sit, quin, ad hoc ipsum, quod est minus, nimirum, ad Approbanda Miracula Canonizatorum, semper sufficiens fuerit Episcoporum Approbatio tacita; nihil prorsus obstet.

§. IX.

Supponitur, in Episcopo Feretrano, quædam semper debuisse concurrere; vt Approbatio tacita, super approbandis Miraculis, de quibus est sermo noster, fuerit sufficiens: illa verò ennumerantur, & explicantur; &, Supposito probato, concluditur tota Prima Sectio.

95 SVpponendum est tandem nonò: quòd, Ad hoc, vt, super approbandis huiusmosdi Miraculis, fuerit

tit semper sufficiens Feretrani Episcopi Approbatio tacita; simul in illo quædam semper debuerunt concurrere: quæ quidem (præterquam quòd congruunt ijs, quæ iam scripta sunt, §. 3.) videndum erit, etiam in Resolutione Quæstionis, quam hîc pertractamus; An concurrerint in eodem de facto, nécne. Illa proinde, in præsenti, enumeranda sunt.

Haurio igitur ex Iurisperitorum doctrina: quòd, ad hoc, vt Approbatio prædicta semper sufficiens fuerit, ad explicatum finem; tria semper concurrere debuerunt simul, & coniunctim in præfato Episcopo, quæ mox recensebo.

Primum est scientia: qua nouerit, ipse, prædicta Miracula verè fuisse patrata; &, illorum occasione, cultum à Pinnensibus tributum esse Deiparæ. De hac autem scientia sic requisita; cōsulendus est Mascardus, conclus. 1322. num. 31. cum Doctoribus, quos ibi citat.

Secundum est Taciturnitas, ac Tolerantia: qua, idem probè sciens, fuisse patrata Miracula, & occasione illorũ, à Pinnensibus tributum esse Deiparæ cultum; tamen tacuerit, circa huiusmodi, atque illa tolerauerit. Et de hac Taciturnitate, ac Tolerantia legi debet idem Mascardus, conclus. 417. num. 15. cum quamplurimis, ibi adductis.

Tertium est vnum ex his duobus: aut, nimirum, Diuturnitas temporis, aut Præsentia.

Diuturnitas quidem temporis dicitur, hac in re, spatium decem annorum: quo dictus Feretranus Episcopus memorata omnia sciens, circa eadem nihilominus tacuerit semper, ac semper pariter tolerauerit cuncta; quæ, per occasionem illorum, vnquam sunt gesta. De huiusmodi verò temporis diuturnitate, videantur, quæ idem habet Mascardus, conclus. 416. num. 4. & concl. 417. num. 2. & omnes ibi allegati ab eo.

96 Sed Præsentia, in hac eadem re, non intelligitur; nisi

nisi eiusdemmet Episcopi Feretrani: qua, nimirum, ille personaliter interuenies, aut ipsis Miraculis, cùm patrabantur, aut ijs, quæcunque, Miraculorum ex occcasione, Pinnenses hactenus præstiterunt, in Deiparæ, Sanctiue alterius venerationem, & cultum: & hæc omnia sciens, & suismet oculis insuper videns; quin, videns etiam, suismet oculis, eiusdem Virginis Deiparæ Sacram Imaginem, in qua Lacrymarum adhuc apparent vestigia, Tabulam quoque, vbi ab hostilibus armis Miraculosa Pinnensium bina Liberatio depicta manet; & Inscriptiones pretera legens, tum euentum Lacrymarum, tum euentus vtriusque Liberationis, perspicuis verbis, enunciantes; & obligatus ex officio, quęcunque circa huiusmodi videbat, legebat, aut quomodolibet sciebat, approbare, siue reprobare; attamen semper tacuerit, nihilque contradicendo, tolerauerit semper omnia. Ac de tali Præsentia, debet pariter adiri Mascardus, conclus. 1224. num. 1. & deinceps; & præsertim num. 49. & aduertendum; quòd illa sufficit, absque temporis, Diuturnitate.

Quoties igitur concurrerunt in Feretrano Episcopo, circa prædicta, simul, & coniunctim hæc tria: videlicet: primò, scientia: secundò, Taciturnitas, ac Tolerantia: & tertiò, debita temporis Diuturnitas, qua sciens, tacuerit, ac tolerauerit; siue, loco Diuturnitatis huiusmodi, personalis ipsius presentia, qua itidem sciens, & videns, pariter tacuerit, ac tolerauerit: toties Approbatio tacita eiusdē, ad approbanda nostra Miracula, semper fuit sufficiens.

97 Et ratio est: Quia, ex traditis per Doctores (vt apud Mascardnm, citatis locis, est videre) horum concursus efficit; vt, Approbationem tacitam prædictam interuenisse, circa eadem Miracula, præsumptione Iuris, præsumamus. At, Approbatio sic præsumpta; ad approbandum omne, quod debet, semper est sufficiens: tum, propter

alla-

allatas rationes, in §. præcedenti; tum, quia sic, dicitur probata, saltem donec probetur contrarium. Actus enim præsumptus à Iure, eo ipso probatus dicitur; quòd non probatur contrarium: vt, ex Glossa, verbo, *se perdidisse*, in legem, *Si creditor*, C. De Pignoratitia Actione, & ex alia Glossa, verbo, *senserit*, in legem, *In testamento*, C. de Testamento militis, aduertit Mascardus, conclus. 1227. num. 62. Vt probetur autem contrarium, hoc in casu; fieri prorsus, quemadmodum in similibus dictum est aliàs; multis quidem de causis, non potest.

Ceterùm: de ijs, quæ supponenda erant, ad hanc vnicam resoluendam Quæstionem; hucusque dictum sit. Restat itaque: vt, ad Resolutionem ipsam, per nonnullas, ac distinctas Responsiones, deinceps procedamus.

SECTIO SECVNDA.

Ponuntur Quæstionis Resolutiones.

EST autem Sectio tribus Paragraphis congesta: quorum Secundus, tum Partibus, tum Distinctionibus; tum Subdistinctionibus, tum etiam Membris coagmentatur.

§. I.
Ponitur prima Resolutio.

IGitur, ad Quæstionem
1 Respondetur primò. De Approbatione expressa omnis illius, quod in Factis, & Lacrymarũ, & Liberationis vtriusque Miraculum esse, dignoscitur; hoc est, de Approbatione illa, qua idipsũ ab Episcopo Feretrano sit approbatum, per actus aliquos externos; qui, vel fuerint iuridici, nimirũ, tales, vt in ipsis Iuris ordo sit seruatus, ac proin-

proinde, vt sint examinati testes, cum consilio Theologorum, ac virorum piorum sint consideratæ attestationes, ac probationes vniuersæ, earum conclusiones sint admissæ, & (si quæ alia ad eundem Iuris ordinem spectāt) cuncta peracta sint; vel fuerint non iuridici, hoc est, absque vllo Iuris ordine; nihil omnino expresse constat.

In hoc autem demonstrando, cùm sit clarissimum; nequaquam immorandum est.

§. II.

PARS PRIOR.

Ponitur secunda Resolutio; quæ & probatur.

2 REspondetur secundò. Dicendum prorsus est: Omne illud, quod, in prædictis Factis, Miraculum esse, apparet; ab Episcopo Feretrano, qui, ab eo tempore, quo Facta huiusmodi acciderunt, vsque ad præsentem diem, extitit successiuè; Approbatione, saltem tacita, esse approbatum.

Probatur hæc Responsio, per sequentem discursum.

Quandoquidem (ex ijs, quæ, vltimo Paragrapho primæ Sectionis, iam supposita sunt) Approbatione tacit, sanè præsumitur, atque intelligitur, approbatum aliquid ab eo, cui talis Approbatio competit ex officio; quando circa id, quod approbandum est, concurrerint in ipso simul, & coniunctim illa tria, quæ ibi recensuimus: nimirum: primò, Scientia: secundò, Taciturnitas, ac Tolerantia: tertiò demum, vel Diuturnitas temporis decem annorum, vel personalis Præsentia: cum quorũ alterutro, non obstante Scientia, proprióque Officio, per quæ poterat, ac debebat, si opus fuisset, contradicere, & impedire; tamen absque

absque vlla contradictione, nullóque illato impedimento, semper, circa idem approbandum, & tacuerit, & omnia tolerauerit. Sed verè sic est: quòd, in Episcopo, qui, iam tum ab ipso initio, cùm prædicta Facta contigerunt, ad hæc vsque tempora, successiuè tenuit Feretranam Cathedram; cuique omnis eius, quod in ijsdem Factis rationem habet Miraculi, semper (ex suppositis in 1. Sectione) cōpetiuit Approbatio; concurrerunt simul, & coniunctim, circa illud idem, istiusmodi tria: videlicet: primò, Scientia: secundò, Taciturnitas, ac tolerantia: tandem tertiò, Diuturnitas temporis decem annorum; imò, & personalis etiā Præsentia: cum quorum quidem vtroque, nihil contradicendo, nihilque impediendo, circa idipsum semper tacuit, & cuncta tolerauit; licèt, ex Scientia, & ex Officio proprio, posset, ac deberet (si fuisset opus) contradicere, & impedire. Ergo dicendum est omnino: quòd, Approbatione saltem tacita, illud idem est approbatum.

Demonstrari porrò debet veritas minoris. At, cùm particulatim, & exactè id fieri non possit, nisi pluribus; Paragraphus videtur omnino distinguendus.

DISTINCTIO PRIMA.

De Scientia.

3 IN primis igitur: quòd isthæc Approbatio, ipsi Episcopo, qui pro tempore sedit in Feretrana Cathedra, competiuerit semper; hoc est, & post ipsum Tridentinum, & ante illud; imò, nihil etiam obstante, quod Factum Lacrymarum, in Patrum Augustinensium contigerit Ecclesia; diffusè satis, in superioribus, firmatum est.

Quòd autem, in eodem Episcopo, semper concurrerit

pri-

primum ex recensitis tribus, videlicet, Scientia, qua probè semper nouerit, tum Facta ipsa singula, & illud omne, quod rationem in ipsis reperitur habere Miraculi, tum quicquid à Pinnensibus, illorum occasione, iam inde à principio etiam nunc, indesinenter gestum est; indicatur hoc modo.

Primò enim: circa istiusmodi singula Miraculosa Facta, Pinnæ Billorum, cucurrit semper (post quàm acciderunt) non fama quidem tantùm; sed pública vox inconcussa: quæ ex certis, ac fide dignissimis auctoribus, qui suismet oculis illa conspexerunt; exordium sumpsit: id quod, in Appendice Quæstionum Secundæ Partis, admodum solidè comprobauimus; vt puto. Si loquamur autem de fama propriè dicta, quæ (vt vidimus ibidem) cùm semper opinio sit, & ex suspicione dimanet, semper etiam dubiũ, & formidolosum habet assensum; de illa tamen, cum multis, quos citat (conclusione 1219 num. 2.) scribit Mascardus: quòd, ***Nemo præsumitur ignorare ea, de quibus est fama publica.*** Quòd quidem præsertim locum habet (eodem Mascardo, pariter cùm multis, ibidem, num. 15. Auctore) ***Si quis exercuerit iurisdictionem in aliquo loco, longo tempore:*** qualem Episcopus Feretranus pro tempore, continenter exercuit antehac, Pinnæ Billorum, tanquam in loco suæ Diœcesis; imò, & in quo, ab anno Christi 1572. cùm illuc auctoritate Romani Pontificis (vt alibi suprà tetigimus, & repetemus infrà pleniùs) Feretrana Cathedralis translata est; plerunque resedit, ac residet in præsentia. Qui nanque, sic in aliquo loco iurisdictionem exercuit; scire præsumitur (vt Doctor idem subdit) nedũ ea, de quibus publica vox, & fama currit ibi; sed illa etiam, de quibus publica vox, & fama, in locis currit vicinis. Multò magis igitur dicendum erit: neminem ignorare præsumi ea, de quibus currat, non vtique fama propriè dicta

dicta (quod minus est) sed vox illa publica, quæ sit incōcussa, & ex auctoribus certis, ac dignissimis fide, qui cuncta proprijs viderint oculis; fuerit exorta: maximè, si iurisdictionem exercuerit, eo in loco, diuturnam. Talem verò fuisse vocem publicam, quæ, Pinnæ Billorum, cucurrit assiduè, circa Miraculosa nostra Facta, talémque iurisdictionem exercuisse ibidem Feretranum Episcopum, qui hactenus fuit pro tempore; modò aiebam.

4 Deinde autem: quæcunque, Pinnæ Billorum, Factorum talium ex occasione, siue continuè, siue per singulos annos, ab ipsis diebus, quibus mirabiliter obtigerunt, sunt hactenus præstita; vt, nimirum, illud, Solemnitate celebrari anniuersaria, tum, in memoriam admirandæ vtriusque Liberationis, diem vigesimum tertium Februarij, cui Supplicatio quoque additur, quam Processionem vocant, tum, in prodigiosarum Lacrymarum recordationem, diem tertium Veneris, in Martium recurrentem, quem reddit magis Festum, & apparatus multus luminum, cantorum, & similium, & plurima populi frequentia, locis etiam de finitimis, vndique conuenientis, & amplissima demum peccatorum Indulgentia; vt illud item, in Cōcione sacra, quæ, memorato die Veneris, habetur, huiuscemodi Miraculorum decoram pariter, & gratam iugiter fieri mentionem; (quemadmodum sanè, de Miraculo speciatim accidisse Lacrymarum, in tertio Procemialium Paragrapho, retulimus, quod, vbi primùm est editum, de pulpito fuit prædicatum à Concionatore quotidie, qui, per eam Quadragesimam, ad populum Pinnensem concionabatur) vt illud insuper, in Sacello tam ornato, ac decenti, Sacram Dei Genitricis Imaginem, quæ Lacrymis manauit, in perpetuum obtectā, neque vnica sub claui obseratam asseruari; (nisi quòd, statis ferre quibusdā diebus, illísque Feriatis, aperitur, ac detegitur, Fideliúmque Pieta-

ti,

ti, ad breue tamen ſpatium, commonſtratur) vt illud, præter hæc, per Inſcriptiones, ac Picturas, nunquam non loquentes, vnumquenque legentem, atque aſpicientem, de Miraculis iiſdem, ſine vlla intermiſſione, commoneri; vt illud vlteriùs, hanc eandem Sanctiſſimam Imaginem habitam eſſe, omni tempore, tanquam ſingulare Præſidium, vnicúmque ſalutis Portum, quò preſſi calamitatibus, atque ærumnis, precibus effuſis, ac nuncupatis votis, à Chriſti Matre miſericorditer ſubleuandi, noſtrates maximè, cōfugiant; (quod quidem tabellæ, veſtes, & id genus alia votiua, præfato in Sacello, hinc inde appenſa, & innumera propemodum, apertiſſimè teſtantur) vt denique cetera eiuſdemmodi quamplurima, quæ (ne dicam de his longiùs, quàm par eſt) nunc prorſus omittenda puto; hæc vtique omnia publicè ſemper ſunt præſtita. Quæ autem publicè præſtantur, vel fiunt, ignorare, nequaquam ille præſumitur, qui illic exiſtit, ſiue reſidet; vbi, ſic præſtantur, vel fiunt. Ex capit. ***Cum in tua***, Qui Matrimonium accuſare poſſunt; ex Iaſone, in legem, ***Error***, num. 22. C. De Iuris, & Facti Ignorantia; ex Maſcardo, concluſione 879. num. 26. & 27. & ex alijs, quos hi Doctores citant. Epiſcopum Feretranum porrò, qui pro tempore fuit adhuc; iam à multis annis, Pinnæ Billorum reſediſſe, reſideréque, his diebus; paulò ſuprà dictum eſt.

5 Poſt hæc: Epiſcopus vnuſquiſque ſcire præſumitur ea; quæcunque fiunt, in ſua Diœceſi: vt idem aſſerit Maſcardus, concluſ. 416. num. 7.

Imò & de Miraculis, itémque de illis omnibus, quæ, occaſione Miraculorum, ſingulis in Diœceſibus, ac locis, fiunt, & antiquitus, ad hanc vſque tempeſtatem, facta eſſent: ſinguli Epiſcopi nunc ſanè tenentur, ac per elapſas tenebantur ætates; inquirere, atque inueſtigare, tāquam de re, ad proprium officium, ac miniſterium ſpectante:

etiamſi

etiamsi fama non praecesserit, nec praecessisset.

Et quidem, si sermo fiat de Miraculis: esse res illa pertinentes ad officium, ac ministerium Episcoporum, inde procul dubio patet; quod in superioribus firmatum est: Miraculorum, scilicet, Approbationem, non solùm competere in praesentia, post Concilium Tridentinum, sed etiam competiuisse, ante illud, ipsismet Episcopis.

Atque hinc patet: quòd, si sermo fiat, etiam de illis, quae, in Dioecesibus, ac locis, Miraculorum ex occasione, fiunt aliquando; sunt illa pariter, ad officium, ac ministerium Episcoporum, res omnino pertinentes. Certum est enim: tum, quòd sunt eadem quidpiam consequens Miracula (& hoc sanè probare, nihil est opus) tum, quòd, ***Cui conceditur officium, ac ministerium, circa nonnullum antecedens; eidem conceditur officium, ac ministerium, etiam circa consequens:*** maximè, cum eadem est, in vtrisque, ratio concedendi; qualem esse, his in rebus, innotescere facilè potest cuicunque discurrenti: de quo axiomate, consuli potest Euerardus, loco, ***A concessione antecedentis, ad concessionem consequentis***, num. 1. & 2.

Sed, quòd Episcopi teneantur, ac semper tenti sint, de ijs, quae ad proprium officium, ac ministerium pertinent, inquirere, atque inuestigare; decreuit Eutichianus Papa, in canone, ***Episcopus in Synodo***, 35. q. 6. Vbi vult proinde: vt Episcopus vnusquisque viros nonnullos idoneos deligat, in Synodo; qui iureiurando adstricti sint, ad ipsum referre, aut ad eius Vicarium, quem Missum vocat; quidquid nouerint, aut audierint, aut inquisituri sint, quod cōtra Dei voluntatem, & rectam (vt ait) Christianitatem, in Dioecesi factum sit: si sciant, aut illis fuerit indicatum, ***Synodalem causam esse, & ad ministerium Episcopi pertinere.***

6. Dixi autem, ***Etiamsi fama non praecesserit, neque praecessisset;*** ea ratione: quia inquisitio de Miraculis, ac de illis,

illis, quæ, occasione Miraculorum, fiunt; principaliter tendit, non quidem ad punitionem: sed, ad impediendas deceptiones, & mendacia cultus ipsius, qui Deo, vel Sanctis, ex falsa causa, tribueretur, & alia huius generis mala, in quæ Fideles incidere possent, cum animarum detrimento; nisi bene scirent Episcopi, quænam pro Miraculis habeantur, & quænam eorum fiant occasione; nisique remedia hisce rebus adhiberent opportuna. Verùm: ad malum impediendum, licitum est inquirere; etiamsi, de inquirendis, nullus præcesserit rumor, aut fama: vt habet Lessius, De Iust. lib. 2. cap. 29. dubit. 15. num. 121. & ante Lessium, fusè probauerat Nauarrus, Commentario, in Rubricam, De Iudicijs, num. 92.

Porrò autem (quod ad rem nostram facit) *Quando quis tenetur indagare factum alienum, ratione officij sui; tunc præsumitur, illud scire*, si desit: vt scribit Iason, in legem, *Si res obligata*, ff. De Legatis, 1. num. 41. Pro quo effato, videndus est etiam Abbas, tum alibi, tum maximè in capitulum, *Quamuis*, De Regulis Iuris, Mascardus, conclus. 879. num. 7. & ceteri multi, quos ibi, suo more, citat.

Atque, per hæc omnia, satis indicatum sit, in Episcopo Feretrano, qui fuit pro tempore, semper concurrisse primum ex recensitis tribus, nimirum, Scientiam; circa illa, de quibus agimus.

Quibus addi tandem nihilominus posset; quòd, eadem *Scientia arguitur ex Præsentia* quoque: vt firmat idem Mascardus, conclus. 1299. num. 22. Ceterùm, eiusdem Episcopi de Præsentia, respectu prædictorum omnium, ac singulorum, circa quæ, in eodem Episcopo, iam indicatum est, semper concurrisse Scientiam; plura dicendi, locus erit, in Distinctione sua propria, quæ quarta est.

DI-

DISTINCTIO SECVNDA.

De Taciturnitate, ac Tolerantia.

7 VErùm: quòd, in dicto Feretrano Episcopo, qui extitit pro tempore, quemadmodum, circa huiusmodi nostra Miracula, atque illa, quæ, occasione ipsorum, facta sunt adhuc à Pinnensibus, primum ex eisdem recensitis, hoc est, Scientia, semper concurrit, ita concurrerit etiam, & secundum, nempe, Taciturnitas, ac Tolerantia; profectò illud apertissimè declarat: quòd, euolutis, ac perlectis quamdiligentissimè, Pinnæ Billorum, Scripturis quamplurimis, tum antiquis, tum etiam recentibus; illis, nimirum, omnibus, in quibus eius, quod quærebatur, monimentum aliquod apparere, poterat suspicari; &, eâdem pariter diligentiâ, senioribus, qui nunc ibidem viuunt, non semel interrogatis; tandem repertum est: nihil prorsus de eo constare, quòd, vllo vnquam tempore, vllus ex Feretranis Episcopis, per actum aliquem, siue iuridicum, siue non iuridicum, prædictis omnibus, aut vllo ex ipsis, ad hos vsque dies; contradixerit.

8 Hoc tantùm est perspicuum: quòd, inter Feretranos Episcopos, Doctus Consaluus Durantus, cuius Opera citata sunt interdum, in superioribus, quíque, anno post Christum natum 1643. diem clausit extremum; Sodalitatis Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs Administros, qui Sacrosanctæ Imaginis, quæ portentosè lacrymata est, ex officio, curam agunt; in apparatu, pro solemni Festo Lacrymarum, tantam impensam facere, quantam iam cœperant; aliquando, bona quidem mente, prohibuit. Sed accipe, amice Lector, quid acciderit. Statim colicis doloribus atrociter vsque adeò correptus est; vt facti pœni-

tens, ad eandem Matris Gratiarum Imaginem, ſit coactus ipſe quoque, confugere. Retexit itaque protinus Decretum prohibens. Facultatem facit memoratis Adminiſtris, impendendi, ad ornatum Feſti, quidquid aſſolet, ac libet. Votum tandem vouet, ſi ſanitati priſtinæ reſtituatur; in honorem ipſius Matris Gratiarum, ſe Tabellam, in Sacello eius, appenſurum. Res mira! Dolores ceſſant actutum; & Epiſcopus omnino, ac perfectè conualeſcit. Quapropter: ad ſoluendum votum, breuì, Tabellam pingendam, atque appendendam curat; quæ nunc ibi manens, rei geſtæ firmum, & graue teſtimonium impertitur.

DISTINCTIO TERTIA.

De temporis Diuturnitate.

9 REſtat iam, ex recenſitis tribus, tertium tantummodo: quod alternatim, ſiue diſiunctiuè duplex eſt; vel, nimirum, Diuturnitas temporis decem annorum, de qua nunc; vel perſonalis Præſentia, vt eſt viſum; de qua in ſequentibus.

Quantùm autem ad primum: quòd concurrerit in eodem Feretrano Epiſcopo, vnà cum ceteris duobus, videlicet, cum Scientia, & cum Taciturnitate, vel Tolerantia, Diuturnitas etiam temporis decem annorum; tam quidem eſt clarum, quàm, vt nulla prorſus probatione indigeat. Interceſſerunt enim, nedum decem, ſed longè plures, quàm centum anni: cùm edita Miracula ſunt, & Lacrymarum, & vtriuſque Liberationis (vt obſeruauimus alibi) & cùm, reſpectu eorum, à Pinnenſibus agi ſunt cœpta, quæ ſæpe memorauimus.

DI-

DISTINCTIO QVARTA.

De Praesentia personali.

SEd quantùm ad secundum, nimirum, quantùm ad Praesentiam personalem: quòd illa quoque in eo concurrerit, si non in ordine ad ipsa Miracula, quando contigerunt, at saltem, in ordine ad illa, quae Miracula eadem sunt indesinenter consecuta; ex duobus euidenter hauritur. Quae, quoniam breui sermone concludi non possunt; per Subdistinctiones aliquot pertractabuntur.

SVBDISTINCTIO PRIMA.

De primo, vnde hauritur personalis Praesentia, de qua loquimur: & est actualis Residentia, qua Feretranus Episcopus, Pinnae Billorum, saepiùs resedit.

10 HViusmodi verò primum non potest quidem benè satis intelligi; nisi vnum supponatur: & illud est: quòd, cùm ex gratia, proprióque motu sanctae recordationis Pij Papae V. sui Pontificatus anno quinto, processisset; vt Ecclesia Feretrana, Sancti Leonis nuncupata, de Ciuitate Sancti Leonis eiusdem, Feretranae Dioecesis, ad Collegiatam Ecclesiam Sancti Bartholomaei, quae, tunc temporis, Pinnae Billorum eiusdem Dioecesis, extabat, iustis de causis illis, quae, Apostolicis in Litteris, infrà, partim exscribendis, declarantur, transferretur; cúmque dictus Pius V. praeuentus morte, memoratas Litteras de-

super conficere non potuisset; anno tandem Christi 1572. per Gregorium XIII. qui proximè successit; hæ confectæ, atque expeditæ sunt. Et illarum authenticum transumptum, in Archiuo Feretrani Capituli, Pinnæ Billorũ, nunc asseruatur; illas verò, typis impressas, refert Ferdinandus Vghellus, in sua Italia sacra, tomo 2. titulo, *Leopolitani, seu Feretrani Episcopi*.

Verùm nos (vt id obiter hîc notem) qui ceteróquin vocantur ab omnibus, & vbique, frequentissimè quidem, *Feretrani*, tantummodo, aliquando autem, *Sancti Leonis*, etiam; appellatione noua (vt videri potest multis) *Leopolitanos*, insuper appellat, vt patet: nec sanè immeritò. Primò enim: in Vaticanis Registris, huiusmodi quoque nũcupatio, præter alias, reperitur; tametsi fortè semel. Nam ibi (quod ego ab ijs, qui proprijs viderunt oculis, accepi) Robertus Adimarius nobilis Florentinus, qui, circa annum Christi 1459. à Volaterrana ad Feretranam Ecclesiam est translatus, *Episcopus Leopolitanus*, inscribitur; & non absque fundamento. Dicere nanque, *Leopolitanum*, ac, *Ciuitatis Sancti Leonis*, idem sunt: cùm hanc Ciuitatem, semigræco vocabulo, quidam Leopolim nominarint; quod Ciuitatem Sancti Leonis Latinè sonat. Secundò verò (& hoc mihi, per litteras à me consultus, idem significauit harum rerum peritissimus Vghellus) *Leopolitanos* ipse voluit eosdẽ Episcopos appellare; ne, in ijs denotãdis, nuncupatione illa vteretur, *Sancti Leonis*, quali vtebantur item Episcopi Sancti Leonis, in Calabria; quorum Episcopatus postremùm à Pio V. suppressus est, & Archiepiscopatui Sanctæ Seuerinæ vnitus: & prudenter profectò. Nam sic, & alteros distinxit ab alteris; & omnem amphibologiam ablegauit.

Sed ad rem nostram reuertamur.

11 Per dictam autem Ecclesiæ Feretranæ translationem

nem (præter multa, quæ hîc referre non est opus, & in dictis Litteris videnda sanè sunt, si videre illa, placeat alicui) præcipuè factum est: *Vt* (& loquar earundem Litterarum ipsis verbis) *deinceps liceret, pro tempore existenti, Episcopo Feretrano, & ipsius Ecclesiæ Sancti Leonis Præposito, & Canonicis, in dicta Ecclesia Sancti Bartholomæi, residere, & diuina Officia, inibi, vnà cum illius Canonicis, decantare: vtque, dictæ Sancti Leonis, & Sancti Bartholomæi Ecclesiæ, non ampliùs duæ, Cathedralis, scilicet, & Collegiata, Ecclesiæ nuncuparentur; sed vna tantùm Ecclesia Cathedralis existeret, nuncuparetur & reputaretur: & Ecclesiarum earundem Canonici vnum Corpus efficerent, & Canonici Sancti Bartholomæi huiusmodi, fructus suos percipientes, Canonici Cathedralis Ecclesiæ nuncuparentur, & nuncupari, priuilegijsque, honoribus, exemptionibus, libertatibus, necnon fauoribus, gratijs, & indultis, quibus Canonici aliarum Cathedralium, eatenus vti, frui, potiri, & gaudere, liberè, & licitè, pariformiter, & absque vlla penitus differentia, possent:* útque, *tam Sancti Leonis, quàm Sancti Bartholomæi Ecclesiarum Canonici præfati, vnum duntaxat Capitulum insimul facerent:* vtque, *de cetero, eadem Ecclesia Sancti Bartholomæi, non ampliùs Collegiata vocaretur; sed Cathedralis Ecclesia Sancti Leonis existeret*, &c.

Supposito igitur: quòd dicto anno 1572. fuerint confectæ, atque expeditæ tales Litteræ translationis Ecclesiæ Feretranæ, quibus dispositum pariter est, (vti modò videbamus) vt Feretrano Episcopo, qui pro tempore esset, residere deinceps liceret, apud Collegiatam Sancti Bartholomæi Ecclesiam, Pinnæ Billorum, sitam, quæ non ampliùs Collegiata Sancti Bartholomæi Ecclesia vocaretur, sed existeret re vera Cathedralis Ecclesia Sancti Leonis; bene vtique intelligitur: illud meritò contigisse; vt, post

eandem annum 1572. Feretranus, qui pro tempore fuit, Episcopus, Pinnæ Billorum, plerunque (quod, num. quoque 3. iam hîc innuimus) hucusque resederit. Resedit enim ibi, tanquam in sua debita Residentia; hoc est, tãquam apud suam legitimam Cathedralem.

12 Atq; istiusmodi Feretrani eiusdem Episcopi actualis Residentia, qua (vt præmissum est) Pinnæ Billorum, sæpius resedit; est primum ex illis duobus (quemadmodum, etiam in titulo tetigi Subdistinctionis huius) vnde, paulò suprà dicebam, euidenter hauriri dicti Episcopi personalem Præsentiam, in ordine ad illa; de quibus nunc sermonem habemus.

Residens enim actu, & personaliter is Pinnæ Billorum; non poterat actu pariter, & personaliter præsens, quotannis, multis eorum non interesse; ac multa eorum, suismet sensibus non percipere. Cuiusmodi sunt, anniuersaria Festa, quæ, tum, vigesimo tertio die Februarij, ob admirandas Liberationes, tum, die tertio Veneris Martij, ob Lacrymas portentosas, celebrabantur; anniuersariæ similiter Supplicationes, quæ publicè habebantur, præfato die vigesimo tertio Februarij; sonitus campanarum, ad harum Solemnitatum indicium, diu, ac per dies multos pulsatarum; ac cetera talia, quæ recensuimus alibi.

Quibus rebus congruenter: memini ego, me vidisse, ipso die Festo Lacrymarum, non semel, Episcopum Durantum, quem superiùs memoraui; Pontificia cum pompa, actibus duobus interesse: hoc est: Rei diuinæ, solemni ritu, in Sacello celebratæ, vbi Lacrymarum earundem, cum Sacrosancta Imagine, colitur memoria; & concioni simul, in qua (vt dictum est aliàs) de Miraculis huiusmodi omnibus, commoneri populus consueuit.

Id quod, singulis annis, factum esse hactenus, etiam ab Illustrissimo, ac Reuerendiss. D. D. Bernardino Scala, iam

tum

tum ab anno, post Virginis partum, 1643. cùm Ecclesiæ Feretranæ, quam adhuc omni cum Vigilantia moderatur, ab Vrbano VIII. præfectus est; Pinnæ Billorum, & in finitimis quoque locis, ferè nemo reperitur, qui nesciat.

SVBDISTINCTIO SECVNDA.

De secundo, vnde Præsentia personalis eadem hauritur; quod est Visitatio.

SEcundùm verò ex ijsdem duobus iam propositis, ad personalem Præsentiam, de qua loquimur, hauriendam; procul dubio Visitatio est. Sed, ad institutum, de illa disceptans, noua rursum vti partitione, compellor; quæ erit in Membra.

MEMBRVM PRIMVM.

Asseritur, ac probatur: Episcopum Feretranum, qui fuit pro tempore, semper ab immemorabili, potuisse, ac debuiße, de Iure communi, visitare, Pinnæ Billorum, B. Mariæ Nouissimæ de Gratijs ipsum Sacellum; etiam, post quàm Ecclesia, vbi extat, euasit exempta. Et probationem in eo sitam esse, monstratur; quòd hanc eandem Ecclesiam idem Episcopus, ab eodem tempore, semper potuit, ac debuit visitare. Id quod duabus rationibus firmatur.

13 DE huiusmodi ergo Visitatione verba faciens, certum illud esse, in primis affirmo: quòd, Epi-

ſcopus, qui hucuſque Feretranam ſucceſſiuè gubernauit Eccleſiam, de Iure communi, ſemper potuit, ac debuit, Pinnæ Billorum, viſitare Sacellum Beatæ Mariæ Nouiſſimæ de Gratijs, vbi Miraculum Lacrymarum patratum eſt, non ſolùm ab ipſo die, quo Miraculum idem euenit; ſed, ab ipſo initio præterea, quo, Sacellum huiuſmodi fundatum fuit, quod ſanè tempus eſt antiquiſſimum (ex dictis alibi) niſi ſit immemorabile: atque hoc, etiamſi tale Sacellum, in Eccleſia Sancti Chriſtophori, ſemper extiterit; quæ, à quamplurimis annis, Patrum Auguſtinenſium eſt.

Et ratio eius, quod certum eſſe, ſic aſſirmo; non eſt quidem illa, quia Sacellum hoc Sodalitatis cuiuſdam ſit; vel (vt clariore vtar termino) cuiuſdam Confraternitatis: verùm quia, in dicta Eccleſia Sancti Chriſtophori, ſemper extitit, quæ, ab immemorabili prorſus tempore, Parœcialis fuit, habens populum, Feretrano Epiſcopo ſubiectum; & quæ, quanquam, à quamplurimis annis, Patrum eſt Auguſtinenſium; illis tamen, anno Chriſti 1391. (quod patet ex authentico Inſtrumento, Pinnæ Billorum, in Archiuo Conuentus eorundem Patrum, aſſeruato) conceſſa fuit à Feretrano Epiſcopo, nomine Benedicto; qui tunc temporis, in Flaminia (quam Romandiolam vocant) pro Bonifacio Papa IX. Theſaurarius, &, in ſpiritualibus, Vicarius erat conſtitutus.

14 Nam, ſi ſermo ſit de ratione, quã excludo: licèt Cõfraternitates, etiam in Eccleſijs Regularium erectæ, ſubſint Ordinarijs locorum regulariter; hoc eſt, ſi populus, vnde congregantur, ijſdem ſit ſubiectus; ac proinde, ab huiuſmodi Ordinarijs viſitari poſſint; hoc tamen intelligitur, vt poſſint viſitari ab ijs, quantùm ad duo duntaxat: quãtùm, ſcilicet, ad ipſarum Confraternitatum, & bonorum temporalium adminiſtrationem; & quantùm etiam ad ſpirituales actiones; cuiuſmodi ſunt Confeſſiones, Communiones,

nes, Missæ, sepulturæ, habitus, modus procedendi in publicis Processionibus, modus orandi, & psallendi, obseruatio Constitutionum, & similia: non autem quantùm ad Capellas, & Altaria; nisi fortè aliquid, in his, ad simplicem Confraternitatum, & non ipsorum Regularium administrationem pertineat. Qua de re, videndus est Piasecius, in Praxi Episcopali, parte 2. cap. 3. num. 36. in principio; Barbosa, De Officio, & Potestate Episcopi, p. 2. allegat. 75. num. 13. idem, Iuris Ecclesiastici lib. 1. cap. 14. num. 30. vers. *Item potest;* Antonius Ricciullus, Lucubrationũ Ecclesiasticarum lib. 4. cap. 15. num. 3. & alij, quos hi Scriptores citant. Ex quibus patet: quòd ex eo, quia Sacellum præfatum cuiusdam Confraternitatis est; non bene concluditur: ipsum semper potuisse ab Episcopo Feretrano visitari. Præterquam quòd: in Procemialibus, §. 3. num. 11. relatum est; huiusmodi Confraternitatem, occasione Miraculi Lacrymarum, erectam esse: hoc est, circa annum Christi 1489. Sacellum verò extabat longè ante: cùm eius Altare consecratum sit, anno 1222. vt, 1. Parte Dissertationis, Quæst. 1. Sect. 1. §. 5. in Digressione, solidè obseruauimus. Vnde, per illud tempus, quo, Confraternitas nondum erat erecta; Sacellum esse Confraternitatis, ratio esse nequaquam poterat; propter quam Sacellum idem ab Episcopo Feretrano, in Ecclesia Patrum Augustinensium, posset visitari.

15 Si autem sermo sit de ratione, quam includo, & admitto: sanè optimè infertur: quòd, Ex eo, quia Sacellum huiusmodi, in Ecclesia Sancti Christophori, semper extitit, quæ, ab immemorabili tempore, Parœcialis fuit, populum habens, Episcopo Feretrano subiectum, & quæ, tametsi ab anno 1391. Patrum est Augustinensium, illis tamen, tunc ab eodem Episcopo Feretrano fuit concessa; semper, de Iure communi, ab ipsomet Episcopo Sacellum tale potuit, ac debuit visitari. Quan-

Quandoquidem (vt omittamus totum tempus, quod anteceßit prædictum annum 1391. per quod, nullum est dubium, quin, cùm Ecclesia Sancti Christophori commemorata, nullo modo, esset exempta, sed omnimodè Feretrano ipsi Episcopo subiecta, ab eodem posset, ac deberet illa visitari) potuit, ac debuit eadem visitari quidem certè ab eodem Feretrano, de Iure communi, semper, etiam post præfatum annum.

Primò quidem, Quia Ecclesia isthæc, etiam post præfatum annum, cùm Parœcialis, habens populum, Episcopo Feretrano subiectum, semper fuerit, quod est clarum; semper quoque (licèt aliquo modo exempta) Parœcialis eiusdem Episcopi, de Iure communi, fuit. Vnde, tanquam in tali, semper potuit, ac debuit idem Episcopus, de Iure communi, cuncta, ratione populi sibi subiecti, in ea facere; quæcunque, in alia quauis Ecclesia sua, ratione populi sibi subiecti, vllo vnquam tempore, de Iure communi, facere potuit, ac debuit. Qua de re, videndus est Innocentius, loco citato alibi suprà, nimirum, in capitulum 1. De Statu Monachorum, num. 3. Et, cùm idem Episcopus, in alijs huiusmodi suis Ecclesijs, potuerit semper, ac debuerit, singulis annis, de Iure communi, Visitationem exercere; (per ea, quæ statuuntur, in can. *Episcopum*, 10. q. 1. vbi (ex Concilio Toletano 4. can. 35.) sic dicitur, *Episcopum per cunctas Diœceses, Parochiasque suas, per singulos annos, ire oportet, vt exquirat*, &c. omißis alijs textibus, quos indicant alij, maximè Azorius, p. 2. lib. 3. cap. 41. q. quinta) &, ratione populi, quantùm saltem ad Sacramenta, illi ministranda, & quantùm ad curam animarum, circa illum gerendam, hæc Visitatio versari, semper debuerit; (hæc enim duo sunt, quæ ratione populi, ad Parœcialem spectant Ecclesiam, ita vt illius Rector teneatur populo Sacramenta ministrare, &, præter

hoc,

hoc, illius animarum gerere curam, in quibusdam alijs etiam, cuiusmodi sunt, Sacrificium offerre, Verbum diuinum prædicare, Catechismum, siue Doctrinam Christianam tradere, bonorum operum exemplo pascere, pauperum, aliarúmque miserabilium personarum indigentijs occurrere, ac similia, quæ Concilium Tridentinum, sess. 23. De Reformatione, cap. 1. recenset, de quibúsque, Ioannes Baptista Bernardinus Posseuinus, in suo libro, De Officio Curati, luculenter agit) sanè cõcluditur ex his perquam-dilucidè: quòd, idem Episcopus, quantùm saltem ad hæc explicata duo, dictam Ecclesiam, etiam post prædictum annum, de Iure communi, semper potuit, ac debuit visitare.

16 Secundò autem: quia (dato, quòd vnusquisque Episcopus possit, etiam sine auctoritate Papæ, Ecclesiam aliquam Parœcialem, ac Sæcularem, sibi subditam, de consensu Capituli sui, Regularem facere, atque in Monasterium dedicare, ex ijs, quæ decernuntur, in canone, *Si Episcopus*, 12. q. 2. qui desumptus est ex Consilio Toletano 3. can. 4. in quémque legendus est Cardinalis à Turre cremata, quíque demum seruatus est ad vnguem, cùm præmemoratus Benedictus Feretranus Episc. præmemoratam S. Christophori Parœcialem exemit, & Patribus Augustinensibus concessit, quod patet ex iam citato Instrumento) huiusmodi tamen exemptio, & concessio semper intelligitur, saluo Episcopali iure: vt habet Layman, lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8. num. 30. Atque ita: ex eodem, ibidem, ab Episcopo, qui sic exemit, & concessit, semper, de Iure communi, potest, ac debet illa visitari. Quin (vt ait Glossa, in notabilibus post casum, in capit. *Cum venerabilis*, De Censibus, quam recipit Abbas, in capit. *Pastoralis*, De Donationibus, & Barbosa, Iuris Ecclesiastici lib. 1. cap. 11. §. 9. num. 229.) *Quantumcunque Episcopus*

pus

pus eximat Ecclesiam, & quibuscunque verbis; nihilominus sibi retinet Visitationem. Per quæ, iterum concluditur apertissimè, quod prædictus Feretranus, de Iure communi, Ecclesiam hanc, quam ipsemet Augustinensibus Patribus concessit; post prædictum annum, quo illam concessit, potuit semper, ac debuit eandem visitare.

MEMBRVM SECVNDVM.

Proponitur quædam Controuersia, siue quoddam Dubium, quod ab anno 1474. circa Visitationem, præsertim Ecclesiæ memoratæ Sancti Christophori; fortè natum est: atque indicatur, quo tunc modo potuisset illud resolui.

17 QVædam fortè, ab anno 1474. circa Visitationem istiusmodi, est exorta Controuersia; per occasionem Bullæ Sixti IV. quæ, sub Maris magni forma, eodem anno, pro Patribus Augustinensibus ijsdem, emanauit; quámque totam, & extensam (in sua Collectione Priuilegiorum Apostolicorum Regularibus concessorum, tomo 1. in ordine Bullarum eiusdem Sixti, Bullâ 34.) refert Emanuel Rodriquez. Ibi enim, num 48. sic loquitur Summus Pontifex. *Ceterùm, ne (si ratione Parochialium Ecclesiarum, apud quas, domus Fratrum constructa fuere, aut construentur in posterum, locorum Ordinary in eosdem Fratres, aliquam superioritatem vendicare, tentarent Fratrum eorundem quies, in aliquo, perturbaretur; concedimus ipsis Fratribus; vt sic concessis, & quibus, eis concedi contigerit curatis Ecclesijs; possint per Capellanum, per eos, pro eorum nutu, ponendum, & amouendum, curam huiusmodi exercere: qui, quandiu capel-*

pellanatus huiusmodi fungentur officio, ac si dicti Ordinis Eremitarum existeret professor, dictorum Fratrum Eremitarum libertate, & exemptione fruatur. Vbi manifestissime apparet: velle Sixtum IV. ratione Parochialiũ Ecclesiarum, à Fratribus Ordinis Eremitarum Sancti Augustini possessarum, locorum Ordinarios nullam vindicare sibi posse superioritatem, nedum in ipsos Fratres, verùm, neque in Capellanos, in dictis Ecclesijs, ad animarum curam exercendam, ab ijsdem constitutos. Vnde, facilè nasci Dubium poterat, *Num, dicti locorum Ordinarij dictas Ecclesias, etiam, quod attinet ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem; tunc temporis possent visitare.*

18 Sed, ego ipse in primis opinor: tale Dubium facilè pariter, eodem tempore, solui potuisse, pro affirmatiua parte.

Primò sanè: quia, si, per tale priuilegium, exercentes animarum curam, in Augustinensium Ecclesijs, tunc fuissent exempti ab Ordinariorũ superioritate, etiam quantùm ad illa, quæ ad Sacramentorum administrationem, & eandem animarum curam pertinent; procul dubio, priuilegiati vsi fuissent priuilegio, contra pariter priuilegiatos. Certum enim est: homines quoscunque, in Parœcia quacunque habitantes; quantùm ad animam, priuilegiatos esse. Nam, animam causam piam esse, bonos, ostendit Diana, per textus, & Doctores, parte 7. tract. 6. resol. 29. prope finem: & causam piam priuilegiatam esse, tum ex multis, tum ex tractatu Tiraquelli patet; quem, De Priuilegijs causæ piæ, pereleganter composuit. Imò (si loqui de anima specialiter velimus) priuilegium vnum illius est, de quo, in canone, *Præcipimus*, 12. q. 1. in cap. *Cum infirmitas*, De Pœnitentijs, & Remissionibus, & in lege, *Sancimus*, C. de Sacrosanctis Ecclesijs; vt illa, tanquam rerum omnium pretiosissima (cùm de illius agitur salute,

quam

Layman, lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 5. vers. *Dixi*, cum alijs, quos citat. Et, ex eodem motiuo, quia, nempe, concessum, intuitu Religionis, est; deducitur, fauere illud Communitati: quia, Religio, de qua hîc est sermo; non sumitur pro virtute, quæ dicitur etiā Latria: sed pro Vniuersitate, vel Collegio diuersorum hominum, qui Deum colant. Consulatur Siluester, verbo, Religio, 1. in principio. Demum verò: cùm vtitur eo priuilegio quispiam, quin, actu ipsum tunc concurrat; non est dubium.

Priuilegium, contrà, degentium in Parœcijs, in causa pia fundari; patet ex eo, quod paulò antè dicebamus: respicere, nimirum, illud animam; quam, itidem ostendebamus, causam piam esse. Verùm, fauere idipsum Communitati, tam clarum est; quàm est pariter clarum, homines degentes, vel dicas, habitantes, in Parœcijs, constituere Communitates, vt minimum, illas; quæ dicuntur Vici: de quibúsque legendus est Sāctus Thomas, cum Aristotele, 1. Politicorū, lectione prima, vt alibi suprà dixi. Sed, idem priuilegium tandem vrgere actu prorsus oportet; si quis, ex alio priuilegio, contra ipsum agat.

20 Atque ex his est palam, & priuilegiorum, & priuilegiatorum paritas; de quibus nunc agimus.

Sic ergo se rebus habentibus: ne tunc temporis, per vsum priuilegij, contra priuilegium, contra Leges, & Doctores fieret, & cum præiudicio animarum; puto: dictum priuilegium dictis Curatis, in Parœcialibus Augustinensium Ecclesijs, concessum; debuisse, pariter tunc, reduci ad Ius commune: sed ita, vt aliquid etiam operaretur: nimirum, debuisse intelligi, vt Ordinarij locorum nullam haberent superioritatem, in huiusmodi Curatos, in ceteris omnibus; quæ non spectassent ad Sacramentorum administrationē, & ad animarū curā: Quo modo, & priuilegium ipsum non fuisset frustraneūm; & per ipsum, nihil factum

fuisset,

tationem: at seruata semper verborum proprietate. Quod, eodem etiam §. cum Doctoribus conclusimus. Porrò autem: priuilegium, de quo loquimur, à Sixto IV. in suo Mari magno, in fauorem Augustinensium, concessum; est priuilegium, contra Ius commune. Adimit enim Ordinarijs locorum iurisdictionem, quæ illis, de Iure communi, competebat; vt est clarum. Quamuis igitur, latam interpretationem admittat; hæc fieri semper debet, (ex dictis,) verborum proprietatate seruata. At verò: nullū ibi apparet verbum, quod propriè, siue proprietate naturali, siue proprietate ciuili (quibus de ꝓprietatibus, erit clarior infrà sermo) significet; locorū Ordinarijs adimi ius, visitandi Parochiales Ecclesias, ab Augustinensibus possessas, &, quantùm ad curam animarum, Sacramentorúmque administrationem, ad Ordinarios eosdem pertinētes, vt ex ipsius lectione manifestè patet. Ergo, quacunque lata interpretatione, dicto tempore, fuissent homines illud priuilegium interpretati; nunquam dicere potuissent, fuisse tunc, per ipsum, Ordinarijs locorum ademptum ius, visitandi prædictas Ecclesias: at solùm, fuisse ademptum ius, & superioritatem ijsdem, in præfatos Curatos; iuxta modum, quem, priore ratione, declarauimus.

Atque hæc de prædictis Dubio, & Controuersia, in primis (vt aiebam) sentio ipse; per illa tempora, quando poterant exoriri; potuisse dici.



MEMBRVM TERTIVM.

Ostenditur, idem Dubium fuisse tandem definitum, in Concilio Lateranensi, sub Leone X. ac postremùm, in Concilio Tridentino.

22 ATtamen (quidquid de illo Dubio tunc fuisset) illud vtique addendum est præterea: quòd, Anno 1516. in sessione 11. Concilij Lateranensis, sub Iulio II. & Leone X. celebrati, Constitutio edita est ab eodem Leone, quæ habetur, tum ibi (vt est videre in volumine 5. Conciliorum) tum in tomo 1. Bullarij, in ordine Bullarum eiusdem Leonis, num. 22. tum apud Piasecium, in Praxi Episcopali, parte 2. cap. 3. num. 40. vbi omne dubium, omnísque controuersia istiusmodi tollitur; sic decernendo. *Ad conseruandam igitur, inter Episcopos, &* (Fratrum Mendicantium) *Superiores, ac Prelatos, & Fratres huiusmodi, mutuam Charitatem, & beneuolentiam, &c. Sacro approbante Concilio, statuimus, & ordinamus: quòd Episcopi, & eorum Superiores, & alij Prælati præfati Parochiales Ecclesias, ad eosdem Fratres, ratione locorum suorum, legitimè spectantes, quò ad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum conseruationem, administrationemque pertinent (sine tamen visitatorum insolito grauamine, vel impensa) visitarè, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, si Religiosi fuerint, iuxta ipsius Ordinis regularia instituta, intra septa regularis loci, sæculares verò Presbyteros, & Fratres, huiusmodi Beneficia obtinentes, liberè, tanquam suæ iurisdictioni subiectos, punire, &c. debeant.*

23 Id quod postremò decretum est etiam, in Concilio

lio Tridentino: tum, sess. 7. De Reformatione, cap.7. per verba, ibi videnda; tum maximè, sess. 25. De Regular. & Monialibus, cap. 11. per sequentia. *In Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ, tam regulares, quàm sæculares, huiusmodi curam exercentes, subsint immediatè, in ijs, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi, sunt sita.* Vbi adduntur etiam alia quædam, & nonnullæ insuper exceptiones, quæ nihil ad rem præsentem vtique faciunt; & ideo non referuntur.

MEMBRVM QVARTVM.

Summatim colliguntur, quæ dicta sunt, à principio Membri primi, vsque adhuc, ad Assertionem inferendam; quæ de Visitatione Sacelli Sanctæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs, in ordine ad Feretranum Episcopum, in eodem principio, posita est: atque hoc idcirco; quòd, vt isthæc Assertio relinquatur bene probata; talis illationis, quæ hic etiam repetitur; reddenda est ratio.

24 SI paucis ergo restringenda sunt, quæ, iam ab initio primi Membri, fusè diximus hactenus; illa sunt hęc: nimirum: quòd, à sæpe memorato Anno 1391. quo, Ecclesia Parœcialis Sancti Christophori, de qua verba facimus, Patribus Augustinensibus, per Feretranum Episcopum, concessa est, semper, quantùm ad Sacramentorum administrationem, & ad reliqua, quæ pertinent ad

animarum curam; ab eodem Episcopo Feretrano illa potuit, ac debuit visitari: partim quidem, hoc est, ab eodem Anno, vsque ad Annum 1474. de Iure communi antiquo, absque vllo dubio; partim verò, hoc est, ab Anno dicto 1474. vsque ad Annum 1516. de eodem Iure communi antiquo, sed, non obstante dubio, controuersiáue, per occasionem priuilegij, quod est concessum in contrarium, exorta, satis probabiliter; partim tandem, hoc est, ab eodem Anno 1516. & deinceps, tum de dicto Iure communi antiquo, tum de Iure nouo Constitutionis Leonis X. ac Decreti Concilij Tridentini; sine vllo dubio, ac sine vlla prorsus controuersia.

25 Atque hinc optimè infertur, vt aiebam suprà: quòd, ab eodem Anno 1391. ac deinceps (de tempore nanque antecedenti nullum est dubium) Sacellum Beatæ Mariæ Nouissimæ de Gratijs, quod, in eadem Parœciali Sancti Christophori, semper extitit; semper pariter, explicato de Iure, explicatáque cum certitudine, siue probabilitate; potuit, ac debuit ab eodem Episcopo visitari. Sed, illationis ratio, sequenti Membro, declarabitur.

MEMBRVM QVINTVM.

Ratio ponitur iam factæ illationis.

26 HVius igitur illationis ratio ea est: quòd, hoc Sacellum duo præcipuè continet: nimirum: Altare, quod alterum est; & Sacras Imagines, cum suis Inscriptionibus, quod est alterū. *Ex cōmuni enim vsu loquendi, Capella*, seu Sacellum (inquit Barbosa, Iuris Ecclesiastici lib.2.cap.8.num.18.) *pro loco, in Ecclesia, accipitur, cum Altari*. Et quoniam, super Altari Sacelli, vsus obtinuit, vt collocetur aliqua Sacra Imago, siue picta, siue scul-

ſculpta, Sancti, vel Sanctæ potiſſimùm, cui Sacellum dicatum eſt, quæ illi parieti hærere, vt plurimum, ſolet (niſi ei ſit appicta) cui ſolet ipſum etiam hærere Altare; quin, idem obtinuit vſus, vt ſimiles Imagines, hinc inde, Sacelli quoque lateribus, & intus, & foris apponantur; ſiue ad ornatum, ſiue ad Fidelium Pietatē ampliùs excitandam; vtque his omnibus inſcribantur demum quædam; (quibus de rebus, vidēdus eſt Gulielmus Durādus, in Rationali Diuinorum Officiorū, lib. 1. cap. 3. à num. 5. ad 23. Ioannes Stephanus Durantus, De Ritibus Eccleſiæ Catholicæ, lib. 1. cap. 5. Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, parte 1. libro, ſiue Concilio Prouinciali 4. titulo, De Eccleſiarum Fabrica, Gauantus, in Theſauro Sacrorum Rituum, tomo 1. parte 1. tit. 20. verſ. *Quæritur præterea*, Felicianus Comenſis Epiſcopus, in Manuali Viſitatorum, libro 2. tit. 2. verſ. *An in Eccleſia*, & ceteri, qui de huiuſmodi ſcribunt;) hinc apparet: Sacellum, de quo loquimur, ſicut quodlibet aliud, cùm Sacellum, ſiue Capella ſit; duo prædicta continere.

27 Altare quidem, ad maximum conficiendum Sacramentum, quod Corporis, & Sanguinis Chriſti eſt, omnino neceſſarium eſſe; Theologi concludunt. Adeatur Suarez, tomo 3. in 3. p. q. 83. a. 3. diſp. 81. ſect. 5. concluſ. 2. Nugnus, item 3. p. ijſdem quæſt. & artic. dub. 3. concluſ. 1. Reginaldus in Praxi, lib. 29. nu. 188. Layman, lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 1. & ceteri communiter. Vnde, non eſt dubium; quin, ad Sacramentorum adminiſtrationem pertineat: quemadmodum, ad eādem pertinere Calices, & Paramenta, ſcribit Barboſa, De Officio, & Poteſt. Epiſcopi, p. 3. alleg. 74. num. 18. quem valde miror, inter hæc, etiam Altare non poſuiſſe.

28 Sacras verò Imagines ad curam ſpectare animarū; videtur indicare Poſſeuinus, De Officio Curati, cap. 12.

vers. *Quartò non sinat*, dum admonet Parochũ, sic aiens. *Ne sinat ædificare, nec pingere, in sua Ecclesia, vel, in alia sibi subdita, sine licentia Episcopi: & , si adsit Episcopi licentia; non sinat pingere, nisi secundùm exemplar, Episcopo propositum à pictore, & ab eodem admisso, per subscriptionem.* Sed, idem ostenditur monito alio longè maximè authentico Romani Catechismi, quod (parte 3. cap. 2. sect. 24.) dat eidem Parocho, per hæc verba. *Non solùm autem licere, in Ecclesia, Imagines habere, et illis honorem, & cultum adhibere, ostendet Parochus, cum honos, qui illis exhibetur, referatur ad prototypa; verùm etiam, maximo Fidelium bono, ad hanc vsque diem factum, declarabit: vt, ex Damasceni libro, quem, De Imaginibus, edidit, & septima Synodo, quæ est secunda Nicæna, intelligitur.*

Cùm ergo, Sacellum prædictum præcipuè contineat vnum, ad Sacramentorũ adminstrationem spectans, quod est Altare, & aliud, spectans ad reliquam animarum curam, cuiusmodi sunt Sacræ Imagines, cum suis accessorijs Inscriptionibus, vt est explicatum; si Ecclesia Sancti Christophori, in qua sẽper extitit, ab Anno 1391. quo, aliquo modo, cœpit esse exempta, semper (vt vidimus) quantùm ad hæc duo, quæ sunt Sacramentorum administratio, & reliqua respicientia curam animarum, ab Episcopo Feretrano (tum de Iure communi antiquo, tum de Iure communi nouo Conciliorum, quæ memorauimus) visitari potuit, ac debuit; sequitur manifestè: vt, ab eodem Anno, per eundem Episcopum, idem quoque Sacellum, tanquam dicta duo precipuè continens, ac tanquam pars eiusdem Ecclesiæ; semper visitari, de Iuribus ijsdem, potuerit, ac debuerit. Et sic, declarata remanet vis, & ratio nostræ illationis.

MEM-

MEMBRVM SEXTVM.

Rursum asseritur, ac probatur: idem Sacellum B. Mariæ Nouissimæ de Gratijs potuisse, ac debuisse visitari ab eodem Feretrano, ratione Miraculi Lacrymarum, ibi patrati, & ratione appensæ ibi Tabulæ, vbi depictæ cernuntur Miraculosæ Liberationes; etiamsi Ecclesia prædicta, vbi situm est; Parœcialis non fuisset.

29 VErùm addo vlteriùs: quòd, etiamsi prædicta Ecclesia, à prædicto Anno, fuisset prorsus exempta, hoc est, etiamsi Parœcialis non fuisset, ita vt, neque Sacramentorum administrationis, & curæ animarum ratione, potuisset visitari à memorato Feretrano; nihilò tamen minùs: eo ipso, quòd cœpit spargi rumor, tum, de Miraculo Lacrymarum, ibi patrato, tum, de picta Tabula, ibi appensa, in qua Miracula repræsentantur Liberationum; idem Sacellum, ab eodem, ad eum finem, visitari potuisset, imò debuisset: vt, tum de Miraculis, tum de Imaginibus iudicium ferret.

Et ratio est: quia, si de Miraculis præcisè verba faciamus; iam suprà firmatum fuit: iudicium, circa illa, etiam in exemptis Ecclesijs, ac seclusis Prælatis Regularium; singulis in Diœcesibus, non modò post Tridentinum, sed etiam ante ipsum; competere, atque competiuisse singulis duntaxat Episcopis. Quare, cùm, cognita tantùm causa, feratur iudicium; ad eosdem singulos Episcopos, ad locum accedere, vbi sunt edita Miracula, pertinet, ac pertinuit: visum, nimirum, & congitum, siue

ipsa Miracula, siue ipsorum effectus, ac vestigia, siue, quæ sunt ipsa quomodolibet consecuta; ad rectum de ijs ferendum iudicium. Huiusmodi autem accessus quædam est vtique Visitatio.

30 Idem sanè dicendum est de sacris Imaginibus. Quãdoquidem: iudicium circa illas, etiam in exemptis locis, & Ecclesijs, competere, post Tridentinum, singulis pariter Episcopis Diœcesium singularum; expressè patet, ex eodem ipsius Tridentini Decreto, *De Inuocatione, & Veneratione, & Reliquijs Sanctorum, & Sacris Imaginibus*, sess. 25. vbi sancitur, de Miraculis. Ibi enim hæc sunt verba, quæ etiam suprà, sed in ordine tantùm ad ipsa Miracula (Sect. 1. §. 5.) retulimus: nimirum: *Statuit Sancta Synodus, nemini licere, vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel proponendam curare Imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.* Qua de re, videri etiam potest Constitutio quædã Vrbani VIII. circa formam, & habitum Sacrarum Imaginum, edita, die 15. Martij, Anno salutis 1642. cuius initium, *Sacrosancta*; vbi multa statuit, ad remouendos abusus varios, qui ex inobseruantia prædicti Decreti, à Tridentino lati, cœperunt irrepere. Quoniam autem (vt citato §. iuxta Sanchez, animaduertimus) in eodem Tridentini Decreto, priuilegiũ nullum nouum, ac nulla noua potestas, quod, & quam, circa huiusmodi, antea non haberent, Episcopis conceditur; consequenter dicendum est: quòd, quemadmodum, post Tridentinum, Episcopis competit, in suarum Diœcesium Ecclesijs, etiam exemptis, iudicium circa Imagines; ita etiam competiuerit, ante ipsum: maximè verò, cùm nullum priuilegium appareat, Prælatis Regularium à Sede Apostolica concessum; quo illis licuerit, eodem tempore, de suarum exemptarum Ecclesiarum Sacris Imaginibns ferre iudicium.

31 Quo-

31 Quocirca: cum Iacobo Simanca, libro suo, De Catholicis Institutionibus, titulo 33. num. 13. debemus concludere: quòd, ex Decreto septimæ Synodi generalis, quæ secunda (vt ex Romano Catechismo, paulò suprà, vidimus) Nicæna est, actione quarta; Episcopis fuit semper curandum: vt, in suarum Diœcesium quibuscunque Templis, *Illas tantùm Imagines populo proponi sinerent, quæ sacra sint, non profana; vera Historia, non fabula et somnia; non nugaces, et vana; sed probatæ fidei*. Vnde fit: vt partes eorūdem semper etiam fuerint; quoties, fama nonnulla surgere cœpisset, de suborto aliquo dubio, circa iam propositas Imagines; Num, videlicet, Historias veras, & probatæ fidei, num verò fabulas, ac somnia repræsentarent; Num sacræ essent, num verò profanæ; Num demum indecentiam aliam generis cuiuscunque præ se ferrent; ad eorum loca, quæcunque, intra Diœcesis fines, essent, se conferre: videndi, & cognoscendi gratiâ, singula cuncta; quæ (vt paulò antè dicebam de Miraculis) ad bene de ijs iudicandum, necessaria putarentur.

32 Ex quibus clarè innotescit, quod est assertum, de Feretrano Episcopo, in ordine, ad visitandum præfatum Sacellum; etiamsi, à memorato Anno, Ecclesia, in qua semper extitit, omnino fuisset exempta: nimirum: statim atque disseminari sermo cœptus fuit, & de prodigiosis illis Lacrymis, & de Tabella exposita publicè, in qua, pictis coloribus, admirandæ Pinnensium Liberationes exprimuntur; ipsum potuisse, ac debuisse illuc (exemptione nihil prorsus obstante) se conferre: visurum, & cogniturum, in ordine, ad ferendum de huiusmodi iudicium; quidnam reuera illa essent, quæ diuulgabantur.

MEM-

MEMBRVM OCTAVVM.

Concluditur materia secunda Subdistinctionis, & secundi quoque Paragraphi vniuersi.

34 His itaque visis, in hac tota Subdistinctione, & per tot Membra, de Visitatione, quam Episcopus Feretranus, qui fuit pro tempore, a dicto Anno 1391. (vt omittamus antecedentes) atque adeò, ab Anno etiam 1489. cùm primum ex tribus nostris Miraculis, nempe, Miraculum Lacrymarum, est editum, in dicto Sacello, subinde, per se, ac personaliter actu, ad hos vsque dies, exercuit; est visum etiam consequenter secundum, ex illis duobus, quæ ad personalem eiusdem præsentiam hauriendam, in ordine saltem ad ea, quę, Pinnæ Billorum, prædicta Miracula sunt assiduè consecuta; proposuimus.

Quandoquidē: sic visitando, non potuit sanè, vestigia, quæ adhuc extant prodigiosarum Lacrymarum, in Sacra Dei Matris Imagine; ac Tabellam, oculis intuentium exhibentem eam, quæ bis mirabiliter accidit, obsessorum Pinnensium Liberationem; suis ipsis oculis, non videre: non legere, quæ, hinc inde, sunt inscripta: non audire demum quædam de Festis, de Concionibus, ac de ceteris huiusmodi; per se ipsum, personaliter præsens, & inquirens, ex officio.

Et re vera, sic personaliter visitans, & inquirens; sic vidit, sic legit, sic audiuit: quod, & ex prædictis Libris Visitationum constat, & prædicti Seniores amplissimè testificantur.

35 Per hæc igitur omnia, quæ iam fusè dicta sunt, ad ostendendum, in prædicto Episcopo, simul, & coniunctim

ipsius animæ magnum esse præiudicium, non est vllum dubium.

Secunda est. Doctores multi tradunt, quos refert citatus Mascardus, conclus. 121. num. 6. 7. 8. & 9. Approbationem tacitam non approbare simpliciter. Multò igitur minùs approbare, dicenda est; cùm de prædicto agitur animæ præiudicio.

Tertia est. In perpetuis, non habet locum tacitus consensus: vt in capit. 2. verbo, *contradicente*, De His, quæ fiunt à Prælatis, obseruauit Glossa. Igitur, in ijsdem, nec habet locum Approbatio tacita: quę idem est consensui. At, perpetua sunt, quæ, approbando, disponuntur de Miraculis.

37 Ad primam obiectionem respondeo: quòd Mascardus, cum Doctoribus, quos citat, non loquitur formaliter de consensu tacito: sed de consensu, ex taciturnitate (hoc enim, vt, apud ipsum, videre licet, vtitur termino) hoc est, de consensu, qui fortè præsumitur in illo, qui, cùm debeat expressè consentire; tantùm tacet: absque eo, quòd etiam sciat, & per debitum tempus taceat, vel sit præsens: ita vt ex tribus, quorum concursus in ipso necessarius est, ad hoc, vt verè præsumatur, tacitè consentire, vnũ duntaxat in eodem adsit; nempe Taciturnitas. Quo casu, concedo etiam ipse: quòd præsumi, consensus (maximè, cùm agitur de magno præiudicio) in illo non possit.

In casu autem nostro: cùm, in Episcopo Feretrano, cui Miraculorum, quæ præ manibus habemus, competiuit sẽper (vt vidimus) iuxta proprium officium, Approbatio; semper item simul, & coniunctim (quod Paragraphi huius priore Parte, iam probatum est satis, ac super) concurrerint huiusmodi tria; secundùm ea, quæ ibidem verè, ac solidè supposita, ac firmata sunt; verè, ac pariter solidè, semper quoque debuit, in eodem, circa talia Miracula, præsumi

sumi tacitus consensus, ac tacita similiter Approbatio.

Quibus consensu, atque Approbatione verè, solidéque præsumptis; nullo pacto, sequi potest: vt Fideles, vllo vnquam tempore, fuerint expositi periculo, errandi, atque adeò peccandi; colentes Dei Genitricem, ex causa istiusmodi Miraculorum. Nunquam enim dici potuerunt ob id, eandem, ex non vera causa, colere; dum sic, ex causa coluerunt eam, quæ semper, tacitè saltem, approbata fuisse pro vera, verè, solidéque præsumitur.

Quemadmodum, nunquam sunt expositi Fideles ijdem periculo errandi, ac peccandi, colentes pro Sanctis eos, qui à Summo Pontifice, concurrentibus in ipso prædictis tribus conditionibus, verè, ac solidè præsumuntur, tantùm tacitè Canonizati; quales (ex Bellarmino, vti obseruauimus, hac ipsa 3. Parte, in Sectione 1. §. 8. num. 94.) fortè sunt Sancti omnes; qui ante Leonem III. pro Sanctis colebantur.

Cuius rei fundamentalis ratio illa est: quia, quemadmodum (si loquamur de Sanctis tacitè Canonizatis) veritas, de ipsorum Sanctitate, nititur eo fundamento, quòd (vt scribit Scacchus, De Cultu, & Veneratione Seruorum Dei, lib. 1. sect. 10. cap. 1.) *Summum Pontificem Romanum legitimè electum, in his, quæ sunt Fidei, Religionis, Cultus, & Venerationis Seruorum Dei, quæque regimen concernunt vniuersalis Ecclesiæ, errare non posse, tradunt Patres & Theologi omnes*; inter quos videndus est maximè Sanctus Thomas, Quodlibeto nono, articulo decimosexto) ita (si loquamur de Miraculis tacitè approbatis ab aliquo Episcopo, cui, de Iure, competat) eo fundamento nititur illorum veritas; quia, quod sic est approbatum, id sanè, secundùm Prudentiæ dictamen, vel iudicium (de quo, Parte Secunda, q. 2. num. 71. iam sumus locuti, & quod, in casu nostro, exercitum re ipsa fuisse, bene quidem

dem ipsa multa demonstrant, quibus hîc probata est secunda Quæstionis Resolutio) tanquam verum iudicatur: atque adeò moralem, & humanam habet certitudinem. Hanc autem, ad Religionis, absque vllo errore, factitandos actus, prorsum satis esse; tradetur ex Bañes infrà, Parte quarta, Quæst. prima, Sectione secunda.

38 Ad secũdam respondeo, sicut ad primã: quòd, scilicet, adducti Doctores, per Mascardum, etiam hoc loco, loquuntur formaliter (vt expresse patet ex eorum verbis) de Approbatione, ex taciturnitate tantùm: non autem de Approbatione tacita, quæ fit huiusmodi, ex concursu, non solùm taciturnitatis, in eo, qui approbare debet; verùm aliarum quoquè iam explicatarum conditionum, vt est Scientia, debitique temporis Lapsus, vel Præsentia. Quocirca, negatur antecedens. Quo negato, nihil omnino contra nos infertur.

39 Ad tertiam respondeo: quòd; Illa doctrina locum habet, in alienationibus rerum Ecclesiasticarum: ad quas (cùm fiunt in perpetuum, & non ad tempus) requiritur expressus consensus, & subscriptio eorum, ad quos attinent, vt non sint irritæ: quemadmodum, in capitulo, *Irrita* (quod, in eodem titulo, De His, quæ fiunt à Prælatis, est primum) apertè statuitur, atque alijs etiam in locis; quæ ab eadem Glossa indicantur. Huiusmodi autem Canonicæ Sanctiones, cùm sint odiosæ, quippe quæ important onus, tædiúmque, ac fastidium mouent (qua de re videndus est Barbosa, in Axiomatibus, axiomate 166. numero 4.) nullo modo (ex manifestis vtriusque Iuris Regulis) ad alia in ijs non expressa, etiam ex identitate rationis, debent ampliari.

§. *III.*

§. III.

Ponitur, & probatur tertia Quæstionis Resolutio.

40 RESpondetur ad Quæstionem, tertiò. Cùm huiusmodi Facta, de quibus agimus, tum, nempe, Lacrymarum, tum, Liberationis vtriusque, collocanda sint (ex doctrinis allatis alibi, maximè, Parte 2. q. 1. Sect. 2. §. 2. num. 63.) inter antiqua; (Factum enim Lacrymarum, vt obseruatum est sæpe, anno 1489. Facta verò Liberationum, alterum anno 1517. alterum anno 1522. contigerũt; & antiquũ, ex dictis doctrinis, finiri spatio cẽtum annorum, ad summum, intelligitur;) indubitanter proinde sequitur (prima Responsione, ad eandem Quæstionem, nihil obstante) vt quicquid, in ipsis, rationem reperitur habere Miraculi; præsumendum sit, ab Episcopo Feretrano, cui hoc ipsum competebat, fuisse approbatum, non solùm tacitè, vt assertum, & ostensum est, Responsione secunda; verùm etiam expressè, ac seruato Iuris ordine, & solemnitate quacunque, requisita.

Hæc Resolutio, siue Responsio probatur, ex doctrina Mascardi, conclus. 108. num. 1. vbi sic ait. *A nostris rectè traditum est: antiquitatem inducere præsumptionem; vt omnia, in quolibet actu, censeantur solemniter interuenisse.* Et post hæc, more suo, citat quamplurimos, ad Assertum suum corroborandum. Et, num. 2. addit, hoc maximè procedere; *Quo ad præsumptionem solemnitatis extrinsecæ formalis: vt, quia, in actu, interuenire debet consensus, vel auctoritas alicuius:* quemadmodum, quidem in casu nostro, debuit interuenire consensus, & auctoritas Episco-

ſcopi Feretrani, vt ſuo loco fuit oſtenſum.

41 Auget autem præſumptionem, quòd hæc auctoritas, vel Approbatio, & conſenſus, re vera, interuenerit (quantùm præſertim ad Miraculum Lacrymarum) id, quod (§. 3. Prooemialium, num. 11. ex Libro quodam antiquo, de quo ibi, cuiúſque, pluribus, in Secunda Parte, Quæſt. 1. cōprobata eſt auctoritas) retulimus, per hæc iam antiquata verba. *E per cagione de dicto miraculo* (ſcimo eſt de Miraculo Lacrymarum) *e de le indulgentie che ſono ne laltare de la dicta Capella date per lo Beatiſſimo & Sanctiſſimo Papa noſtro Honorio tertio: nel M CC XXII. come appare per vna Bolla del Reuerendiſſimo in Xp̄o Patre Meſſer Giouanne darimino Veſchouo de Monte Feltro: fo facta vna Compagnia & vna Confraternità:*

Quandoquidem; hinc tale ſumi poteſt argumentum. Sodalitates, aut Confraternitates Laicorum, cum ſaccis, aut alio ſpeciali indumento, erigi nequaquam poſſunt; niſi auctoritate Apoſtolica, vel ordinaria: vt firmat Antonius Ricciullus, Lucubrationum Eccleſiaſticarum lib. 4. cap. 2. num. 2. At Confraternitas, de qua, in adductis antiquatis verbis, quęque non eſt, niſi Confraternitas illa, quæ, à primordio ſuæ erectionis, nuncupari cœpit Sanctæ Mariæ Nouiſſimæ de Gratijs, à titulo Capellæ, in qua fuit erecta, poſtmodum verò, ab anno 1579. quo, Archiconfraternitati Confalonis de Vrbe aggregata eſt, aſſumpſit etiā Confalonis nuncupationem; Saccis (vt Pinnæ Billorum eſt notiſſimum) eſt ſemper vſa: primis quidem temporibus, cærulei coloris; deinde verò (vt etiam nunc) coloris albi. Ergo, cùm non conſtet, illam erectam eſſe, auctoritate Apoſtolica; dicendum, ac præſumendum eſt, eandem erectam eſſe, auctoritate ordinaria: hoc eſt, auctoritate Feretrani Epiſcopi: eo accedente maximè, quòd (vt ſuprà vidimus) & Confraternitas huiuſmodi, & ipſius Ca-

Vu pella,

pella, ab eodem Episcopo semper adhuc fuit visitata; quod (ex eodem Ricciullo, ibidem, cap. 4. num. 4. vers. *Item*) est aliud signum, indicans, erectionem Confraternitatis ab auctoritate ordinaria dependere. Sed, si erecta est, auctoritate ordinaria; videlicet, auctoritate Feretrani Episcopi; certum est: (vt Prisca verba, quæ præmisimus, clarè testantur) eam erectam esse, Lacrymarum ipsius Miraculi occasione. Quod idem est, ac si diceremus; eam erectam esse, impellente, veluti causa impulsiua, eundem Feretranum Episcopum, ad erigendum; eodem ipso Miraculo. *Occasio*, nanque, *causam impulsiuam importat*; vt ex multis textibus, & Doctoribus, tradit Barbosa, De Dictionibus vsu frequentioribus, dictione 236. num. 3. Ergo, hinc augetur præsumptio, dicti Episcopi auctoritatem interuenisse, ad approbandum etiam idem Miraculum; quod causa impulsiua, sine dubio, fuit, vt interuenerit eiusdem Episcopi auctoritas, ad erigendam Confraternitatem. Aliter enim, concludendum prorsus esset; quòd temere, imò, quòd, & perperam egisset ille; sic erigendo. Temere quidem: quia, interposuisset auctoritatem suam, in erigẽda Confraternitate, propter causam quandam, siue impulsus causa quadam; & de huiusmodi causa priùs, eandem auctoritatem interponendo, nõn cognouisset; An esset vera, nécne; quam, tamen, iudicasset veram esse: quod esse temerarium quid; sanè non est dubium. Perperam verò: quia, deliquisset in officio. Visum est enim suprà; quod ipsi, ex officio, competebat huiusmodi cognitio, & Approbatio: in Approbatione porrò, quæ, ex officio, competat alicui, si se habeat ille temere, hoc delictum esse; manifestum est. Defectus autem huiusmodi, sicut quilibet alij, in aliquo certè, præsertim verò in Episcopo (quod claris Axiomatibus, & Regulis Iurium, planè docemur) præsumendi neutiquam sunt.

Igi-

Igitur, è contra, præsumendum, & concludendum est: Episcopum Feretranum, auctoritate cuius, prædicta Cõfraternitas est erecta; causam, siue occasionem, quæ illum (vt aiebamus) impulit, ad erectionem istiusmodi, hoc est, Miraculum ipsum Lacrymarum; expressè, iuridicè, atque solemniter approbasse.

Quòd, si Litteræ publicæ, atque authenticæ, de Approbatione tali, quæ fuerit expressa, iuridica, & solemnis, attestantes, non apparent; fortè, vt perierint, Administratoris alicuius incuriâ (quod haud infrequenter assolet) id aliquando vsu venit.

42 Sed, vnum hîc, ad extremum, pretium puto; quod est: illum, quicunque huiusmodi Scripta fortè volutarit, lectitarítue aliquando, monere, quin potiùs rogare; sicuti moneo, atque enixè rogo reapse: ne, quæso, ipsa cuncta, quæ, ad Miraculorum, in quibus examinandis, versor, firmandam Approbationem tacitam, super Tolerantia, superq; Taciturnitate Feretrani Episcopi cuiusuis tum in 1., tum etiam in 2. Sectione Quæstionis huius vnicæ, litteris libuit consignare; per illam distinctionem, de Tolerantia; Taciturnitatéue approbatiua, & permissiua, quam Diana (3. parte, tractatu primo, resolutione prima, in fine) adhibet, post multos; elidere velit, ac dicere: Tolerasse, nimirum, tacuisséque Feretranos Episcopos, quotquot fuerunt adhuc, ab ipso tempore, quo Facta contigerunt; circa ea, quæ de ipsis nouerunt, quibúsq; interfuerunt præsentes; Tolerantia, siue Taciturnitate permissiua: non autem approbatiua. Nam istiusmodi sanè responsio locum habet (ex Suarez, lib. 4. Contra Regem Angliæ, numero decimo nono, quem refert, citato loco, idem Diana, Versiculo, *Verum*) eo casu duntaxat; cum Superior tolerat, vel tacet, *quia, sine periculo maioris mali, non potest efficaciùs resistere*.

At profectò: quódnam grauius, vel maius malum timere poterat vnquam, quisquis ille fuerit hactenus, Feretranus Episcopus; in rebus huiusmodi, resistendo, non Principibus quidem, vel Potentioribus; verùm solummodo sibi subiectis, & dicto, nutúq; sibi prorsus audientibus?

Hæc verò claudant, & Paragraphum, & Quæstionem, & Tertiam Partem vniuersam.

QVAR-

QVARTA PARS DISSERTATIONIS.

De illorum Prædicatione, quæ dicimus Miraculosa Facta, tum Lacrymarum, tum Liberationis vtriusque: Ac de Festorum Celebratione, per occasionem Factorum eorundem.

PRÆFATIO.

Aperitur, quid sit causæ: Quamobrem, examinanda, in huiusmodi Quarta Parte, reducantur ad Propter quid: ijs tamen primùm, ad continuationem, summatim, ac per capita repetitis; quæ iam dicta sunt: Ac demum inquirenda proponuntur.

1 Miraculosa Facta omnia, quæ satis (vt puto) diligenter hactenus examinata sunt, & quantùm ad An sit, & quantùm ad Quid sit, & quantùm ad Quale sit, non solùm, in esse entis, & naturæ, verùm etiam, in esse moris, & ordine quidem illo seruato, cuius rationem alibi reddidimus; eò, ceteris omissis, vtique tendunt; (quod, nimirum, ex dictis, in Appendice communi primæ Partis, sub titulo, *Argumentum quintum & Solutio*, planè constat) vt Pinnensem populum, ad Dei

Genitricis eminentissimæ Sanctitati, modis præcipuis, cultum exhibendum, iugiter exstimulent. Hoc autem fieri maximè, per Festorum Celebritates; & per Conciones, quæ beneficiorum gratiam cum laude coniungant; reuocari non debet in dubium. Cùm Hyperdulia, quæ ipsi Dei Genitrici cultum exhibet (vt 2. 2. q. 163. a. 4. ad 2. habet Sanctus Thomas) atque adeò testificatur (ex eodem; ibidem, a. 2. c.) de ipsius excellentia, non exerceatur (quemadmodum, item eo loci, a. 1. c. tradit illemet ipse) nisi, per signa quædam exteriora; cuiusmodi sanè sunt, & generis memorati Conciones, & Institutiones, ac Celebritates Festorum. Quocirca, rationi congruum prorsus est: vt hæc ipsa duo, quæ modò, videlicet, examinanda proposuimus; ad Propter quid Factorum huiuscemodi reducantur. Quod sanè, Quartæ huic Parti suprà fuit relictum.

Circa illa igitur, vt hîc duo quæramus duntaxat; omnino satis est: videlicet,

Primò. *An, consuetudo, prædicandi Facta istiusmodi Miraculosa, retineri possit.*

Secundò. *An etiam retineri consuetudo possit; occasione Miraculosorum Factorum eorundem, Festa celebrandi.*

QVÆ-

QVÆSTIO PRIMA.

An consuetudo prædicandi Facta istiusmodi Miraculosa, retineri possit.

DIuiditur Quæstio, in duas tantummodo Sectiones: quæ singulæ, neque in Paragraphos, neque in partes alias rursum diuidendæ sunt.

SECTIO PRIMA.

Ad resoluendam Quæstionem, supponuntur quædam, de consuetudine; super qua, ipsa Quæstio procedit.

ILlud ad memoriam, primo loco, reuocandum est; ac supponendum: quòd, Consuetudo, prædicandi Miraculosa talia Facta; Pinnæ Billorum, continua semper viguit, ab ipso suo principio: ita vt, iam inde, singulis annis, tertio die Veneris Martij, quo Festum celebratur Lacrymarum; prædicata sint, & prædicentur vsque adhuc, Id quod sanè, sæpe, ac sæpius tactum est, & in Procemialibus, & alibi; præsertim, proxima Parte.

Quod autem attinet ad Factum Lacrymarum: consuetudinem hanc, iam tum cœpisse, cùm illud accidit; expressè patet, ex §. 3. Procemialium eorundem: vbi, ex antiquo Libro, narratum est; Concionatorem sacrum, qui tunc Pinnensibus Verbum diuinum proponebat; hoc admirandum Factum, post quàm fuit editum, quotidie, de suggestu prædicasse.

Verùm, quòd attinet ad reliqua duo Facta Liberationum: consuetudinem eandem exordium suum, circa tempora pariter sumpsisse, quibus ipsa Facta euenerunt; Seniores, qui sunt ibi, vbi consuetudo isthæc vim obtinuit; plenissimè, constantérque testantur.

2 Quare, duo hinc apparent.

Primum est: Consuetudinem hanc esse valde antiquam. A cuius quippe initio intercessisse plùs, quàm centum annos, animaduertet prorsus vnusquisque; si illos à diebus, quibus patrata sunt præfata Facta, quorúmque, tum, in Procœmialibus, meminimus, tum, alibi; supputare, grauatus non fuerit: addens præterea, quæ, de antiquo, ex Iuristis, Parte 2. q. 1. Sect. 2. §. 5. num. 63. retulimus.

Secundum est: Eandem consuetudinem esse, procul dubio, introductam. Quod, in sequentem modum, clarum fiet.

Quandoquidem: istiusmodi consuetudo non est quidem in primis; contra Legem aliquam, aut Canonicam, aut Ciuilem. Quia, nulla Ciuilis, aut Canonica Lex prohibet, prædicari Miraculosa Facta, quæ prudenter, tum quantùm ad Facta ipsa, tum quantùm ad id, quod reperitur in eis Miraculi, vera existimantur; &, vt huiusmodi, ab eo, cui de Iure competit, idoneè sunt approbata. Qualia esse Facta Miraculosa, de quibus loquimur, dilucidè sanè constat ex iis; quæ, totis tribus iam absolutis huius Dissertationis Partibus, hactenus conscripta sunt.

Imò, dato, quòd esset contra aliquam Legem: ex auctoritate tamen Romanæ Rotæ, Diana tenet (6. parte tract. 5. resol. 2. vers. *Sed quid ego sentiam*) etiam contra Ius Canonicum, & Ecclesiasticas Leges, dici illam consuetudinem præscriptam; quæ durauerit, annos quadraginta. Et alij, non improbabiliter, longè minore tempore sunt hac in re contenti: qui propterea putant, ad præscribendam

con-

consuetudinem, contra Leges, absolutè, hoc est, contra Leges Canonicas quoque, nedum contra Ciuiles duntaxat (contra enim has tantùm potest præscribi) decennij solius perseuerantiam satis esse. Quod est videre, apud eundem Dianam, ibidem, vers. *Secunda opinio*. Et consuetudo, de qua verba facimus; non solùm ipsos decem annos, ipsósque quadraginta; sed (vt modò innuebamus) plùs, quàm centum annos perdurauit.

3 Oportet ergo: cùm, contra Legem aliquam non sit; eam, vel secundùm Legem, vel præter Legem, esse. Tot enim, neque plures, dantur species consuetudinis; vt est clarissimum, apud Doctores omnes: & videri potest, inter ceteros, Azorius, parte 1. lib. 5. cap. 17. q. 2. & Layman, lib. 1. tract. 4. cap. 24. num. 3.

Non est autem, secundùm Legem. Quia illa (ex Layman, ibidem) supponit Legem, scripto, vel verbo præexistentem; quam approbet, confirmet, & interpretetur. De huiusmodi verò Prædicatione speciali, quam discutimus, specialem, vel generalem aliquam extare Legem, siue Ciuilem, siue Canonicam, siue in ipso corpore, siue extra ipsum corpus vtriusque Iuris; affirmari vtique non potest.

Relinquitur itaque; vt, præter Legem, sit omnino dicenda.

4 Consuetudo porrò, quæ præter Legem est: dicitur introducta; si per decennium, nunquam intermissa, durauerit. Sic asserunt, ibidem, Azorius, q. 9. & Layman, numero 2. vers. *Tertium est*.

Nisi cum Duuallio, apud Dianam (vbi suprà, resolut. 7. vers. *Apponam*) dicere malimus; huiusmodi consuetudinem introductam dici, duobus tantùm actibus, per decennium non distantibus, & (vt addit idem Diana, resol. 8. & 9.) etiam vulgaribus, modò voluntarijs; quod satis puto probabile.

Qua-

Quare, concludendum est: consuetudinem, de qua disseruimus, vtpote præter Legem; vel primo decennio, ad summum, vel primo biennio, fuisse introductam.

5 Præterea: consuetudinem istiusmodi esse prorsus etiam rationabilem; dubitari sanè non potest. Cùm enim (ex Diana, tractat. citato, resol. 1. vers. *Sed mihi placet*, vbi adducit Montesinum, Granadum, & Sanchez) consuetudo rationabilis illa sit, quæ turpitudinem, aut deformitatem nullam continet, sed, aut Legem Diuinam, aut Legem Naturalem, aut rationis æquitatem; ostendunt optimè illametipsa, quæ, dictis tribus Partibus, diffusè iam prodidimus; consuetudinem huiuscemodi, his conditionibus omnibus, respectiuè exornari. Qua in re, ne dicta repetantur; pluribus, ad declarandum, verbis, supersedendum, existimo.

Sat igitur habeo: per ea, quæ hic hactenus exposita sunt; exploratum remanere; quòd in consuetudine, quam præ manibus habemus, duo illa principalia concurrunt; quæ necessariò requiruntur, vt consuetudo quælibet, etiã præter Legem, dici possit esse valida: nimirum: illam esse legitimè introductam; & esse rationabilem.

Quæ duo requisita colligunt aliqui, ex cap. finali, De Consuetudine: licèt ibi expressè fiat sermo de consuetudine tantùm, contra Legem.

Sed ego puto, colligi eadem clarissimè posse, ac meliùs; ex doctrina Sancti Thomæ, 1. 2. q. 97. a. 3. c. Quatenus eo loci, apertè loquendo, non de consuetudine quidem sola, quæ Legem abolet (vt ait ipse) & quam nos dicimus contra Legem, sed etiam de illa, quæ habet (ex eodem) vim Legis, quámque nos vocamus præter Legem, & de illa demum, quæ (secundùm ipsum) Legis est interpretatrix, & quam, secundùm Legem nos appellamus; illud ad extremum concludit: quòd, *Per actus exteriores multi-*

pli-

plicatos, consuetudo efficitur: in quantùm per ipsos, interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficacissimè declaratur. Per quæ significari duo prædicta, in quacunque consuetudine, requisita; nemo quippe non videt: videlicet, ipsam legitimè effici, siue introduci, per multiplicatos exteriores actus; & eandem reddi rationabilem, in quantùm ijdem actus à ratione regulante voluntatem, proficiscuntur. Vnde, quod, me putare, dixi, palam factum est.

6 Vtrum verò, ad consuetudinem præter Legem, requiratur præterea Superioris vllus consensus; disputant inter se Doctores. Et videri potest Azorius, parte, ac libro citatis, cap. 18. q. 9. cum Diana, parte 3. tract. 5. resol. 76. maximè verò Sanctus Thomas, allegato loco, cui ego prorsus adhæreo.

Res verò, vt vt sit: certè, ad istiusmodi consuetudinem nostram in efficiendam validam, consensum, saltem tacitum, Episcopi Feretrani fuisse necessarium, ratione præsertim materiæ; dicere conuincor: quia, nempe, versatur illa, circa Miraculosorum Factorum prædicationem; quæ, 3. Parte, firmauimus, ab eo debuisse aliquo modo approbari. Talem autem consensum eidem consuetudini semper accessisse, candidus Lector deprehendere facillimè poterit; si memoriâ repetat, quæ, dicta nostra Tertia Parte, adnotauimus.

Alia denique requisita consuetudinis eiusdem generis, quæ ponunt alij (quorum in numero legi præcipuè possunt Layman, suprà citato loco, & Reginaldus, suæ Praxis libro 13. num. 243. & sequenti) vt, quòd, in introducentibus illam, obligandi animus adfuerit, & quòd non sit introducta, per errorem (actuum enim frequentia, quam pro alio requisito ponunt, includitur in eo, quòd sit legitimè introducta, de quo iam sumus locuti) penitus nihil curo.

Pri-

7 Primũ quidem: quia consuetudo hæc (vt nulli dubium esse potest) inter consuetudines, quæ deuotionis dicuntur, non quæ obligationis, collocatur.

Secundum verò: quia, nullo modo dici potest consuetudo illa, per errorem introducta; quæ à bene scientibus illius causam, atque adeò secundùm Prudentiæ dictamen (vt patet ex dictis hactenus, per totam Dissertationem, & patebit ex dicendis infrà) introducta fuit. Ac de supponendis, hucusque.

SECTIO SECVNDA.

Ponitur Quæstionis Resolutio: & afferuntur in contrarium Argumenta duo, quæ tandem diluuntur.

AD Quæstionem igitur affirmatiuè respondetur, hoc modo. Consuetudo, de qua quæritur, est omnino, & absolutè retinenda.

Et Responsio patet ex iactis fundamentis. Quia, scilicet, huiusmodi consuetudo, & est introducta, tanquam præter Legem, neque per errorem; & est rationabilis; & accedit illi demum legitimi Superioris, Feretrani, scilicet, Episcopi tacitus, vt minimum, consensus.

8 Sed hîc aptissimus est locus, ad argumenta duo euertenda, quæ, qui mihi vniuersæ Dissertationis contexendę, occasionem præbuere; tanquam indissolubiles nodos, obijciebant.

Nouerit autem Lector amicus interim: ab ipsis audiuisse me simplicem tantùm, ac nudam argumentorum istiusmodi substantiam: quam tamen quibusdam doctrinis locupletandam putaui; vt ex Responsis, tum aduersariorum obie-

obiecta diluta, tùm eædem doctrinæ, quibus fulciri posse, videntur; explicatæ remaneant.

Primum itaque argumentum, quod sanè petebatur à Iure naturali, dilatari aliquantulùm potest, hunc in modum. *Mendacia prædicare* (inquit Caietanus, in Summula, verbo, *Prædicatorum peccata*) *constat esse peccatum mortale grauissimum. Quoniam euacuat, quantùm in se est, vniuersam Ecclesiæ auctoritatem, ac Christi Fidem, per prædicationem propagatam: siue mendacium dicatur, contra doctrinam Fidei, aut morum; siue circa gesta Sanctorum, aut Miracula, aut prophetias; siue quodcunque aliud, quod, ad docendum, instruendum, persuadendum, mouendumque auditorem, tanquam verbum Dei, prædicatur. Quia quicquid à Prædicatore, vt sic, dicitur; oportet esse verum.* Ita Caietanus. Sed *Affirmare incerta pro certis, mendacium est*: quemadmodum docet Suarez, De Relig. tomo 1. tract. 3. lib. 2. cap. 11. num. 7. Ergo affirmare, seu prædicare incerta pro certis; peccatum mortale grauissimum est.

Nunc subsumo. Sed, qui iuxta consuetudinem, de qua, in Quæstionis titulo, prædicat Facta illa Miraculosa, affirmat, seu prædicat incerta pro certis; quia incerta sunt illa Miracula, seu Miraculosa Facta, quæ expresè, ac, seruato Iuris ordine, approbata non sunt; ergo prædicat mendacia: atque adeò, perpetrat mortale peccatum longè grauissimum. Ad euitandum igitur tale grauissimum peccatum; ea consuetudo nullatenus est retinenda.

9 Argumentum quidem, primore aspectu, speciem validissimam videtur offerre. At, re vera, nullius propemodum est roboris.

Quocirca: concessis doctrinis, tùm Caietani, tùm Suarez, quæ tamen sic intelligendæ sunt, vt paulò infrà declarabimus; & concessis pariter, quæ ex his doctrinis, in bona consequentia, inferuntur; absolutè neganda est minor,

quæ

quæ subsumebatur. Et ratio negationis ea est: quia (vti vidimus, in Appendice, posita, in fine secundæ Partis) illa dicuntur incerta, quæ; suæ certitudinis nullos certos auctores, nullásque certas, aut rationes, aut causas habent. Miraculosa verò Facta, de quibus agimus, certos illos auctores, & certas illas rationes, & causas habent; quæ, totis tribus antè memoratis Partibus, explicatæ, perquamfusè sunt: & præsertim,præter hæc,approbata sunt ab Ordinario, cui de Iure competebat. Et quanuis, congruenter illi certissimo principio, quòd, *Quæ sunt Fidei, non determinantur ab Episcopis*, (vt videre præterim est apud Siluestrum, verbo, *Casus*, q. 1. sub initium) huiusmodi Miraculosa Facta, vt ab Ordinario approbata, certitudinẽ Fidei, cui subesse falsum non potest, haud habeant; ad differentiam quidem eorum, quæ in ordine potissimùm ad Seruorum Dei Canonizationem, approbantur à Sede Apostolica, quæ (ex dictis, Prima Parte, Quæst. 3. Sect. 4. num. 53. iuxta Scacchum) in huiusmodi, tanquam in ijs, quæ indirectè spectant ad Fidem, errare non potest; habent tamen certitudinem humanam, quam Dominicus Bañes (ad 2. 2. q. 4. in Commentario articuli 8. vers. *secundo obijcitur*) moralem vocat: certitudinem, nimirum, illam, quæ nititur humanis rationibus, secundùm dictamen Prudentiæ, pro veris iudicatis, & approbatis. Quam certitudinem sufficere, nedum ad humanum conuictum, nimirum, ad hoc, exempli gratiâ, vt certi simus, hunc determinatum hominem huius alterius determinati hominis esse filium, & id genus alia; sed etiam ad Religionis cultum: videlicet, ad hoc (exempli rursum gratiâ) vt simus certi, hunc particularem hominem esse verè Sacerdotem, & hæc Sacramenta, quæ conficit, vel confert, esse vera Sacramenta; idem, ibidem,expresse tradit.

Quod adeò verum est, (quemadmodum sapiens iste Ma-

Magister subdit) vt oppositum asserens, esset profectò perturbaturus, non solùm ipsum humanũ conuictum; sed ipsum Christianam quoque Religionem vniuersam. Nemo enim certus esse posset, patrem suum esse, quem audit esse talem; Sacramenta vera esse, quæ recipit & adorat; Sacerdotem verum esse, quem, vt Sacerdotem colit; & sic de huius generis quamplurimis. Videatur ipse Bañes.

10 Cùm itaque Facta Miraculosa, de quibus dissertamus, habeant, ex his, certitudinem saltem humanam, & moralem, à dictamine Prudentiæ dependentem; certitudinem, inquam, illam, quæ sufficit, ad Religionis cultum, ac proinde, ad hoc, vt, per illorum Prædicationem, tribuatur ille cultus Virgini Deiparæ, de quo loquebamur, in Præfatione, cultus, nempe, Hyperduliæ, quæ species Religionis est; quàm quidem certitudinem ijsdem Factis inesse, apertè clarebit, si memoriâ repetamus, primùm, in quo, tale dictamen, siue iudicium Prudentię situm sit, de quo iam fati sumus, ex Lessio, Parte Secunda, quæst. 2. num. 71. deinde verò, quæcunque, ipso ab initio Scripturæ nostræ huius, exarauimus; hinc apertè dignoscitur falsitas minoris, quæ fuit subsumpta: & quàm iurè, ac meritò præterea negauerimus eandem; quod erat nostrum propositum.

Ex qua minore sic falsa, atque adeò negata; neque deducitur, nisi cum eadem falsitate, quod deducebatur in argumento: Prædicare illum, scilicet, mendacia, grauissiméq; proinde peccare, qui prædicat Facta memorata; & quod reliquum erat consequentis. Quia, cùm Suarez asserit, *Affirmare incerta pro certis, esse mendacium*; loquitur de incertis, quæ certitudine carent humana, & morali: non de ijs, quæ non habent certitudinem Fidei. Pari modo: cum Caietanus dicit, *Prædicare mendacia, grauissimum esse peccatum* (secluso mendacio, quod, expressè ait, esse contra doctrinam Fidei, quódque, in casu nostro, non habet

bet locum) de ijs mendacijs intelligendus, absque dubio, est; quæ eâdem certitudine humanâ, & morali solummodo destituuntur. Etenim aliàs, ex hisce doctrinis illa sequerentur absurda, quæ tetigimus, ex Bañes.

11 Ad Assumptum verò, quo probabatur minor, quã negamus; Dico: Falsum pariter omnino esse: quòd, incerta sint illa Miracula, seu Miraculosa Facta, quæ non expressè, & Iuris ordine seruato, verùm tacitè duntaxat approbata sunt, ab eo, à quo, de Iure. Quandoquidem, si hoc admitteremus; proportionaliter dicendum etiam esset illud: quòd incerti essent Sancti omnes, quorum Sanctitas, non per expressam Canonizationem, ab Apostolica Sede; sed tantùm per tacitam, approbata est: quales (Parte 3. duobus in locis, iuxta Bellarminum) obseruauimus, vniuersos fortè illos esse; qui vniuersaliter, in Ecclesia, tãquam Sancti, ante Leonem III. colebantur. Quod, quàm sit absurdũ, imò, & in Ecclesia Dei nouũ, scandalosum, ac temerarium; nemo sanè non videt. Vnde: sicuti ratio, quare incerti non sint prædicti Sancti, ea est (vt iam, in eadem Tertia Parte, Sectione secunda, num. 37. diximus) quia certitudo illorum ex eo pendet, quòd in huiusmodi, P. P. errare non potest; ita ratio, quare incerta non sint Miraculosa Facta, quæ non expressè, & seruato Iuris ordine, verùm tacitè tantùm sunt approbata, illa est; quòd eorum certitudo (vt, & loco citato scripsimus, & paulò suprà repetiuimus) pendet à Prudentiæ iudicio, atque ita, moralis, & humana certitudo est; ad Religionis actus (vt firmauimus ex Bañes) omnino sufficiens.

Secundum argumentum patebatur à Iure positiuo, tali pacto. In Concilio Lateranẽsi, sub Leone X. sess. 11. Euangelici Prædicatores prohibentur, Miracula prædicare, quæ à Sede Apostolica approbata non sint. At verò: Miracula, de quibus disputamus, à Sede Apostolica non sunt

ſunt approbata; ergo conſuetudo, prædicandi ea, retinenda non eſt.

Sed, quid ad hoc argumentum reſpondendum ſit, habetur diffusè, Parte 3. Sectione 1. tota Parte 4. Paragraphi ſexti. Quod (ne ſemper eandem, vt aiunt, cantilenam canam) ibi videatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

An conſuetudo retineri poſſit, occaſione Miraculoſorum Factorum, de quibus agimus; Feſta celebrandi.



HÆc vniuerſa Queſtio, tres in Sectiones, eſt ſecanda: quarum ſecunda dumtaxat, ac tertia, non autem prima Paragraphos, Diſtinctiones, & reliqua, de more, continebunt; vt patebit.

SECTIO PRIMA.

Iaciuntur, ad reſoluendum, Fundamenta decem: vbi, de Feſtis non pauca.

QVanuis hæc Sectio, ſolitis partitionibus, non diuidatur; tamen iacienda Fundamenta, de quibus in titulo; diſtinctè diſponentur, ordine ſequenti.

Fundamentum Primum.

1 COnſuetudo, Pinnæ Billorum, vigens, Feſta celebrandi, Miraculoſorum Factorum iſtiuſmodi

occasione, diebus ijs, qui (§. 1. Procemialium, num. 4.) tacti sunt; videlicet, celebrandi Festum, occasione Facti Lacrymarum, tertio die Veneris Martij, & celebrandi Festum, occasione Facti Liberationis vtriusque, die 23. Februarij; cepit iam tum initium (quemadmodũ, Quęstione pręcedente, dictum est de consuetudine, prædicandi Facta eadem, & Seniores, de quibus meminimus alibi, testantur) cùm illa, ibidem, edita fuerunt: & iugiter seruata est, ad hos vsque dies, & nunquam intermissa.

Modus tamen hic est: vt, quanuis vtrunque Festum à Miraculis Virginis Matris occasionem acceperit; Festum nihilominus Lacrymarum tantùm, in honorem ipsius, celebratum semper sit; non autem Festum Liberationum: quod quidem introduxere Maiores, vt, in honorem Sancti Sireni Martyris, celebraretur. Cuius rei, postremò dictæ, non aliam esse rationem, puto; nisi, quia tali die, quo semel, atque iterum, diuersis annis, liberati, mirum in modum, fuerunt ab hostilibus armis; vel descriptum inuenerunt illum, in Kalendario, quod imprimi solet, cum Officio paruo Dei Genitricis; vel potiùs, in Martyrologio Romano, post enunciatam Sancti Apostoli Matthiæ Vigiliam, primo loco, legerunt, per hæc verba: *Apud Sirmium, Beati Sireni Monachi, & Martyris, qui, iubente Maximiano Imperatore, tentus; cùm, se Christianum esse, confiteretur; capite cæsus est.* Hac de re autem quicquid sit; illud vnum habemus, ex iam dictis: consuetudinem istiusmodi, vtpote valde antiquam, & nunquam intermissam; esse, procul dubio, introductam. Quod quidem palam fiet, si applicentur illi, quæ iam scripta sunt, in superiore Quæstione, Sectione prima. Ex huiusmodi enim applicatione, primò videbimus, consuetudinem hanc esse collocandam, inter illas, quæ dicuntur, præter Legem; deinde, additis, quæ hîc prodidimus; concludemus, eam esse plùs quàm

intro-

introductam. Atque hoc est sanè vnum ex ijs, quæ, secundùm ibidem explicata, necessariò in illa requirũtur. Num verò sit illa rationabilis, & Num, in eadem, reperiantur alia requisita; fiet manifestum, ex dicendis.

Fundamentum Secundum.

2 CIrca Festorum instituendorum, ac celebrandorum causas (omissis ijs, quæ multi dicunt) Sanctus Thomas, in Ioannem, cap. 10. lectione 5. littera, b; docet ea, quæ sequuntur. ***Omnia Festa celebrantur***, inquit ipse, ***in Ecclesia, in commemorationem diuinorum beneficiorum. Isaiæ 63. Miserationum Domini recordabor, &c. et in Psal. 117. postquàm Dauid commemorauit multa beneficia Dei, dicens, Confitemini Domino, quoniam bonus, &c. subdit: Constituite diem solemnem, in condensis, &c. Recolimus autem diuina beneficia, nobis exhibita, tripliciter. Quandoque quidem, vt exhibita nobis, in capite nostro, Domino Iesu Christo. Et sic celebramus Festum Natiuitatis, et Resurrectionis, et huiusmodi. Quandoque, vt exhibita nobis, in membris nostris, scilicet, in Sanctis, qui sunt membra Ecclesiæ; et hoc congruenter. Quia (vt dicit Apostolus, 1. Cor. 12.) Si gloriatur vnum membrum, congaudeant omnia membra. Et sic, celebramus Festa Sanctorum Petri, et Pauli, et aliorum Sanctorum. Quandoque autem, prout sunt exhibita toti Ecclesiæ; puta, in ministerio Sacramentorum, et in alijs, communiter Ecclesiæ collatis. Et quia, Domus materialis est quasi signum collectionis Ecclesiæ Fidelium, et etiam, in ea, omnia Sacramenta gratiæ dispensatur; ideo, in memoriam ipsorum beneficiorum, Festum Dedicationis Ecclesiæ celebratur.*** Sic Sanctus Thomas. Quocirca, iuxta illum, in beneficiorum trium generum commemorationem, celebrantur Festa: in commemorationem,

videlicet, beneficiorum, collatorum nobis, in Capite nostro: in commemorationem beneficiorum, collatorum nobis, in Membris nostris: & in commemorationem beneficiorum, collatorum Ecclesiæ. Cùm autem (vt bene Siluester habet, verbo *Ecclesia*, 1. in principio) detur duplex Ecclesia, altera, nempe, vniuersalis, quæ populus Dei est, per totum orbem diffusus, altera particularis, quæ populus item Dei est vnius, vel Prouinciæ, vel Ciuitatis, vel Oppidi, vel Castri; sequitur: vt, quemadmodum, in memoriam beneficiorum, toti, & vniuersali Ecclesię collatorum, à tota, & vniuersali Ecclesia Festa celebrantur; ita possint celebrari Festa (quemadmodum, de facto celebrantur) à particularibus Ecclesijs, in memoriam beneficiorum, particulariter sibi collatorum.

Fundamentum Tertium.

3 Occasione Miraculosorum Factorum, de quibus nos; ipsa Dei Genitrice deprecante, ac iuuante; tria maxima beneficia Pinnenses acceperunt à Deo. Quorum primum est; Admonitos ipsos fuisse de bellis imminentibus, per Sacrosanctæ Imaginis Deiparæ prodigiosas Lacrymas: secundum verò, ac tertium; eosdem bis fuisse liberatos ab ipsis bellis, iam sibi motis: primò quidem, per Ignitos Radios; deinde verò, per Apparitionem eiusdem Virginis Deiparæ. Quæ omnia, dilucidis, ac publicis Inscriptionibus, allatis alibi à nobis, ijdem perquamidoneè testati quoque sunt. Hæc autem tria tanta beneficia, sufficientes fuisse causas, instituendi noua Festa; in eorum commemorationem, pro particulari Ecclesia Pinnensi, quæ accepit illa; nullum sanè potest esse dubium. Quemadmodum, pro populo quondam Hebræorum, liberatio eorundem, tempore Hester, sufficiens causa fuit institutio—

tutionis noui Festi, quod vocabatur Sortium (vt scribitur, in capite 9. libri Hester ipsius) & victoria, quam retulit Iudith, de exercitu Regis Assyriorum, Principis Holofernis tam gloriosè ablato capite; altera sufficiens causa fuit institutionis alterius noui Festi, de quo mentionem facit libri eiusdem Iudith vltimum caput. Quæ benè notat Cardinalis Bellarminus, tomo 2. Controuersiarũ, controuersia 4.lib.3.cap.16.vers. *Ad tertium dico*. Et, postremis temporibus, victoria illa insignis, à Christianis, bello nauali, Dei Genitricis auxilio, die septima Octobris, Anno salutis 1571. de Turcis reportata; à Pio V. & à Gregorio XIII. sufficientissima causa existimata est; vt, pro tota Ecclesia Catholica, sicuti beneficium toti Ecclesiæ Catholicæ fuit collatum; noua, & annua Sanctissimi eiusdem Dei Genitricis Rosarij Solemnitas, primis certè annis, die memorata recurrente, postmodum autem, prima Dominica die mensis præfati; quotannis, in eius memoriam celebranda; institueretur. Qua de re, legendum est, dicta septima die Octobris, Martyrologium Romanum, cum ijs; quæ ibi addit Baronius, in Notis.

4 Illud porrò, de Festorum instituendorum, ac celebrandorum huiusmodi causa, aduertendum insuper est: quòd, cùm oporteet (ex Suarez, tom. 1. De Relig. tract.2. lib.2. cap.11.num.6.) *Festum, & religiosum cultum, in veritate, fundari*; ea debet esset vera, & certa: quemadmodum, veræ, ac certæ sunt Festorum nostrorum, de quibus agimus, causæ; quod (vt sæpe diximus) præcedentibus tribus Dissertationis huius partibus, est ostensum.

Et quanuis idem Suarez, ibidem, adiungat; facultatem, approbandi veritatem, quæ fundamentum Festiuitatis est, Episcopis non esse commissam; attamen loquitur expressè de Festiuitatibus, quæ, pro fundamento, habent aliquod Fidei mysterium: vt sunt Festa, quæ in solius Dei, & Chri-

sti Domini venerationem, ordinantur; ac de illis, quæ instituuntur, ob specialem aliquam rationem Sanctitatis, etiam Sancti illius, qui alióquin indubiè creditur Sanctus ab Ecclesia: vt, exempli gratia, ob Sanctam Natiuitatem; ob Sanctam Conceptionem; & ob similia. Cùm enim Episcopi nihil quidē, ad Fidem spectans,& ad Sanctitatem alicuius (quod obiter vidimus alibi) determinare possint; necesse est: vt veritates Fidei, & rationes nouę Sanctitatis, etiam illius Sancti, qui iam habetur pro Canonizato, ad hoc, vt nouorum Festorum fundamenta sint; ab Ecclesia Romana comprobentur. Non autem loquitur de Festiuitatibus, quæ, pro fundamento, habent Miraculosum Factum aliquod iam Canonizati Sancti. Cùm siquidem, ab Episcopis (vt tertia Parte diximus) hoc approbetur; consequens etiam est, vt veritas fundamenti similium Festiuitatum ab Episcopis, absque Sede Apostolica, valeat approbari. Et, re vera,talis est (vt expresse patet) veritas fundamenti Festiuitatum nostrarum; de quibus, in præsentia, verba facimus.

Sed, apparet ad extremum ex dictis, in hoc, & in secundo Fūdamēto, quàm sit ea consuetudo rationabilis; quam examinamus, hac in Quæstione.

Possent etiam hîc notari aliqua, pro demonstrando, quòd eidem consuetudini accessit semper, tanquam Superioris, Episcopi Feretrani tacitus, vt minimum, consensus; et quòd, non per errorem, est eadem introducta. Sed ad primū, sufficiunt, quæ, Tertia Parte, dicta sunt; & ad secundum accomodantur, quæ dicta sunt, hac Parte, in simili, prima Sectione. Est igitur ad vlteriora procedendum.

Fun-

Fundamentum Quartum.

5 AD rectam celebrationem alicuius Festi, ex Christiana institutione, & vsu, duo concurrunt; ***in quibus, tota Festi ratio est posita: sanctum, nimirum, Otium à terrenis, & Studium diuinorum.*** Hæc Scacchus, De Cultu, & Veneratione, Seruorum Dei lib. 1. Sect. 10. cap. 2. vers. ***Vt autem.*** Ad primum pertinet ab operibus manuum abstinentia: ad secundum piorum operum exercitia, quod est clarissimum.

Fundamentum Quintum.

6 ABstinentiam ab operibus manuum, & ab actibus iudicialibus, & forensibus, indicere possunt Magistratus, & Principes Ciuiles, & Respublicæ. Sic eam indicunt lex, ***Omnes iudices***, & lex, ***Omnes dies***, C. De Ferijs. Hoc tamen modo, ob huiusmodi Laicam, & Ciuilem indictionem, abstinere à prædictis; non est sanè seruare Festa sacra, ac sancta: sed tantùm ciuilia. Et idcirco talis indictio, conscientiam obligandi, vim habere, dicenda nequaquam est. Azorius Institut. moral. p. 2. lib. 1. cap. 26. q. 5. & alij; maximè Suarez, loco citato, cap. 12. per totum.

Fundamentum Sextum.

7 ABstinentiam ab operibus manuum, & ab actibus iudicialibus, ac forensibus, obseruandam, ex motiuo Religionis, & Religiosæ Obseruantiæ, & actus etiam quoscunque virtutum istiusmodi exercendos (in quibus duobus, totam Festi rationem positam esse, iam di-

ximus) non solùm ad Romanum Pontificem, in tota, atque vniuersali Ecclesia; sed etiam ad Episcopos omnes, in suis Diœcesibus, indicere, de Iure, pertinet: id quod apertè patet, ex capit. *Conquestus*, De Ferijs. Ibi enim, postquàm Gregorius IX. enumerauit vniuersalia Festa totius Ecclesiæ; addit: *Ceterisque Solemnitatibus, quas singuli Episcopi, in suis Diœcesibus, cum Clero, et populo, duxerint, solemniter venerandas*. Et idem sancitum antea fuerat, etiam in Canone 1. De Consecratione, dist. 3. qui desumptus est, ex Concil. Toletano 3. can. 23.

Atque hoc omne, haudquaquam dici debet abrogatum, per nouam Constitutionem Vrbani VIII. incipientem, *Vniuersa*, quæ pro obseruatione Festorum, sub dat. Romæ, idibus Septembris 1642. emanauit. In ea siquidem, haud sanè prohibentur Episcopi, noua Festa indicere: sed monentur tantùm, *Vt, ad Ecclesiasticam vbique seruandam æqualitatem; de cetero, perpetuis futuris temporibus, ab indictione, sub præcepto, nouorum Festorum, studeant abstinere* Legatur omnino Constitutio.

Fundamentum Septimum.

8 POtuit hactenus consuetudo Laicorum, auctoritate Episcopi expressè, vel tacitè confirmante, noua Festa introducere. Sic, ex Azorio, loco cit. q. 6. & ex alijs. Sed, huiusmodi consuetudo, iam introducta, nunc, per prædictam Vrbani Constitutionem, ampliùs, sub præcepto, non obligat: etiamsi, transactis temporibus, obligasset. Huius enim Constitutionis, ad hoc propositum, isthæc sunt verba: (quæ habet, enumeratis primùm diebus, vt Festis, vbique colendis:) *Ad reliquorum verò dierum obseruantiam, quos hactenus, siue in vniuersa Ecclesia, siue in quauis Natione, aut Regno, Prouincia, Diœcesi, aut loco,*

loco, quomodocunque, siue ex praecepto, siue ex consuetudine, siue ex deuotione, Christifideles, tanquam Festiuos celebrarunt; nequaquam ex praecepto, ipsos teneri dicta auctoritate, tenore praesentium, perpetuò etiam decernimus, et declaramus.

Fundamentum Octauum.

9 COmmunitas Laica se voto potest obligare, ad al.quod particulare Festum obseruandum. Sed, sine Episcopi auctoritate, non plus potest, circa noua Festa, etiam per votum; quàm ipsi Principes Laici. Quare, tale votum obligabit duntaxat, ad abstinendum à ciuilibus, publicis, & forensibus functionibus, & operibus manuum. Ab aliis autem, vt est, Rem Diuinam audire; nihil omnino: ad quod, equidem obligabit, si Episcopi accedat auctoritas. Hoc tamen votum, cùm tantùm vouentes adstringat; ad posteros, qui se voto non adstrinxerunt (titulo tantùm voti) haudquaquam protenditur: quod quidem totum hauritur, ex eodem Azorio, vbi suprà, quaest. 7. quicquid, praesertim de voto, ad posteros protendendo; dicant aliqui alij contra ipsum. Et, per memoratam Vrbani Constitutionem, huiusmodi vota, quae maximè ante ipsam fuerant emissa; expressè ablata non apparent. Puto tamen: vt moniti, quod (vt suprà vidimus) ibi datur Episcopis; debere illos, post ipsam, ab auctoritate sua praestanda similibus votis, abstinere. Quia, talibus nouis votis praestare auctoritatem Episcopos; est, illos noua, sub praecepto, Festa indicere: quod est contra mentem constituentis Pontificis. Non assero tamen propterea, contra id, quod suprà statui, hanc auctoritatem praestandi, Episcopis esse prorsus ablatam facultatem.

Fun-

Fundamentum Nonum. Vbi, tum Additio, tum Dubium quoddam, & Solutio.

10 INter opera pia, seu religiosa, quæ sunt alterum è duobus, in quibus (vt iam dicebamus) tota ratio Festi est posita; Missæ tantùm Sacro adesse, obligat sub præcepto. Atque, in hoc, omnes conueniunt.

Ad perfectam tamen Festi celebritatem: requiritur etiam vlteriùs, tanquam spectans ad Religionis opera, speciale aliquod, vel proprium, vel desumptum de Communi, rite tamen Festo accommodatum, tum, quantùm ad Missam, tum, quantùm ad Horas Canonicas, quod ab Ecclesiasticis persoluatur, & à Laicis audiatur; Officium. Quod patet, ex praxi Festorum omnium, quæ sunt, & in Tabella Festorum mobilium, & in Kalendario Romano, descripta; quæque, iuxta Rubricas Romani Breuiarij, possunt, ac solent celebrari.

11 Porrò autem: iuxta Romani Breuiarij Rubricas (præter ea, quæ sunt, in dictis Tabella, & Kalendario, descripta) celebrari possunt Festa Sanctorum eorum, qui dicuntur locorum Patroni: Festa item eorum, qui dicuntur Ecclesiarum Titulares: ac demum Sanctorum eorum Festa, quæ, apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes, consueuerunt solemniter celebrari. Atque, in his, recitari possunt (quantùm ad vtrũque ex prædictis) vel Officia illa propria, quæ approbata sint à Sede Apostolica; vel, quæ sumantur de Communi congruente. Sic (quantùm quidem ad Horas Canonicas) ex titulo 1. Rubricarum generalium Breuiarij, num. 1. cuius verba referentur infrà: quantùm verò ad Missam; ex Rubricis generalibus Missalis, in principio: vbi Missam quotidie dici, secundùm ordinem Officij, præscribitur.

Ad-

Additur aliquid, & pergit Fundamentum.

12 SEd hîc addendum est: quòd, videtur Gauantus, vbi infrà, dubitare; Nũ huiusmodi consuetudini, per Pij V. Bullam de suo Breuiario, vbi re vera consuetudines quædã reuocantur; derogatũ sit. Veruntamen, immeritò sanè. Tum, quia dubitare sic, est etiam dubitare, Num sibi contradicat ipse Pius V. tale nanque dubium includeret hoc aliud consequenter, Num, in dicta Bulla; vbi, manifestè iubet idem Pontifex, vt psallatur deinceps, iuxta præscriptum, hoc est, iuxta Rubricas eiusdem sui Breuiarij, per quas, de consuetudine præscribitur, quod iam dictum est, eandem simul reuocet cõsuetudinem; quæ quidem est aperta contradictio, proindéque maximum absurdum. Tum, quia dilucidissimè claret, ex eadem Bulla, non consuetudinem per illam reuocari, de qua facimus nunc verba; sed consuetudines eas, quæ multis vigebant tunc in locis, precandi, ac psallendi, more, ac ritu Breuiariorum, per præfatam Bullam, suppressorum; cuiusmodi erant Breuiarium Cardinalis Quignonij, & alia quæcunque Breuiaria, ibi, quomodolibet peruulgata, vbi aliàs, Officium diuinum, Romano ritu, dici consueuerat; nisi hæc peruulgatio ducentos annos antecessisset. Quod, vt, verum esse, cognoscamus; en Bullæ verba. *Omnes verò*, inquit, *& quascunque Apostolicas, & alias permissiones, ac consuetudines, & statuta, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia firmitate munita, necnon priuilegia, licentias, & indulta precandi, & psallendi, tam in Choro, quàm extra illum, more, & ritu Breuiariorum, sic suppressorum, &c. omnino reuocamus, &c.* Sic Bulla, quæ sanè clariùs loqui non poterat.

Hæc verò, cùm ita sint: nihil est opus, pro soluendo du-

dubio, nunc ad illam confugere distinctionem; ad quam Gauantus confugit: dum, de consuetudine, solemniter, ac non solemniter, cum Officio, celebrandi Festa, distinguens; hanc, non illam reuocatam esse, concludit. Ad quid enim talia, cùm luculenter Bulla, suis ipsis verbis (quod *vidimus*) declaret, quas reuocet consuetudines?

13 Attamen, circa Festa, quæ celebrantur, ex consuetudine, quæ reuocata nullatenus est; ad hoc, vt in ijs fieri possit Officium, absque noua Sedis Apostolicæ concessione; necesse est: non solùm hoc Officium, si proprium sit, approbatum esse ab eadem Sede; vel, si non sit proprium, de Communi Breuiarij Romani, & iuxta formam ipsius, esse desumptum; sed, consuetudinem huiusmodi præterea, priùs quàm Constitutio, siue Bulla memorata Pij V. quam suo Breuiario præfixit, emanasset; hoc est, ante annum salutis 1568. qui emanationis prædictæ fuit annus; iam fuisse introductam: & habuisse pariter omnia, quæcunque requiruntur, ad validam consuetudinem: cuiusmodi sunt, esse illam legitimè introductam; esse rationabilem; esse scitam, ac toleratam à legitimo Superiore, cui de Iure; cum ceteris eius generis, de quibus, Quæstione præcedente, atque hîc, in fine tertij Fundamenti.

Quòd autem sit necesse, consuetudinem hanc fuisse introductam, ante prædictæ Constitutionis emanationem; apertè habetur, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, quod legitur, in Breuiario, postremùm reformato, post Bullam Vrbani VIII. per hæc verba expressum. *Sacra Rituum Congregatio declarauit, & decreuit, non potuisse, post Bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam Sæculares, quam Regulares, addere Kalendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia, conceduntur: Neque*

que propria auctoritate, quouis praetextu, mutare ritum, qui habetur, in Kalendario Romano, seu Rubricis Breuiarij, in altiorem ritum: Neque extendere concessa Officia, de loco ad locum. Hæc ibi.

Dubium, de quo suprà, & Solutio.

14 VErùm hîc, inquirendum restat adhuc, & videndum illud vnũ omnino: Quinã esset, nimirũ, ante prædictam Bullam Superior legitimus, cuius, tum scientia, tum tolerantia consuetudinis huiusmodi, necessariò requireretur; ad eam validam efficiendam.

Cui Quæsito, sic censeo, respondendum: Quòd, nempe, Legitimus huiusmodi Superior (si loquamur de cõsuetudine Sæcularium Clericorum) tũc tẽporis, de Iure, nullus erat alius; nisi proprius Episcopus: si de Regularium consuetudine loqamur; erat, eodem tempore, Ordinarius illorum, qui iurisdictionem haberet, quasi Episcopalem.

Horum vtrunque supponitur sanè, in Decreto, quod modò retulimus: quatenus ibi decernitur, nõ potuisse, post Bullam Pij V. &c. locorum Ordinarios, tam Sæculares, quàm Regulares, addere Kalendarijs, &c. Vbi, *τὸ*, *post*, excludit omne tempus, dictam Bullam antecedens; ac decernit, pro eo tantùm tempore, quod illam sequitur: iuxta ea, quæ bene scripsit Bartholus, dum, in legem 2. §. *Creditum*, num. 7. ff. De Rebus creditis, si certum petatur, hæc infit. *Cùm dico, ante Kalendas, significo totum tempus, quòd est, ante eas finitas; & de eo, quod sequitur, nihil pono. Cùm dico, post Kalendas, significo totum tempus, quod sequitur, post eas finitas; & de eo, quod praecedit, nihil pono.* Et videndus est etiam Barbosa, De Dict. dict. 270. num. 4.

Et

Et ideo Gauantus (tomo 2. sui Thesauri, sect. 2. cap. 2. num. 24.) declarans prædicta verba Decreti: sic habet: ***Hoc est***, inquit, ***non potuerunt addere, post publicatam Bullam Pij V. quod poterant antea***, & apertè loquitur, vt cùm maximè.

15 Sed, si de Episcopis præcisè sermo fiat; (postpositis ijs, quæ recenset, ex Glossa quadam, quam reperire nullatenus ipse potui, Doctus Emanuel Rodriquez, Quæst. Regularium tomo 1. q. 47. in ipso articuli vndecimi principio, vbi, quod asserimus, expresse tradi videtur;) Illud sanè, vti certum, solidè probat Assertum nostrum: quòd, sua scientia, tolerantiáque, consuetudinem, de qua loquimur, validam efficere; ante Pij Bullam, non erat reseruatum, vllo modo, Papæ. Recognoscantur, quæ, hac de re, dicta sunt, in 3. Parte Sect. 1. tum, num. 51 tum, numero 78. & apertè concludetur; verum esse, quod nunc aio. Sed, quod non est reseruatum Papæ, intelligitur Episcopis, in suis Diœcesibus, cōcessum: ex illo axiomate, quod, ijsdem locis, allatum, & explicatum est. Ergo, &c.

Neque ingerāt alicui difficultatem, hîc, allegati quidam textus, per Quarantam, in sua Bullarij Summa, verbo, ***Archiepiscopus***, auct. 22. quibus ostendere conatur, hoc ipsum, de quo loquimur, Archiepiscoporum, de Iure, tunc fuisse munus. (Licèt Gauantus, loco cit. num. 22. putet, huiusmodi textus indifferenter fauere, hac in re, Archiepiscopis, atq; Episcopis: sed, Num verè, iudicent alij.)

Quia, textus huiusmodi, partim desumpti sunt ex Cōcilijs Prouincialibus, vt can. ***De ijs***, 12. dist. ex Tolet. 11. c. 3. can. ***Altaria***, 1. De Consec. dist. 1. ex Concil. Epaunensi, c. 26 27. can. ***Institutio***, item de Consec. dist. 2. ex Concilio Gerundensi, c. 1. & referuntur à Gratiano, in suo Decreto, citatis locis; & partim ex Decretalibus, vt cap. penult. De Sponsa duorum, & cap. ***Dilectus***, 2. De

Si-

Simonia, & cap. 1. De Postulatione Prælatorum.

16 At, qui desumpti sunt ex Concilijs Prouincialibus; obligant, in suis tantùm Prouincijs: vt, ex Granado, scribit Diana, parte 5. tract. 4. resol. 26. vbi, ex eodem, similiter asserit, Gratiani Decretum, per se, vim Legis non habere, quod etiam addendum est, de Glossa quadam, quã, inter hos textus, refert idem Quaranta; & est Gloss. in cap. penult. De Celeb. Miss.

Qui verò desumpti sunt ex Decretalibus; in specie de illo, quod asserimus nos (vt ex eorum lectione manifestè claret) non loquuntur. At, cùm versemur, in odiosis valde (agitur enim, de minuenda Potestate Episcoporum) non debet Pontificia Lex, de casu expresso ad non expressum, extendi; sicut alibi fundatè monstratum est. Adeatur Layman, lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 8. vers. ***Aliud.***

17 Si autem loquamur præcisè de Regularium Ordinarijs; Certum est (vt verbis vtar S.Thomæ, vbi mox) Multitudinem Religiosam liberam nõ habere potestatem, per se, condendi sibi Legem. Nam (vt optimè scribit Sanch. Oper. mor. lib. 6. cap. 2. num. 31.) Superioris, cum maiori parte Capituli Generalis (vbi non tota Multitudo, sed Vocales tantùm, habent vota decisiua) est, pro Religiosis, condere Statuta. Sed S. Thomas (1. 2. q. 97. a. 3. ad 3.) scribit hæc: ***Si multitudo non habeat liberam potestatem, condendi sibi Legem, vel Legem, à Superiori Potestate conditam, remouendi; tamen ipsa consuetudo, in tali multitudine, praualens, obtinet vim Legis; in quantùm per eos toleratur, ad quos pertinet, multitudini Legem imponere.*** Hæc ille. Igitur, cùm ad Superiorem Religionis principaliter (ex Sãchez) pertineat condere Statuta, pro Religiosis; ad illum etiam (ex S.Thoma) de Iure, pertinebat, ante Pij Bullam, in futurum id reseruantem, principaliter, pro ijs, dare vim consuetudini, de qua nos: vt eam illi dabant Augusti-

nen-

nensium Constitutiones; quarum verba referentur infrà. Videatur Suar. De Relig. tomo 2. lib. 4. cap. 23. num. 2. cum cæteris, quos citat; vbi, iam dictis maximè fauet.

Obiectiones duæ, cum Responsionibus.

18 SEd dicet aliquis in contrarium,

Primò. Volunt quidã, cõsuetudinẽ, de qua loquitur, dicto loco, Rubrica; consuetudinem tantùm illam esse, quæ scita, ac tolerata erat, ante Pianam Bullam, à Summo Pontifice. Ergo, secundùm hos, ad Summum Pontificem tantùm spectabat, validam illam efficere: atq; ita excludebantur Episcopi, & Superiores Regularium.

Respondetur: quòd, quæ dicti quidam volunt; solidam non videntur habere veritatem. Quia, cùm Rubrica, ibi, de consuetudine, quæ introducta sit, ex ipsa scientia, tolerantiáque Summi Pontificis, ac de consuetudine, quæ sit, ex aliorum Superiorum prædictis duobus, introducta, non distinguat; neque nos (ex effato illo receptissimo, de quo Barbosa, in Axiomatibus, axiomate 136. num. 4. cum multis, quos citat) distinguere debemus: imò (iuxta illud aliud effatum, quo vsi sumus alibi) verba talis Rubricæ simpliciter (quod negari non potest) prolata; simpliciter quoque debemus intelligere. Atque ita, bene comprehendunt consuetudinem, validam effectam, per scientiam, ac tolerantiam, tum Episcoporum, tum Superiorum Regularium respectiuè.

Assentior quidem eisdem quibusdam, quando fantur de consuetudine illa; quæ, circa propria, pro Sanctorum Festis, Officia, fuisset introducta. Si quidem, certum est: hanc, vt esset illa valida, semper Summi Pontificis requisiuisse scientiam, ac tolerantiam. Idcirco, in dicta Rubrica Breu. tit. 1. num. 1. legũtur hæc: *Officium fit duplex, &c. &, in Fe-*

Festis Sanctorum, qui, apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes, consueuerunt solemniter celebrari, cum Officijs proprijs, à Sede Apostolica approbatis, aut, ex eiusdem Sedis auctoritate, receptis, vel recipiendis (seruata tamen forma huius Breuiarij) alioquin de communi; etiamsi prædicta Festa, in hoc Kalendario, non sint descripta. Vbi, loquendo de proprijs Officijs, pro Festis eorum Sanctorum, qui non sunt, in Kalendario, descripti; apertè requirit Approbationem, vel Auctoritatē Sedis Apostolicæ: quam nullo modo requirere, apparet, loquendo de cōsuetudine, faciendi Officia simpliciter, in dictis Festis, vel illa faciendi, de Communi. Quocirca, de his duabus consuetudinibus, neque ferendum est idem iudicium.

Præterquam quòd: cùm difficile admodum sit, sciri à Summo Pontifice consuetudines, quæ introducuntur, in locis, extra Romanam Curiam, præsertim autem ab illa remotis, & sic, ex ipsius tolerantia, validas illas fieri; sequeretur proinde: verba prædictæ Rubricæ reddi quasi frustranea, vel certè parum deseruientia: cùm, tali pacto, vel pro nullis, vel pro paucis consuetudinibus, deseruirent; quod absurdum est.

21 Secundò. Consuetudines, quæ de huiusmodi, de quibus nunc scribimus, erant, ante Pianam Bullam, introductæ, in Ecclesijs, ex Episcoporum scientia, ac tolerantia; vocantur ab eâdem Bulla (in Narratione) prauæ. Ergo Episcoporum scientia, ac tolerantia non poterat illas validas efficere. Quia, quod est prauū; nūquam est validū.

Respondetur: quòd, Quæ sint consuetudines, à Piana Bulla vocatæ prauæ; declarant expressè verba illius, quæ sunt isthæc. *Quin etiam*, inquit, *in Prouincias, paulatim irrepserât praua illa consuetudo, vt Episcopi, in Ecclesijs, quæ, ab initio, communiter cum ceteris veteri Romano more, Horas Canonicas dicere, ac psallere consueuissent pri-*

 na-

natum sibi quisque Breuiarium conficerent, &c. Consuetudo porrò faciendi Officium, eodem Romano more, in Festis quibusdam Sanctorum, quæ non sunt, in Kalendario, de quibus quidem ego differo; nullatenus consuetudo est, conficiendi priuatum Breuiarium. Quo posito, non sequitur; quod inferebat argumentum.

Et per hæc, sit Quæsito plenè satisfactum. Quare procedendum est ad alia: si tamen, hoc etiam antè aduertatur: quòd, Plurima, quæ, hoc Fundamẽto 9. cõscripsimus (cùm ijs omnino congruant, quæ Rubricis Breuiarij Romani statuuntur) pro ijs etiam potissimùm sunt dicta; qui eodem vtuntur Breuiario.

Fundamentum Decimum.

22 PRo istiusmodi nostris Festis, de quibus agimus; nullum sanè adest Officium proprium, neque quantùm ad Horas canonicas, neque quantùm ad Missas; quod à Sede Apostolica, vel à Sacra Rituum Congregatione fuerit approbatum, & concessum aliquando: quod est sanè certissimum. Ac de Fundamentis, de quibus, in titulo Sectionis huius, hucusque.

SECTIO SECVNDA.

Ponuntur Quæstionis Resolutiones, ac probantur.

IN primis monendum: Sectionem esse distinguendam, nostro more, ac subdistinguendam, non semel.

§. I.

§. I.

Ponitur, & probatur prima Resolutio.

23 RESpondetur primò. Ab illa cõsuetudine iam antiqua, & inueterata, celebrandi, Pinnæ Billorũ, & Festũ ad honorẽ Dei Genitricis, tertiò Veneris die Mensis Martij, Lacrymarum in memoriam, & Festum, ad honorem Sancti Sireni Martyris, die 21. Februarij, pariter in memoriam vtriusque Liberationis; nullatenus est recedendum.

Supposito autem pro vero, vt re ipsa verum est, quòd huiusmodi consuetudo, inter eas, quæ, præter Legem, dicuntur, sit collocanda (quod quidem, quo modo, palam fieri possit, innuere libuit, in fine primi Fundamẽti) ratio Responsionis hæc est. Quia, in tali consuetudine, reperiuntur illa omnia, quæ consuetudinem prædicti generis (vt monstrauimus, in prima Quæstione, Sect. prima) faciunt retinendam.

Est enim primò legitimè introducta: quod, ex primo Fundamento, clarissimè patet.

Est secundò rationabilissima: quod patet, ex Fundamento maximè tertio; addito etiam secundo.

Est tertiò, tacito consensu Episcopi Feretrani, stabilita: quod patet, ex tertio Fundamento, in fine.

Est demum quartò, non per errorem, introducta; quod patet rursum, ex eodem Fundamento, in fine.

§. II.

Ponitur, & probatur Secunda Resolutio.

24 RESpondetur secundò. Nec etiam puto, recedendum esse ab antiqua similiter consuetudine, recitãdi, Pænę Billorum, congruens Officium hisce Festis: non solùm, quantùm ad Missas; verùm etiam, quantùm ad ipsas Canonicas Horas.

Sed huic Responsioni videntur obstare, quæ Doctissimus Cardinalis de Lugo scribit (Responsorum Moralium lib. 5. dub. 7. num. 8. circa finem) omnno videnda.

Nihilò tamen minùs: expressè, ac principaliter fit ibi sermo, non de Officijs quibuscunque; verùm, de Officijs proprijs duntaxat, à Sede Apostolica mediatè, vel immediatè non approbatis: vt patet cuilibet, citati dubij principium legenti; quod se habet hoc modo. *Desiderabat*, inquit, *Clerus cuiusdã Ciuitatis, in Italia, satis nobilis repetere vsum, qui antea ibi fuerat, recitandi Officia propria, de aliquibus suis Sanctis*, &c. Officia verò propria nullo modo sunt (vt iam suo loco vidimus) illa ipsa, de quibus loquor ego.

Sic responderi potest ac debet etiam ad ea, quæ scribit Angelus Maria Verricelli, in suis Quæstionibus Moralibus, & Legalibus, quæ hoc Anno 1653. prodierunt, tractatu 8. q. 31. quatenus videri possunt his nostris aliquo modo contraria, licet reuera non sint. Adeantur illa, si placet, & legantur.

Id autem quod memoratus de Lugo addit post Decretum (de quo in Fundamẽto nono, superiùs) de Sãctis proprijs locorùm non posse recitari, vel repeti, etiam Officia, sumpta de Communi; intelligendum prorsus est (ex dictis

ctis, in Fundaméto eodé, nisi consuetudo illa recitandi fuisset, ante Pianam Bullam, introducta. Secùs enim Ordinarij locorum, tam Saeculares, quàm Regulares, circa Officia, nihil potuissent, etiam ante Bullam eandem; quod memorato Decreto repugnat expresse: cùm statuit, praefatos nihil potuisse, nec posse; duntaxat post dictam Bullam; vt vidimus.

Quod porrò scribit, in fine, citans Gauantum, post promulgationem talis Decreti, omnes fere Italiae Ecclesias licentiam petijsse, ad suos Sanctos Officijs celebrandos, à Sacra Rituum Congregatione; magnopere quidem laudo, atque approbo; tametsi, facto non fuisset opus: &, si fieret idem, nostris de Officijs; adderetur certè consuetudini, quam respondi, mihi videri, adhuc retinendum, maximum robur. Quare, tum propter hoc, tum propter reuerentiam pariter, ipsi Sedi Apostolicae, ac tantae Congregationi, ab vniuersis debitam; censeo, faciendum illud quamprimum: dum hanc Responsionem praesertim, & quidquid ad Ritus, quomodolibet spectans, toto in hoc Opere, iam scripserim, scripturúsque sim deinceps; Eminentissimorum huiusmodi Patrum iustissimae censurae volo, submissa.

Interim, vt Responsum probem: si loquamur, de Missis tantummodo; nullam ipsum habere difficultatem, videtur. Vt nanque (in 1. tomo sui Thesauri, parte 1. titulo 6. in principio commentarij) notat Gauantus; Missarum Leges Legibus Horarum Canonicarum sunt solutiores. Et ideo (vt idem aduertit, ibidem, titulo 8. num. 4. verbo, *Votiua solemniter*) in die, quo Sanctus aliquis obijt; tanquam in eius Festo, dici potest Missa, desumpta de congruo Communi, etiam cum Hymno Angelico; licèt non dicatur de illo Canonicarum Horarum Officium.

Reliquum est igitur: vt rationem afferamus, quae Re-

 spon-

sponsionis veritatem ostendat, circa Horas Canonicas tantùm.

Sed, quia paucis comprehendi ratio illa non potest; Paragraphum iterum, oportet nos (vt soliti sumus) partiri.

DISTINCTIO PRIMA.

Aduertitur, esse, per terminum simplicem, Officium, Horas Canonicas, claritatis gratia, posthac designandas: quod rectè fieri posse, demonstratur.

25 VT igitur sermo clarus euadat, & in eius colligenda sententia, confusionis nihil generetur; illud est antè aduertendum: quòd, easdem Horas Canonicas, per hunc simplicem terminum, ***Officium***, semper deinceps denotabimus.

Primò quidem: quia, licèt, in Rubricis Missalis Romani, appellatione, ***Officij***, veniat etiam, quod vnicuique Missæ, tanquam proprium assignatur, & ex maiore parte clara voce recitatur, in illa; cuiusmodi sunt Introitus, Oratio, Epistola, Graduale, Tractus, Euangelium, Offertorium, Secreta, Communio, & Postcommunio; quod patet, ex Rubrica illa particulari, quæ post Missam, in Octaua Epiphaniæ, legitur, per hæc verba; ***Si tempus breue fuerit ab Octaua Epiphania vsque ad Septuagesimum, ita vt, Officia sequentium Dominicarum nõ possint expleri, suis diebus; Officia illarum, quæ supersunt, post Dominicam secundam, post Epiphaniam, eo Anno omittuntur, & resumuntur (quo ad Orationem, Epistolam, & Euangelium duntaxat) post Dominicam 23. post Pentecostem, vt, ibi dicitur, in Rubrica***; vbi sanè nullũ est dubium, quin terminus ille, ***Officia***, bis positus designet, quod iam prædiximus; quocirca, nos

nos hactenus, per, *Officium*, intelleximus, non tantùm Horas Canonicas; verùm etiam, & Missas: tamen, in Rubricis generalibus, tum eiusdem Romani Missalis (vt apparet, & ex earum principio, & ex titulis 3. 4. 5. 6. 7. & 9. multis in locis) tum similis Breuiarij (quod per eas passim est videre) tali appellatione, solummodo veniunt Horæ canonicæ.

Secundò verò: quia etiam Scriptores, qui de Horis Canonicis agunt; *Officij* nomine, tantùm intelligunt Canonicas Horas. Et addunt: illas idcirco nuncupari *Officium*; quia, *Clerici, in hoc præcipue munere, Officij recitandi, exerceri, & detineri debent*. Sic Bonacina, De Horis Canonicis, q. 1. puncto 1. num. 5. post Lessium, De Iustitia, & Iure, lib. 2. cap. 37. dubit. 8. num. 41. & alios.

Tertiò demum: quia nos etiam, tali pacto, commodiùs loquemur.

DISTINCTIO SECVNDA.

Ratio secundæ Responsionis, iam positæ, tandem affertur.

26 PORRÒ autem: post hæc, iam oportet rationem illam afferre, quam polliciti sumus. Et eam sanè, arbitror, explicandam, in eum, qui sequitur modum.

In nostro huius Quęstionis Fūdamēto nono, illud apertissimè iam vidimus: quòd, fieri omnino potest congruens illis Officium, in ijs Festis, quæ, ante Bullam Pij V. memoratam ibi, cum Officio pariter congruente, consueuerunt celebrari. Et quidem hoc, ex Romani Breuiarij generalibus Rubricis, loco, ibidem, allegato (tit. videlicet, 1. num. 1.) atque ex Decreto sacræ Rituum Congregationis relato pariter, ibidem, ad verbum, obseruauimus.

Sed Festa nostra, de quibus nunc agimus, ante Bullam eandem, cum sibi congruentibus Officijs, celebrari, consueuerunt; ergo, &c.

Difficultas huius rei tota quippe, in Minori, consistit: quam proinde conabimur, efficaciter comprobare.

DISTINCTIO TERTIA.

Ad allatæ rationis Minorem comprobandam: quædam prænotantur, pro bona intelligentia illius verbi, Consueuerunt, quo vtuntur Breuiarij Romani Rubricæ generales, in loco, quem, & in Dist. proxima citauimus; &, in Fundamento nono, præterea retulimus.

27 SEd ante omnia, debemus Regulam illam recolere; de qua Bonacina, tomo 2. in disputatione, De Legibus, quæ tomi prima est, puncto 8. num. 9. cum multis, quos citat: quòd, nimirum, ***Lex, in materia fauorabili, explicanda, & extendenda est, quantùm verba patiuntur: non solùm, iuxta proprietatem Naturalem; verùm etiam, iuxta Ciuilem.*** Ita ille. Qui, ibidem, num. 1. notauerat: proprietatem verborum Naturalem illam dici; qua verba significant, iuxta eam, propter quam, primò sunt instituta, notionem: vt, cùm hæc dictio, ***mors***, exempli gratiâ; decessum è vita designat: proprietatem verò Ciuilem eam esse; qua, verba, iuxta notionem metaphoricã, vel similitudinariam aliquam, significant; quæ à Iure sit acceptata, & approbata: ita vt proinde, à quibusdã artis Iuridicæ Professoribus (quod non Bonacina, sed alij quidam obseruarunt) propria nuncupetur: vt, cùm eadem dictio, ***mors***, iterum, exempli gratia, Religiosam denotat professionem; quæ, secundùm Iura, mors Ciuilis appellari solet.

Vn-

Vnde patet, primam verborum Legis proprietatem, quæ Naturalis dicitur, esse quidem strictiorem; secundam verò, quæ dicitur Ciuilis; esse latiorem. Adeò vt, per huiusmodi Regulam, sibi Doctores velint: verba Legis, quæ fauorem continet; nequaquam, strictè solùm esse accipienda: sed sanè tam latè; quàm ipsamet verba, iuxta vtranque proprietatem, patiuntur.

Attamen: si fortè accidat, vt verbum Legis aliquod hanc duplicem proprietatem sortitum non sit, sed vnam tantùm; hæc vtique Regula non habet locum. Quandoquidem, cùm verba Legis ad sensus improprios trahi non debeant, nisi ratio, vel necessitas cogat; (vt esset, verbi causa, quando constaret, Legislatorem ipsum secutum esse, in ferenda Lege, improprium sensum; vel quando significatio verbi propria clauderet in se absurditatem; vel quando Iuribus antiquioribus, aut repugnaret, aut derogaret; vel demum, quando recepta consuetudo sic impropriè interpretaretur: quibus de rebus, videndus est, inter ceteros, Layman, lib. 1. tract. 4. cap. 18. num. 6.) sequitur: vt etiam in materia fauorabili, cùm vnum tantùm proprium sensum, vnámue proprietatem tantùm verbum aliquod Legis habet; secundùm illam tantùm, sit exponendum.

28 Deinde, aduertendum est: quòd locus ille Rubricarum generalium, quem adduximus; fauorem omnino includit. Fauet enim Ecclesiijs (vt est clarum) permittendo, & confirmando illarum, circa Festa celebranda, cùm Officijs, consuetudines. Quare verbum illud, *consueuerunt*, quod ibi legitur, & res nostra principalis est; exponendum esset, iuxta proprietatem, nedum Naturalem; sed etiam Ciuilem.

Sed, re vera, tale verbum has duas proprietates prorsus non habet, inter se, distinctas. Certum est enim: proprietatem Naturalem verborum, dici etiam Communem; quia,

quia, nimirum, illa cõmuniter vtuntur Scriptores: quemadmodum, proprietas Ciuilis eorundem dicitur etiam Iuridica; quia illa vtuntur Iura, & Leges. Consulatur Layman, loco citato, num. 8. Vtrobique tamen, tum, scilicet, apud Scriptores ceteros, tum, in Iuribus, ac Legibus; verbum, *consuescere*, plerunque illud significat, quod est, consuetudinem capere, siue consuetudine introduci, vt aliquid fiat, & nihil aliud.

Possem afferre Latinorum Scriptorum dicta, & Iurium etiam textus: vt appareat, verum esse, quod dico. At, cùm, in re clara, non sit immorandum diu; si quis dicta Latinorum, proposito huic accommoda, nosse cuperet; is quidem ea legere posset, apud agentes, De Vi, ac Potestate dictionum: cuiusmodi sunt Ambrosius Calepinus, Marius Nizolius, Robertus Stephanus, ac ceteri similes, nominati alibi à nobis; apud quos quamplurima talia congesta reperiet: vt Virgilianum illud maximè (Georgicorum 2.)

Adeò in teneris consuescere, multum est;

Et illud Ciceronianum etiam (lib. 1. De Oratore) *Demosthenes, coniectis in os calculis, summa voce, versus multos vno spiritu pronunciare, consuescebat*, &c. Qui verò vellet Iurium textus; primò audiat, quid (in lege, *Etiam liberis*, C. De Obsequijs Patrono præstandis) dicat Imperator Gordianus; cuius hæc sunt verba: *Etiam liberis damnatorum consuetum obsequium libertos paternos præstare debere, in dubium non venit* Deinde autem, quo modo loquatur (in capit. *Ex litteris* De Consuetudine) Innocentius Papa III. vbi sic ait: *Hanc conferendi formam esse proponitis; quòd, in huiusmodi donationibus, modicum terræ consueuit in manu accipere*. Atque his, in præsentia, contentus, ex ijsdem, tametsi non multis, veritatem nihilominus, quam ostendere, mihi mens fuit, tam dilucidè qui-

dem

dem (vt puto) dignoscit; vt, cur pluribus id explicem, haudquaquam sit opus.

29 Addidi porrò, illud, *plerunque*: quia negari certè nō potest: apud eosdē Latinos Scriptores, vnū quidpiam aliud, verbo eodem, *consuescere*, denotari. Legens enim Scribentes, De Dictionum vi, de quibus paulò suprà; labore nullo deprehendet, idem interdum esse, *consuescere*, atque vti familiaritate alicuius, vel cum aliquo versari. Attamen: præterquam quòd, hæc significatio altera quædam huius verbi Naturalis proprietas dicenda est, nullatenus autem Ciuilis; (vt, nisi properarem, ad iam cœptam rationem persequendam, possem demonstrare) illa planè, ad rem nostram, nihil nunc facit. Nemo nanque non videt: verbo illi, *consueuerunt*, prout, in citato loco Rubricarum, stat; eam, vllo modo, accommodari non posse. Quocirca: hîc aptè quadrat Regula illa, quam habemus, in Lege, *Quoties*, ff. De Regulis Iuris; vbi sic dicitur. *Quoties idem sermo duas sententias exprimit; ea potissimùm accipietur, quæ rei est aptior*. Vnde manifestè relinquitur: vt verbum idem, *consueuerunt*, non aliter dicto loco Rubricarum, tametsi fauorabili, sit exponendum; quàm, vt significet, *consuetudo capta est*, siue, *consuetudine est introductum*; quemadmodum, iam declarauimus.

30 Ceterùm (vt pleniùs huius eiusdē verbi sensum teneamus) illud obseruandum est postremò: quòd vocabulum, *consuetudo* (notione illa postposita, tanquā nunc inutili, qua familiaritatē ipsum quoque designat) nō solùm, apud Scriptores Latinos, verùm etiā in ipsis Legibus, ac Iuribus; nihil nisi bonā, ac validam consuetudinē significat. Vnde, neque in hoc vocabulo, ꝑprietas Ciuilis à Naturali distinguitur. Quod, vt, ita esse, compertum habeamus; pro Scriptoribus Latinis, legendus est maximè Quintilianus, Oratoriarum Institutionum lib. 1. cap. 6. circa finem:

vbi,

vbi, solidè, elegantérque discurrendo, tandem concludit; consuetudinem, in reprehensibilibus, non dici: & pro Legibus, ac Iuribus, tota octaua Distinctio, ac Titulus totus, De Consuetudine, cum Glossis, ac Doctoribus, in hæc scribentibus, percurri potest: vbi, procul dubio perspectum erit; consuetudinem malam, non consuetudinem: sed corruptelam esse: consuetudinem autem, quę cõsuetudo non est; nullam habere vim consuetudinis.

Cùm itaque: verbum, *consueuerunt* (vti aduertebamus) illud significet, quod est, *consuetudo capta est*, siue, *consuetudine introductum est*; hoc de consuetudine bona, & valida prorsus est intelligendum tantùm: de consuetudine verò mala, & inualida, quę consuetudo dici non meretur; nullo modo.

Atque hinc, verborum Rubricæ iam adductæ, plenam intelligentiam assecuti sumus. Ita vt: cùm dicit, *Et in Festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, Religiones, vel Congregationes, consueuerunt solemniter celebrari, cum Officijs*, &c. nihil aliud sibi velit; quàm, Et in Festis Sanctorum, qui apud quasdam Ecclesias, &c. consuetudine bona, ac valida introductum est, vt solemniter celebrentur, cum Officijs, &c. & istud quidem, ante dictam Pij V. Bullam; sic statuente præfato Sacræ Congregationis Rituum Decreto.

DISTINCTIO QVARTA.

Minor principalis rationis, pro secunda Responsione, iam allatæ tandem probatur.

31 QVibus positis: ad probandam Minorem, illam, in qua, diximus, difficultatem totam positam esse; sic argumentor. Illa

Illa ſane Feſta ſolemniter, cum Officijs congruentibus, ante prædictam Bullam, celebrari, *conſueuerunt*, iuxta propriam, & rectam intelligentiam huius verbi, quatenus, eo loci generalium Rubricarum, iacet, quem attulimus; quæ, conſuetudine bona, & valida, introductum eſt, ante Bullam eandem, vt, cum talibus Officijs, ſolemniter celebrentur. Sed Feſta noſtra, de quibus agimus, conſuetudine bona, & valida, introductùm erat, ante huiuſmodi Bullam, vt ſolemniter, cum Officijs congruentibus, celebrarentur; ergo, eadem Feſta ſolemniter, cum Officijs congruentibus, ante illam ipſam Bullam, celebrari, *conſueuerunt*, iuxta propriam, ac rectam talis verbi intelligentiam, prout ibi iacet, vbi modò dicebamus.

Hîc etiam eſt probanda Minor.

At, ſuppono primùm: Conſuetudinem hanc, de qua, in tali Minori, fit ſermo; conſuetudinem eſſe prter Legem: quod, nullo negotio, probari poteſt, ex dictis alibi ſuprà; quæ (ſi placet) rurſum videantur.

Nunc autem ſic diſcurro. Bona, & valida dicitur quidem illa conſuetudo, præter Legem; quæ quatuor conditiones illas habet, de quibus, tum paulò ſuprà, Reſponſione prima, tum Quæſtione præcedente: nimirum, quæ legitimè, neque per errorem, eſt introducta; quæ rationabilis eſt; & à Superiore legitimo ſcita, ac tolerata. Sed conſuetudo, de qua verba facimus, ante Pianam Bullam, prorſus erat huiuſmodi; ergo &c.

32 Sed oſtendamus hanc vltimã Minorem, & particulatim, & ordinatim; ac tota ratio hæc erit omnino cõcluſa.

Primò igitur: ad oſtendendum, quòd eſſet introducta legitimè conſuetudo hęc, ante Bullam Pij, ſcire illud in primis oportet: quòd, in Conſtitutionibus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, parte 1. capite 1. ita ſcribitur. *Vt autem, in Horis Canonicis perſoluendis, ab omnibus*

Fra-

Fratribus vniformitas obseruetur; volumus: vt in quolibet Conuentu nostri Ordinis, Prior, in Tabula vna, quæ in Choro affixa maneat; describi faciat Kalendarium, secundùm ordinem Romanæ Curiæ: in quo, notentur Festa Sanctorum Ordinis nostri, atque etiam ea, quæ apud nos, solemniter consueuerunt celebrari.

Quapropter: huiusmodi Constitutioni adhærendo, Patres Augustinenses, in Choro suæ Parœcialis Ecclesiȩ Sancti Christophori, Pinnæ Billorum, in qua præsertim Ecclesia, Festa celebrantur, de quibus hîc agimus; iugiter habuerunt huius generis Tabulam affixam: quam ego ipse adolescens vidi multoties valde vetustam; & illius nunc ad me transmissum est illinc exemplum.

In ea itaque Tabula: cum illis Festis, quæ nō de numero quidem eorum sunt, quæ dicuntur Sanctorum Ordinis, verùm de numero, eorum, quæ, in eadem Ecclesia, celebrari consueuerunt; ad rem præsentem, ceteris tamen omissis, primo loco, ita legitur.

Februarius.

23 *S. Sireni Martyris, duplex. Votum.*

Deinde verò, pariter legitur, hoc modo.

Martius.

Lacrymatio Sacræ Imaginis B.M.V. de Gratijs, in tertio Veneris die, duplex. Ex Deuotione.

Sic enim (quod obiter noto) scribendum est, vt scripsi, & corrigendum, quod malè quidam Recentior, qui ex vetusta exscripsit Tabula, commutauit; dum, vocabulum, *Apparitio*, putauit exprimendum; vbi vocabulum, *Lacrymatio*, debebat exprimere. Nanque, vt apertè constat,

ex

ex dictis alibi, suo loco; accidit Apparitio Dei Genitricis, die 23. Februarij, quo celebratur Sancti Sireni Festum: non die tertio Veneris Martij, quo, Sacra eiusdem Virginis Matris Imago Lacrymas emanauit.

Dixi autem, *ad rem praesentem*; quia leguntur, ibidem, cum Festis eiusdem generis, alia duo notatu digna: quaeque, in confirmando, superiùs enarrata, magno sanè possunt esse vsui; & ea sunt haec.

Augustus.

27 *Consecratio Altaris Sanctissimi Sacramenti (quod nunc est Sancti Caroli) & B. Mariae, duplex.*

Nouember.

16 *Reconciliatio Altaris B. M. cum Indulgentia quadraginta dierum, dicendo decem Pater, & totidem Aue. Apparet, per Bullam Episcopi Ioannis.*

Consecratio autem istiusmodi est illa, quae ab Honorio III. fuit confecta; vti nos (Parte 1. a. 1. Sect. 1. §. 3. in Dig.) demonstrauimus: vbi, Bullam etiam eiusdem Episcopi, de Reconciliatione memorata, recensuimus, ad verbum.

Sed ommittamus haec, & pergamus reliqua discursus.

33 In ijs ergo verbis, quae primùm è Tabula praefata desumpsi; duo potissimùm obseruo. Alterum est vox illa, *Duplex*, tum, in descriptione Festi Sancti Sireni, tum in descriptione Festi Lacrymationis, apposita: alterum verò sunt voces illae ceterae, quarum prima, in primo, & secunda, in secundo Festo, apponuntur: nimirum, *Votum*, &, *Ex Deuotione*.

Vocem, *Duplex*, obseruatam primo loco; probè sciũt Eccle-

Ecclesiasticorum Rituum periti omnes, Officij notam esse. Habemus enim, in Breuiarij Romani generalibus Rubricis, præcitato loco; quòd Officium fit duplex, in diebus multis: at maximè, ***In Festis, quibus, in Kalendario, apponitur hæc vox, Duplex.***

Voces autem illæ, ***Votum***, &, ***Ex Deuotione***, secundo loco obseruatæ; sanè significant, sub quanam Lege, Festa huiuscemodi seruanda sint. Atque hoc, pro illius Ecclesiæ Parocho; vt (quemadmodum est moris) de tali Lege admonere populum, congruo tempore, valeat.

Verùm, hic sisto tantisper gradum: & arguens, ab vsitato, quo genere arguendi, desumpto à peritis Iurium, in similibus, alibi suprà, sumus vsi; taliter, ad rem propositam, sensa meæ mentis expono.

Votum, &, ***Ex Deuotione***, quæ ita, vt visum est, in ea Tabula publicè affixa, leguntur, adnotata esse; credi, & præsumi vtique debent, fuisse tunc ibi adnotata; cùm, & Votum celebrandi Festum Sancti Sireni fuit nuncupatum, & Deuotio celebrandi Festum Lacrymationis fuit excitata. Cùm (quod est notissimum) similia, Tabulis in publicis, adnotari soleant, ad memoriam posterorum; dum accidunt: ne adnotaturis animo excidant; & illa scire, tandem posteri non possint.

Votum quidem seruandi Sancti Sireni Festum (quod propter bellorum pressuras nuncupatum profectò est) ab ijs, eodem argumento, ab vsitato, credi, ac præsumi absque dubio, fuisse nuncupatum, debet; qui, in ijs præssuris, inuenti sunt. Sic enim assolet: quemadmodum Didacus de Baëza, Commentariorum moralium, in Euangelicam Historiam, parte 2. tomo 3. lib. 14. cap. 22. §. 8. æquè verè, atque eleganter scripsit, sic aiens. ***Quid solemnius, in mundanis hominibus? Dum, sub pressuris sunt; dum doloribus, periculisque agitantur; crebra suspiria mittunt***

Deo,

Deo: ad Sanctorum prouoluuntur pedes: vota concipiunt; nec, ad modicum, à Dei conspectu recedunt. Et meliùs, ad rem nostram, loqui certè non poterat.

Pari etiam modo: ipsam Deuotionem, ex ea, seruandi Lacrymationis Festum, fuisse præsertim in ijs excitatam, est opus; qui sensibiliter Sacras illas Lacrymas viderunt. Nam (vt docet Sanctus Thomas, in 2. 2. q. 72. a. 3. ad 2.) Ex debilitate nostræ humanæ mentis, pro præsenti statu, indigemus nos manuductione quadam sensibilium, ac visibilium nobis notarum rerum, ad dilectionem insensibiliũ, & inuisibilium; qualis respectu nostri, pro eodem statu, est ipsa Dei Parens, cum Cælitibus cunctis: & ***Dilectio*** (vt idem docuerat, in eiusdem articuli corpore) ***proxima Deuotionis est causa.***

34 Ex his omnibus igitur infertur perspicuè: tum, Votum prædictum fuisse nuncupatum ab ijs Pinnensibus, qui in bellorum pressuris sunt versati; tum, Deuotionem prædictam, in ijs Pinnensibus, excitatam præsertim fuisse; qui sensibiliter viderunt Sacras illas Lacrymas.

Ac proinde: si (vt est probatum) adnotari similia solent, in publicis Tabulis, cùm accidunt; concludendum prorsus est: tum hoc Votum, tum hanc Deuotionem, in dicta Tabula, fuisse adnotata; cùm, & ipsa bella, quæ Voti, & ipsæ Lacrymæ, quæ Deuotionis fuerunt causæ, contigerunt: hoc est: Votum, circa salutis annum 1517. vel 1522. Deuotionem autem, circa annum eiusdem salutis 1489.

At verò: priùs legitur, in ipsa Tabula, vox, ***Duplex***, quæ nota est Officij; quàm legantur aliæ voces, ***Votum***, &, ***Ex Deuotione***. Ergo (item ab vsitato) vox, ***Duplex***, non est ibi adnotata, post quàm sint adnotatæ prædictæ voces aliæ; sed, vel omnes, eodem tempore successiuè; vel vox, ***Duplex***, antè. Sic enim fieri solet (quod est notissimum) vt voces antecedentes, in Tabulis, vel in Scripturis; aut,

eodem tempore successiuè, cum subsequentibus; aut antè adnotentur.

Porrò autem: subsequentes voces, hac in Tabula, notatas esse, demonstratum est; & circa annum 1489. & circa annum 1517. vel 1522. Ergo, circa eosdem annos, fuisse ibidem notatam vocem, ***Duplex;*** est omnino credendum, ac præsumendum.

Atque hinc, dilucidissimè infertur principale propositũ: consuetudinem, videlicet, de qua nunc pertractamus; fuisse, ante Pianam Bullam, legitimè introductam: cùm, inter annum salutis 1568.quo(vt vidimus Fundamẽto nono)huiusmodi Bulla emanauit, & annos prædictos, longè plures intercesserint,quàm decem anni; quos esse satis, ad introducendam legitimè consuetudinem, præter Legem; in prima Quæstione huius Partis, iam vidimus. Atque hæc, de prima conditione.

35 Secundò autem: ad ostendendum, consuetudinem eandem fuisse tunc temporis, etiam rationabilem (quæ secunda conditio est) cumulatissimè sufficit illud: quòd, multùm sanè congruit, vt populus, Festum celebrans, de Sancto aliquo, illud audiat Officium; quo, ad Pietatem accendatur, erga ipsum. Nullo verò,ad hanc accendi posse magis, quàm Officio, quod eodem de Sancto recitetur; indubitatum est. Qua ratione, in re simili, vtitur Gauantus, in suo sacrorum Rituum Thesauro, tomo 2. *sect.* 3. cap. 12. num. 4. Præterquam quòd: Quonam modo dici potest, consuetudo istiusmodi turpitudinem vllam, vel deformitatem continere; vnde sit irrationabilis?

Tertiò porrò: ad ostendendam eiusdem consuetudinis conditionem tertiam, fuisse, nimirum, illam à Superioribus Augustinensium Patrum, eodem tempore, scitam, ac toleratam, ac proinde approbatam tacitè; satis quidem valet, quod, in citatis eorundem Constitutionibus, 3. parte,

te, cap. 11. statuitur, de Prouinciali Priore, his verbis. *Ante autem omnia sollicitè procurare debet, quòd, in omnibus Conuentibus, diuinum Officium diurnum, pariter & nocturnum, reuerenter, & deuotè dicatur, iuxta ordinarium Ordinis nostri.* Imò, quod, ex ijsdem Constitutionibus, iam suprà retulimus, manifestè demonstrat; eorundem Superiorum consensum, ac voluntatem, ad hanc rem concurrisse, quasi expressam. Quatenus ibi præcipitur cuiuslibet Conuentus Priori: vt, in Tabula memorata, describere faciat, nedum Festa Sanctorum Ordinis; verùm & illa, quæ, in quolibet Conuentu, solemniter consueuerunt celebrari. Id verò, ante Pianam Bullam, huiusmodi Superiores legitimè potuisse; in iam allato Decreto Sacræ Congregationis Rituum, clarè supponitur, & iam nos, in Fundamento nono, vidimus, & comprobauimus.

36 Quartò tandem: ad ostendendam conditionem quartam, quæ illa est; vt, non per errorem, talis consuetudo sit introducta, per tempus idem; ijs, quæ superiùs dicta sunt, in similibus; addere prorsus nihil oportet. Hæc autem sunt, in summa. In introductione huiuscemodi, nihil ab inscijs, ac sine Prudentia fuisse factum. Et sic, secundæ Responsionis ratio sit plenè absoluta.

Restant proponendæ, ac dissoluendæ quædam, tum circa primam, tum circa secundam hanc Responsionem, Difficultates: quæ sanè commodiùs Sectioni sequenti reseruantur.



SECTIO TERTIA.

Proponuntur, ac soluuntur Difficultates quædam, circa vtranque huius Quæstionis Resolutionem, iam positam, in Paragrapho primo, & secundo Sectionis præcedentis.

ETiam hîc partitione vtendum eſt: quin Paragraphus quartus diſtinguetur, ac Diſtinctioni quintæ adiungetur quædam Digreſſio.

§. I.

Proponitur, ac ſoluitur prima Difficultas: ideſt:

Num conſuetudo, celebrandi, Pinnæ Billorum, tum Feſtum Sancti Sireni, tum Feſtum Lacrymationis; obliget, ſub præcepto.

37 REſpondetur. Conſuetudo huiuſcemodi, licèt Epiſcopi Feretrani tacito conſenſu ſtabilita (quod ex dictis alibi claret) ſub præcepto nihilominus, nequaquam obligat.

Primò. Quia, tametſi, circa Feſtum Sancti Sireni, quod, in memoriam vtriuſque Liberationis, celebratur, in Tabula, de qua ſuprà, ſeruandum ex Voto illud eſſe, ſcriptum ſit; qui tamen vouerunt, iam ampliùs non viuunt. Circa Feſtum verò, in memoriam Lacrymarum; ex eadem Tabula de Deuotione tãtùm, de nullo autem Voto prorſus conſtat. Et huc ea ſpectant, quæ diximus Fundamento octauo.

38 Se-

38 Secundò. Quia, neque constat; quòd huiusmodi consuetudo sit, obligandi animo, introducta. Quo casu, imò etiam, & in dubio; consuetudo semper censeri debet, non quidem Iuris, & obligationis; at solùm deuotionis, & honestatis. Qua de re, audiendus est Eligius Bassæus (suis in Floribus Moralibus, verbo, *Consuetudo*, num. 7. quem refert etiam Diana, parte 6. tract. 5. resol. 12.) hæc dicens. *In dubio, an consuetudo inducta fuerit, ex deuotione, an animo, se obligandi; præsumendum est, non fuisse inductam, animo, se obligandi: sed potiùs animo deuotionis. Quia, nemo præsumitur, velle sibi onus imponere, neque obligare; nisi aliter constet de ipsius voluntate, &, an sint sufficientes coniecturæ, ad indicandum, animo se velle obligare.* Sic ille. Sed hoc, de Festo Sancti Sireni tantùm, dictum sit: de quo quidem, licèt Votum obseruandi eius, posteros eorum, qui emiserunt illud, non adstringat; dubitari tamen potest, an, pro ipsis posteris, adsit aliqua saltem, Festi eiusdem obseruandi, deuinciens consuetudo; vti, ad obseruandum idem, illimetipsi, qui vouerunt, Voto erant eo deuincti. Quandoquidem, etsi posteri non obligentur ex vi Voti maiorum, in quod non cōsenserunt; interdum tamen tales posteri (vt bene obseruat Layman, lib. 4. tract. 4. cap. 2. num. 6. vers. *Corollarium primum*, & alij non pauci) ex longæ consuetudinis vi, solent obligari, ad illud idem, de quo Votum iam fuerat emissum. Talem igitur longam consuetudinem, celebrandi Festum Sancti Sireni, quæ Pinnæ Billorum duxerit ortum ex Voto maiorum; dicimus non constare, obligandi animo, fuisse introductam. De alio autem Festo, claret vtique (vt modò dicebamus) illud, iuxta præscriptum Tabulæ præfatæ, esse, duntaxat ex Deuotione, obseruandum.

Tertiò demum. Quia (vt habetur ex Vrbani VIII. Cōstitutione, de qua suprà) consuetudines quæcunque priùs

obligantes, ad seruanda Festa, sub præcepto; per eam, quantùm ad obligationem, omnino tolluntur. Et eius verba relata sunt, Fundamento septimo; cuius quidem doctrina suum hîc habet locum.

§. II.

Proponitur, ac soluitur secunda Difficultas: idest.

Quinam sint illi, qui consuetudinem, recitandi Officium congruens, in dictis Festis; Pinna Billorum, queant retinere.

39 Respondetur. Si loquamur de illis, qui de gremio Parœcialis Ecclesiæ S. Christophori sunt, in cuius Choro, Tabula illa (vt vidimus) extat, vnde, cõsuetudinem huiusmodi legitimè, ante Pianam Bullam, introductam fuisse, collegimus; nullum videtur dubium, quin ab ijsdem ea retineri valeat. Atque hi sunt maximè Patres Augustinenses omnes, qui manent ibi, tanquam de familia. E quorum tamen numero neutiquam excluderem eiusdem Religionis Patres alios, qui, ad solemniùs celebrandum Festum, illuc aliunde confluerent, vel illic alia de causa versarentur; tametsi non de illa familia. Puto enim, à veritate alienum haud esse: *Religiosos, dum sunt in alijs Conuentibus, vbi non solent residere; ibidem dici, esse de familia, & gaudere omnibus priuilegijs, quæ habent alij Religiosi, ibidem perseuerantes de familia:* quod Antoninus Diana (parte 9. tract. 2. resolut. 9. vers. *Quod autem asserit*, quanuis non suo, sed aliquorum nomine, quos reliquit innominatos) existimauit, in re non absimili, scribendum.

Si

Si verò loquamur de ijs, qui, Pinnæ Billorum, sunt de gremio Cathedralis Ecclesiæ, ac de alijs, qui ibidem sunt de Clero; sic arbitror: vt, quantùm ad Officium, in Festo Sancti Sireni, consuetudinem isthanc valeant retinere.

40 Et ratio est. Quia, meâ planè memoriâ, tale Officium, tum in Choro dictæ Cathedralis, tum, extra illum, ab alijs de Clero, semper est recitatum, vsque ad annum Domini 1628. quo, euulgatum est Decretum, de quo iam toties. Et ipse obseruaui, in Kalendarijs Breuiariorum vetustissimorum, tale Festum, cum Officij nota, calamo notatum fuisse: ac præterea: neminem, etiam ex Senioribus, quos nouerim, tum de dicto Capitulo, tum de dicto Clero; meminisse, consuetudinem istiusmodi, ætate sua, fuisse introductam. Vnde, meo iudicio, datur locus, valde præsumendi, consuetudinem eandem fuisse introductam, etiam extra Sancti Christophori Ecclesiam, circa illa tempora, quibus, dictum Festum cœpit celebrari. Quo minùs verò eam consuetudinem comitatæ quoque fuerint conditiones ceteræ, quæ requirũtur, ac de quibus, tum alibi, tum, in nono Fundamento, non est prorsus dubitandum.

41 Quantùm autem ad Officium, in Festo Lacrymarum; adolescente me, neque in Choro Cathedralis Ecclesiæ, neque extra illum, à Clero, istud Officium recitabatur. Scio, postea cœpisse recitari; & aliquot annos recitatum esse. Sed tandem desijt, quando (vt paulò antè dicebam) Decretum sacræ Congregationis Rituum emanauit; & bene. Quia, cùm non constet, consuetudinem recitandi tale Officium, pro dictis Capitulo, & Clero, ante tam sæpe memoratam Pij Bullam, fuisse introductam; ea, post ipsam, neque potuit (vt est clarè visum) neque potest, ampliùs introduci: imò neque de Ecclesia Sancti Christophori, in qua erat bene introducta, extra illam extendi. Legatur iterum dictum Decretum. Itaque, in Festo Lacry-

marum, extra Sancti Christophori Ecclesiam, ab ijs, qui de illius gremio non sunt; consuetudo recitandi Officium illi congruens, non potest retineri.

§. III.

Proponitur, ac soluitur tertia Difficultas: idest:

An, eo non obstante, quod, occasione publicationis prædicti Decreti, in Festo Sancti Sireni recitari desÿt (vt paulò antè dictum est) à Capitulo, & Clero, quod consueuerat Officium; possit adhuc eadem resumi ab ÿsdem recitatio.

42 RESpondetur. Cùm à promulgatione dicti Decreti iam plures elapsi sint, quàm decem anni; & certũ sit (vt habet Layman, lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 14. in fine) cõsuetudinem introductam, etiam legitimè, consuetudine contraria tolli (qua de re legendus est etiam Diana, parte 6. tract. 5. resolut. 27.) videri potest alicui: desitione, atque intermissione huiusmodi, per tantum tempus, quod absque dubio plùs quàm sufficiens est; consuetudo contraria, non ampliùs recitandi tale Officium, esse introducta: ita vt, consuetudo prior iam sit ablata; &, iuxta eam, idem Officium, per hæc tempora, recitari non ampliùs possit.

Sic visum est, in casu simili, Angelo Mariæ Verricelli, loco suprà citato, num. 6. 7. & 8. vbi loquitur tamen de consuetudine, proprias quasdam Lectiones manuscriptas, à Sede Apostolica non approbatas, recitandi.

43 Attamen: cùm nulla consuetudo, ex actibus non voluntarijs, & ex ignorantia prouenientibus, vel ex errore, introducatur; quemadmodum firmat idem Diana (resolut. 9. tractatus eiusdem) ex sacra Romana Rota; & dictum

ctum Capitulum, & Clerus recitare dictum Officium desierint, ex ignorantia, vel errore, quo putabant, se, tali Decreto, idipsum recitare vetari, quod falsum esse, patet ex prædictis; proinde, contraria consuetudo non est vtique introducta: ac, desitione, atque intermissione nihil obstantibus; posse videtur ijdem, nunc, & deinceps, recitare illud idem Officium pergere, in Festo S. Sireni; quod, ante desitionem, atque intermissionem, recitare consueuerant.

Idem prorsus dicendum etiam esset, si Augustinenses Patres, in Ecclesia sua Sancti Christophori, vtroque recurrente Festo, propter eandem causam, Officia consueta, in ijsdem, recitare desijssent.

Quod nihilominus, ego nunquam, de consuetudine recitandi Lectiones illas, de quibus Verricelli, affirmarem; ea ductus ratione: quia, nimirum, quemadmodum, ante desitionem, Lectiones huiusmodi non legitimè recitabantur; cùm, per verba Pianæ Bullæ, quæ suprà iam relata sunt, consuetudo recitandi eas, esset praua, quæ, neque tempore immemorabili, præscribi potest, (vt, ex Abbate, Butrio, Suarez, & Salas bene considerat idem Verricelli, ibidem, num. 5. & 6.) sic, propter eandem prauitatem, post desitionem, præsertim decennalem; talis recitatio resumi non potest. Et hæc ratio, in casu nostro, non habet locum.

§. IV.

Proponitur, ac soluitur quarta Difficultas: ideft:

Quibus, & Ritu, & Qualitate, fint hæc Officia recitanda; Quo modo ordinanda; Quidque tandem de Missis.

44 Illud in primis est, hoc loco, præludendum: quòd, cùm, in hac Difficultate, quærantur primò tria, de Officijs duo-

duobus; est sanè de singulis respondẽdum singillatim: hoc tamen ordine: vt, de illo, de quo primò quæritur (eo-quod Responsio complectitur Officium vtrunque) communiter sit respondendum: de secundò verò, ac de tertio, primùm respondeatur, in ordine ad Officium, in Festo Sancti Sireni, quod primò celebratur, nempe, mense Februario; deinde autem in ordine ad Officium in Festo Lacrymationis, quod secundò celebratur, nempe, Martio mense. Ac demum, vtrique Festo sua erit singularis, de Missa, Responsio.

DISTINCTIO PRIMA.

De Ritu, in ordine ad vtrunque Officium.

45 DE ritu itaque, quid responderi debeat; patet ex Tabula memorata. Vbi Officium, in vtroque Festo, duplici ritu esse recitandum; clarissimè apparet. Et ita sanè semper factum est; tum, in Sancti Christophori Ecclesia, tum, extra illam respectiuè, iuxta iam dicta.

DISTINCTIO SECVNDA.

De Qualitate, in ordine ad Officium, in Festo S. Sireni.

46 DE qualitate verò, vt videamus, quid dicendum sit, & primo quidem loco, in ordine ad Officium, in Festo Sancti Sireni; supponendum est: Sanctum Sirenum communiter haberi Martyrem tantùm, non Episcopum, vel Pontificem. Apertè satis colligitur hoc ex Mar-

Martyrologijs,& ex Romano maximè: vbi die 23. Februarij(vti vidimus,Fundaméto primo)solummodo Monachus, & Martyr, non Episcopus, vel Pontifex appellatur. Et quanuis, ibi Eminentissimus Baronius, in suis Notis, verbo, *Sireni*, in fine, scribat huiusmodi verba; *Agit etiam de Sireno Petrus(in Catalogo, lib. 3. cap. 147.) licet eum, etiam Episcopum fuisse, dicat*; attamen: tali capite, per Baronium citato, non de Sancto Sireno Petrus agit; sed de Sancto Gerardo Episcopo, & Confessore. Vt porrò sit bene compertum, an re vera, Sanctum Sirenum Episcopum fuisse, dicat ipse Petrus; recensenda putaui, ad verbum, pauca illa, quæ de isto Sancto, non capite quidem 147. sed 148. sequenti, litteris idem prodidit: quæque postea Surius, die item 23. Februarij, ex eodem trãscripsit, in hunc modum.

Sirenus (vel, vt aiunt ipsi, Serenus) *Monachus, & Martyr, sub Maximiano Imperatore, apud Sirmium passus est. Nam, cùm ipse sibi hortum excoleret, & vnus ex domesticis, Imperatoris, amicus intimus esset; quadam die, vxorem illius, in horto suo, hora incongrua, deambulantem reperit: eamque acriter de inhonestate increpauit; quod sola, hora inepta, Monachi pomerium introisset: eam quoque, cum indignatione, eiecit. Quæ viro suo, de Sireno conqueritur; & quòd eam turpiter eiecerit, lamentatur. Qui, verbis coniugis ad iracundiam motus; quem dudum, vt amicum coluerat; Maximiano, vt Christianum, accusat. Sicque Sirenus, iubente Imperatore, tentus, & se Christianum confessus; capite cæsus est, VII. Kalendas Martij*. Ita Petrus, & ex illo Surius. Vbi, de Episcopatu, ne verbum quidem; vt manifestè claret.

47 Quapropter: nisi Petri codex, quem legit Baronius, aliter loquatur, quàm ille, de quo desumpsi ego, & ille, de quo, se Surius desumpsisse, ostendit; valde miror:

qua-

quare Scriptor longè doctissimus, ac diligentissimus, ita scribendum senserit; quemadmodum, paulò antè obseruauimus.

Verùm, vt vt sit: cùm Sanctus idem Sirenus communiter existimetur (vt iam diximus, nec improbatum reliquimus) Martyr tantùm, non Pontifex; proinde, vt Martyr tantùm, & non etiam vt Pontifex, videtur Officio colendus. Quocirca, huius Officij qualitas hæc est; vt illud fiat de Sancto Martyre tantùm, & non Pontifice.

DISTINCTIO TERTIA.

De Modo ordinandi Officium, in eodem Festo Sancti Sireni.

48 EX dictis autem incipit apparere modus, quo idem Officium sit ordinandum. Nam, quemadmodum, retroactis temporibus, est semper factum; ipsum sumendum est de Communi vnius Martyris, cum Oratione tamen, non pro Martyre, & Pontifice; sed pro Martyre tantùm. Ad quem modum spectant præterea, quæ sequuntur.

Primum est. Officium hoc ferè nunquam habere potest primas Vesperas, etiam à Capitulo. Et est ratio: quia, cum eo concurrit Cathedra Sancti Petri Antiochena. Quod Festum, cùm sit Duplex maius per annum; concurrens cum Festo Sancti Sireni, quod, vt mox aperietur, est Duplex per annum minus; habet secundas Vesperas integras: in quibus, de Sancto Sireno fieri tantùm potest commemoratio, post commemorationem Sancti Pauli. Quæ patent, ex Serie Duplicium maiorum, per annum, & ex Tabella concurrentiæ Officiorum, proximè post Rubricas generales Breuiarij; ex ipsis Rubricis generalibus, titulo 11. num. 2. & ex speciali Rubrica, in Cathedra Sancti Petri Romana.

49 Esse

49 Esse verò Festū Sācti Sireni Duplex per annū minus: ex eo remotè infertur, primò; quod, Pinnæ Billorum, non est Festū Titularis alicuius Ecclesiæ. Cùm enim (vt scribit Gauantus, tomo 2. Thesauri, sect. 8. cap. 5.) Titularis Ecclesiæ sit ille Sanctus, à quo Ecclesia denominationem habet; quis dixerit, Pinnæ Billorum, Sanctum Sirenum alicuius Ecclesiæ Tilularem esse, qui nullam ibi denominat Ecclesiam? Remotè infertur etiā secundò ex eo; quòd nō est, ibidē, Patronus loci, neque principalis, neque minùs principalis. Tū quia, vt huiusmodi, nō describitur in Tabula, iā suprà memorata; tū quia, de illius electione, qua ab Episcopo, Clero, & Populo sit canonicè Patronus electus, nihil constat. In electione autem Patroni, siue Patronorū, & principalium, & minùs principalium loci, enumeratos omnes debere concurrere; constat ex ijs, quæ habent, & Gauantus citatus (allegato in tomo 2. sect. 3. cap. 12. num. 1.) & Claudius Arnaud, in sua Epitome, in qua de sacris Ritibus, tract. 2. titulo 12. per magnam partem.

Ex his porrò duobus capitibus clarè colligitur: huiusmodi Festum nō esse primæ Classis, neque Duplex per annum maius. Non primæ Classis; quia non est Festum Titularis Ecclesiæ, neque principalis Patroni loci. Non Duplex per annum maius; quia non est Festum minùs principalis Patroni pariter loci. Non posse autem intrare tale Festum, vel in primam Classem, nisi tanquā Festum Titularis, aut Patroni principalis, vel inter Duplicia maiora per annum, nisi tanquam Festum Patroni minùs principalis; apparet ex lectione, tum Seriei Festorum primæ Classis, tum Seriei Duplicium per annum maiorum, quæ habentur in Breuiario, supracitato loco.

Restat aliud caput: ex quo, vnà cum hactenus collectis ex primis; proximè, cōpletéq; subinfertur propositum. Illud verò est: nostrū hoc Festū, neque secundę Classis esse.

Cer-

Certum est enim: in hanc secundã Classem nõ intrare; nisi Festa, quæ, illius in Serie, numerantur. Legens autem eam, vbi suprà, Festum Sancti Sireni, neque explicitè, neque implicitè poterit, vllo pacto, reperire.

Si ergo Festum hoc Sancti Sireni, neque primæ, neque secundæ Classis est, neque ponitur, inter Duplicia maiora per annum; ex sufficienti numeratione partium, relinquitur: vt, inter Duplicia per annum minora, sit ponendum. Nulla nanque alia Festa Duplicia dantur; nisi primæ, ac secundæ Classis, & maiora, ac minora, quæ dicuntur per annum: quod, obseruantes ea, quæ, in Romano Breuiario, proximè post generales Rubricas, qui locus hîc toties citatus est, præscribuntur; quamfacillimè dignoscent.

Et per hæc apertum sit, quod fui pollicitus; dum reddebam rationem paulò ante, quare asseruerim; Officium, in Festo Sancti Sireni, ferè nunquam habere primas Vesperas.

50 Sed hîc, huius Asserti ponenda est exceptio, ratione cuius quidem, addidi voculam illam, *fere*. Exceptio igitur est: vt hoc Officium habeat primas Vesperas, eásque integras; cùm Festum Sancti Sireni venit in aliqua Dominica, post Septuagesimam, & in anno bissextili. Tunc enim: cùm Festum Sancti Matthiæ celebretur, eo Anno, die 25. Februarij (vt est clarum, & præscribitur in Kalendario, ad calcem eiusdem mensis) Officium Sancti Sireni transfertur in secundam Feriam, proximè sequentem, quę, intra dictum mensem, vnâ cùm Sancti Matthiæ Vigilia, die 24. occurrit. Atque hæc, ex generalibus Rubricis, titulo 10. num. 1. Quo casu: in secundis Vesperis Dominicæ (ex ijsdem Rubricis generalibus, titulo 11. num. 4.) fiunt omnia de Sancto Sireno, & de Dominica tantùm fit commemoratio: atque ita Sancti Sireni Officium habet primas Vesperas, & integras.

51 Se-

51 Secundum est. Idem Officium secundas Vesperas integras habet, duobus tantùm casibus. Primò: quando annus est bissextilis. Secundò: quando accidit, vt Festum Sancti Matthiæ cadat in Dominicam, vel in Feriam iv. Cinerum. Et in vtroque casu, est eadem ratio: nimirum: quia in vtroque, tollitur concursus Festi Sancti Sireni, cum Festo Sancti Matthiæ. In primo quidem; quia (vt iam tactum est) anno bissextili, Festum Sancti Matthiæ celebratur die 25. In secundo autem; quia tunc (ex Rubricis generalibus, titulo 10. num. 1. citatis) Officium Sancti Matthiæ transfertur in sequētem diem. Alióquin de S. Sireno, in secundis ipsius Vesperis, quæ sunt primæ Sancti Matthiæ; fit tantùm commemoratio. Quia, cùm Festum Sancti Sireni (vt iam ostendimus) Duplex minus per annum sit; Festum verò Sancti Matthiæ, tanquam Natalitium vnius ex duodecim Apostolis, collocetur in secūda Classe; (vt ex Serie Festorum talis Classis, quæ eo loci est, vbi diximus antea, liquidò constat) in eorum concursu Regula seruanda est, de qua in ijsdem Rubricis generalibus, titulo 9. num. 6. & in Tabella, in qua, de Officiorum concurrentia, quæque, in superioribus etiam, fuit allegata. Vbi, nil disponi aliud, quàm quòd affirmaui, rerum huiuscemodi periti procul dubio callent; & ibi scripta legenti vnicuique, non difficulter, sed planè prorsus innotescit.

52 Tertium est. Lectiones, in primo Nocturno huius Officij, sumi debent de Scriptura occurrente: nō de Communi. Et ratio (ex Rubricis generalibus, titulo 26. num. 2. & num. 9.) est ea: quòd, in Officij nouem Lectionum primo Nocturno, Lectiones regulariter, *semper leguntur*, inquiunt ipsæ, *vt in Officio de Tempore, quæ, sua quaque die, occurrunt legendæ*. Assignatæ verò in Communi, pro eodem primo Nocturno, leguntur maximè; *Quando*, subdunt eædem, *aliquod Festum, in propria Ecclesia, solemniter cele-*

bra-

bratur. Id quod intelligendum esse, tum de Titulari Ecclesiæ, tum de Patrono loci, satis hauritur ex ijs; quæ habent, & Gauantus (tomo 2. iam citato, sect.2.cap.12. num. 11.) & Claudius Arnaud, in sua superiùs allegata Epitome, tract.2. tit.22. num. 11. Ex dictis autem patet; Festum Sancti Sireni, Pinnæ Billorum, neque Titularis Ecclesiæ, neque Patroni loci, vllatenus posse nuncupari.

53 Excipitur tamen vnus casus: quo necesse est, in hoc Officio, sumi Lectiones primi Nocturni de Communi. Et casus est (ex eodem loco Rubricarum, num.9.) cùm tale Festum cadit in Quadragesimam. Tunc verò de Communi plurimorum Martyrum sunt sumendæ; nimirum, *Fratres debitores sumus*, ex Epistola ad Romanos; non de Communi vnius Martyris, *A Mileto*, ex Actibus Apostolorum. Quia (vt cauetur, in Rubrica speciali, ante Lectiones huiusmodi, quæ incipiunt, vt modo dixi, *A Mileto*) ad Martyrem, & Pontificem spectant hæ. Sanctum autem Sirenum, suprà vidimus, communiter non haberi Pontificem.

54 Quartum est. Quoties idem Festum venit extra Quadragesimam, & annum bissextilem; ob eius occurrentiam, in Vigilia Sācti Matthiæ, in Officio Festi legitur nona Lectio de Homilia huius Vigiliæ: cuius fit etiam commemoratio, sed in Laudibus tantùm. Patet, ex Rubricis generalibus, titulo 6. num. 1.

Dixi autem, *extra Quadragesimam, & annum bissextilem*; quia, si hoc Festum cadit in Quadragesimam, nona Lectio est, de Homilia Feriæ occurrentis, non Vigiliæ: & de Feria fit commemoratio, in vtrisque Vesperis, & in Laudibus; de Vigilia verò, nisi tantùm in Missa, tertio loco. Constat, ex Rubricis generalibus, eodem tit. num. 2. titulo 9. num. 7. tit. 26. num. 3. & ex Rubrica speciali, in ipsa Vigilia Sancti Matthiæ. Si autem cadit in annum bissextilem, intra Quadragesimam; fit commemoratio Feriæ, & non Vi-

Vigiliæ: quia tunc in Vigilia non occurrit: sed extra Quadragesimam, nec Feriç, nec Vigiliç commemoratio vlla fit: ob eandem rationem: quia nempe occurrit in neutra.

DISTINCTIO QVARTA.

De Qualitate Missæ, in Festo Sancti Sireni, ac de modo illius ordinandæ.

55 Restat, vt dicatur demum nonnihil de qualitate Missæ huius eiusdem Festi, ac de illa ordinanda.

In hoc igitur Festo, prædictis congruenter, Missæ qualitas in eo consistit; vt sit, de vno Sancto Martyre tantùm, non Pontifice.

Quare (vt ad modum eam ordinandi transeamus) est illa primò sumenda de Communi Martyris, pariter tantùm, non Pontificis. Deinde, iuxta id, quod, in principio Rubricarum generalium Missalis, præscribitur; secundùm ordinem Officij, dicenda est. Dicetur autem, secundùm ordinem Officij; si duo præcipuè seruentur. Alterum est: si illa Collecta, & illud Euangelium, quæ lecta sunt, in Officio; etiam in ea legantur: quod maximè decere fieri, in Missis omnibus, de Communi aliquo desumptis; obseruat Gauantus, tomo 1. parte 4. tit. 16. num 2. Alterum est: si commemorationes illæ, quæ, factæ sunt, in Officio, etiam in ea fiant (quod habetur, ex ijsdem Rubricis generalibus Missalis, tit. 7. num. 1.) &, si quando, pro nona Lectione, in Officio, lectum est aliquid de Homilia, in Euangelium Vigiliæ, vel Feriæ; idem Euangelium pariter legatur, loco Euangelij Sancti Ioannis consueti, in ipsius fine: quod habetur, item ex titulo 13. Rubricarum earundem, num. 2.

56 Verùm, hoc secundum intelligendum est de Missis

priuatis; & de solemni etiam, extra Cathedralem; hoc est, de illa, quæ cantatur, in Ecclesia Sancti Christophori Patrum Augustinẽsium. Nam, in Missa solemni Cathedralis, in hoc Festo, ea Regula seruanda prorsus est, circa commemorationes istiusmodi, & Euangelia; quæ (dicto titulo 7. num. 2.) pro eo casu traditur; quo (ex titulo 3. num. 1.) in Cathedralibus, & Collegiatis cantandæ sunt duę Missæ. Qui sanè casus (ex eodem tit. 3. num. 1.) contingit; cùm hoc nostrum Festum incidit, in Quadragesimam; vel, extra Quadragesimam, in Vigiliam prædictam. Sed, hæc eadem Regula, in Ecclesia Sancti Christophori, idcirco non ligat; quia, cùm de Cathedrali, & Collegiata Ecclesia loquatur expresse, neque de alia; Sancti Christophori Ecclesia, nedum non est Cathedralis (vt est clarum) verùm ex ijs, quæ bene tradit Gauantus (tomo citato, parte 3. tit. 12. num. 12.) nec etiam est Collegiata; sed Conuentualis duntaxat.

57 Et ad extremum: ad Missam eandem ordinandam, hoc etiam pertinet: quòd, etsi admittit illa Hymnum Angelicum, siue, *Gloria in excelsis* (quod patet, ex tit. 8. Rubricarum Missalis, num. 3.) nequaquam tamen Symbolũ, vel, *Credo*, in ea dicendum est. Quia Festum Sancti Sireni (vt iam est firmatum) nec est Festum Titularis Ecclesię, nec Patroni loci; nec etiam, pro Patribus Augustinensibus, est Festum principale Ordinis eorum: quibus tantùm casibus (ex tit. 11. earundem Rubricarum) talis Festi Missa Symbolum, vel, *Credo*, posset admittere.

Et quamuis, ad Ecclesiam earumdem Patrum, in tali Festo, fiat Processio totius Cleri, & populi, post quam, eodem Clero, & populo adstante, cantatur ibi Missa; non tamen: propterea potest affirmari; legitimam causam adesse, in tali saltem Missa, dicendi Symbolum. Tum, quia, *Solus concursus populi* (inquit Gauantus, tomo cit. parte 1.

tit. 11.

tit. 11. verbo, *Patroni) non facit, vt legitimè dicatur Credo*: tum, quia, nec facit idem concursus etiam Cleri, nisi, vnà cum Clero, adsit Episcopus; vt idem (ex declaratione Sacræ Rituum Congregationis) firmat, 8. titulo, verbo, *Votiua solemniter*: qui quidem Episcopus huic Missæ adesse nunquam solet. Atque hæc, de qualitate Officij, ac Missæ, in Festo Sancti Sireni, & de illorum ordinandorum modo.

DISTINCTIO QVINTA.

De Qualitate Officij, in Festo Lacrymationis, ac de modo illius ordinandi.

58 SEd iam dicenda quædam, sunt de qualitate Officij, in Festo Lacrymationis, vel dicas, Lacrymarum, ac de illo ordinando.

Quod attinet ad qualitatem Officij (de qua certè dicenda pauca sunt, quapropter, duo simul hîc iunxi capita) certum est: in hoc Festo (cùm in honorem Beatæ Mariæ celebretur) de Beata Maria, faciendum esse Officium. Id quod (vt suo loco vidimus) obtinuit etiam antiquitus consuetudo.

Verùm, ex quonam loco Breuiarij Romani (quod quidem ad Officij talis ordinandi modum attinet) sit illud desumendum; (quandoquidem, neque pro tali Festo, proprium Officium adest) inuenio (vt verum fateat) ante hac, huiusmodi in re, variatum esse. Seniores nanque Patres Conuentus Ecclesiæ prædictæ Sancti Christophori testantur: Officium istius Festi, quandoque factum esse, vt in Festo Natiuitatis eiusdem Beatæ Mariæ, mutatis mutandis; quandoque verò (quod, his diebus, notatum legitur, in

Tabula iam sæpiùs memorata, quam in Choro tenent affixam) vt in Festo ad Niues.

DIGRESSIO

Spectans ad Quintam Distinctionem.

Occurritur Obiectioni, quæ, per occasionem variationis, de qua modò est facta mentio; contra iam statuta, de consuetudine recitandi talis Officij, posset quispiam insurgere: Vbi de ijs, quæ Scriptores accidentalia nuncupant Officij, quædam fortè non spernenda.

59 EX hac tamen variatione (nam est hîc obiter, ad istud, antè quàm vlteriùs procedamus, aliquātulùm digrediendum) occasionem iurè, ac meritò capere nullus quidem potest, obijciendi contra illa, quæ de consuetudine recitandi huius Officij, sunt in superioribus determinata: quasi ex eo, quòd ita variatum est; consuetudo illa (quia de ratione consuetudinis maximè est, vt sit inuariata) bene, ac legitimè introducta non sit: vel, si ab initio bene, ac legitimè fuit introducta; per variationem istiusmodi, sit illi derogatum.

Etenim, cōsiderare oportet: variationem, de qua loquimur; in accidentalibus Officij prorsus, non autem in substantialibus, contigisse.

60 At hîc, est bene obseruandum; quòd accidentalia, quæ dicimus Officij; sunt in duplici differentia.

Quædam enim sunt, de quibus, dubitant Doctores, Num re vera, sint accidentalia communia, & extrinseca, quæ adesse, & abesse possunt à subiecto absque eo, quòd illud corrumpatur; num verò, potiùs proprietates, vel cōditio-

ditiones quædam indiuiduales; quæ, nisi corrupto subiecto, separari non possunt. Et huius generis præsertim sunt, quas vocamus Officij qualitates: vt, quòd sit illud de aliqua particulari Dominica, vel Feria, & proinde appelletur de tempore; vel quòd sit de aliquo particulari Sancto. Et propterea, quidam volunt: obligatum, ad Officium persoluendum, huiusmodi qualitates variando, ac mutando, ita vt, quando faciendum est, iuxta præscriptum Breuiarij, de tali Dominica, vel Feria, faciat de Sancto, & contrà; regulariter, & ex genere, peccare mortaliter. Cùm ab hoc indiuiduali Officio separet, inquiunt, proprietatem, & conditionem; sine qua indiuidualiter esse non potest: atque adeò notabiliter transgrediatur dictum Breuiarij præscriptum; iuxta quod (ex Piana Bulla, ipsi Breuiario præfixa) Officium recitandum est. Alij verò putant: ob eandem variationem, ac mutationem peccari, venialiter duntaxat; (quando tamen variatio, ac mutatio sine causa facta sit) cùm ob id varietur, ac mutetur Officium (aiunt ipsi) tantùm in accidentalibus: hoc est, inspectantibus ad cæremoniam, & ad modum; cuius transgressio, ad mortale peccatum, non est vtique per se sufficiens. Atque hoc de dubio, videri possunt, inter ceteros, Paulus Layman, lib.4. tract. 1. cap. 5. num. 4. & 5. & Diana parte 2. tract. 12. resolut. 3. qui multos vtrinque citant.

61 Quædam verò sunt, ex accidentalibus Officij, quæ totam rationem habent verorum, ac propriorum accidentalium communium, & extrinsecorum: quæ, nimirum, adesse, & abesse possunt ab Officio ipso indiuiduali, absque eo; quod illud indiuidualiter, ne minimum quidem, corrumpatur. Quod sanè ipse arbitror, inter Doctores, fore neminem, qui rationabiliter inficietur. Et accidentalia generis huius, procul dubio, sunt diuersæ illæ Oratio-

tiones, & Lectiones quoque, tum secundi, tum tertij Nocturni, quæ habentur, in vnoquoque Communi Sanctorum; & possunt, addito proprio Sancti nomine, vbi sit addendum, vnicuique Sancto, ad quem illud Commune pertinet, accommodari.

Vt autem ostendam, quod modò dixi, verum esse; suppono: in Sanctorum Festis, quorum Officia sumuntur de Communi aliquo; posse recitantes legere, ad arbitrium, congruentes illas, & Orationes, & Lectiones, tum secundi, tum tertij Nocturni, ex diuersis, quas maluerint. Tum, quia (vt notat Gauantus, tomo 2. sect. 8. cap. 2. num. 3.) huiusmodi Orationes, & Lectiones, ideo positæ sunt ibi plures, vt (præter aliam rationem, ibi videndam, si placet) pro recitantium libito, variari possint; tum, quia, si diuersæ illæ, tam Epistolæ, quàm Euangelia, quæ ponuntur, in quolibet Communi Missalis (vt habetur ibi expresse, in specialibus Rubricis, quæ legi possunt, & in fine Communis Martyris Pontificis, extra tempus Paschale, & in fine Communis Martyris vnius, tempore Paschali) ad libitum Sacerdotum, possunt in Missis dici; quid prohibet: ne possit idem, in Officijs fieri, circa dictas, & Orationes, & Lectiones varias; maximè, cùm vtrinque eadẽ vrgeat ratio, & Missę, & Officia concordare inuicem debeant.

62 Quo posito, sic discurro. Si fiat, exempli gratiâ, Officium de aliquo Titulari, vel Patrono, vel simili; & sumendum sit illud de Communi; & vno anno, ex illis Orationibus pluribus legatur vna, & alio, alia; & sic, vno anno, legantur Lectiones illæ, quæ tenent primum locum, alio, quæ tenent secundum, in secundo, ac tertio Nocturno; certum est: ob hanc mutationem, nunquam, neque in minima parte, corrumpi, aut suam veram existentiam indiuidualem amittere huiusmodi Officium. Quia, siue habeat Orationem, & Lectiones

nes

nes primi, & secundi Nocturni, quæ stant in primo loco, siue habeat illas, quę stāt in secūdo; semper est verū dicere (cū additur præsertim propriū Sancti nomen, vbi est addēdum) Officiū illud esse indiuidualiter, absque eo, quod aliquid illi desit; huius, vel illius particularis Sancti Patroni, vel Titularis, vel similis. Orationes ergo illæ, & Lectiones, quę aliquādo adsunt, & aliquando absunt, absque talis Officij indiuidualis vlla corruptione; sunt prorsus re vera, & propriè (quemadmodū affirmaui) accidentalia cōmunia, & extrinseca. Vnde manifestè sequitur, negari nullo modo posse; quin dentur, in Officijs, talis generis accidentalia.

63 Quæ cum ita sint: de quibusnam sim locutus accidentalibus, cùm dixi, variationem illam, de qua testantur Seniores Patres, paulò suprà memorati, in accidentalibus Officij, non autem in substantialibus eiusdem contigisse; facillimè patet, ex dictis. Certum enim est, ex ijs: quòd, etiamsi, multis annis, factum sit, in Festo Lacrymarum, Officium, vt in Festo Natiuitatis Beatæ Mariæ, &, in multis alijs postmodum annis, vt in Festo ad Niues, & semper mutandis mutatis, vbi, & quando erat opus; his postremis tamen annis, tale Officium nunquam verè dici potuit, aut verè fuit ita diuersum, aut immutatum, secundùm substantiam, etiam indiuidualem ab eo, quod fuerat illis annis primis: vt iuxta quosdam (sicut innuimus) est diuersum, & immutatum, secundùm substantiam indiuidualem, Officium, quod fit de Sancto; quando faciendum est de Feria. Cuius rei hæc est ratio. Quia Officium de Sancto; nunquam indiuidualiter est Officium de Feria: ac proinde (si nuncupatio respondere debet rei nuncupatæ, iuxta illud Sanctæ Thomæ, 1. p. q. 13. in principio, *Vnumquodq; nominatur à nobis, secundùm quòd ipsum cognoscimus*) nunquam etiam Officium de Feria verè nuncupari potest. At Officium factum, in festo Lacrymarum, his po-

stremis annis, vt in Festo ad Niues; verè est, secundùm omnem suam substantiam, etiam indiuidualem, & verè vocari potest Officium Beatæ Mariæ, congruens eidem Festo Lacrymarum, nihil minùs; quàm esset, ac vocari posset Officium, factum in eodem Festo, vt in Festo Natiuitatis. Quapropter: cùm hinc appareat, & his postremis annis, & illis primis, hoc Officium, secundùm suam indiuidualem substantiam (nihil obstante variatione prædicta) semper vnum, & idem fuisse, sicut Officium de aliquo Sancto, vno anno factum, cum Oratione, ac Lectionibus secundi, & tertij Nocturni, in communi congruente, primo loco positis, & alio anno, cũ Oratione, ac Lectionibus ijsdem, positis ibidem, loco secundo (tali variatione nihil obstante) secundùm eandem indiuidualem substantiam, est etiam semper vnum & idem; sequitur pariter: vt, quemadmodum hæc variatio, in Officio de Sancto, est ex dictis, in accidentalibus secundi generis; ita variatio illa, in Officio B. M. pro nostro Festo Lacrymarum, fit, in eiusdem generis accidentalibus: hoc est, in ijs, quæ adesse, & abesse possunt ab ipso subiecto, quod dicti Officij substantia indiuidualis est, præter illius corruptionem; vel (vt verbis Iurisperitorum vtar, apud Barbosam, in suis Axiomatibus, axiomate 5. num.3. si libeat, videndis) quæ mutari, ac variari possunt, nihil vitiata, hoc est, nihil immutata, nihilque variata eiusdem Officij substantia.

64 Hæc igitur illa sunt; vnde soluta omnino remanet suprà posita obiectio. Nam, quemadmodum, ob accidentalem huiusmodi variationem, substantia ipsa indiuidualis Officij Beatæ Mariæ Festo Lacrymarum, quod in eiusdem honorem celebratur, congruentis, nihil vnquam corrupta, vitiata, immutatata, siue variata est; ita dicere pariter oportet: nihil vnquam corruptum, vitiatum, immutatum, aut variatum fuisse; quod impedire potuerit, ne

ne consuetudo illius recitandi, quam, in superioribus, alioquin legitimè introductam esse, determinatum fuit, legitimè introduceretur; & quod eidem consuetudini, iam introductæ, derogare potuerit. Si enim consuetudo, dum introducitur, debet esse inuariata, hoc est, per illud spatium temporis, de quo suo loco dictum est, continuata, nec intermissa, circa vnum, & idem, & hoc ipsum requiritur (vt supponit obiectio) ne illi derogetur; hoc manifestè contigisse apparet, in consuetudine introducenda, & continuanda, de qua loquimur: quæ iam inde ab initio sui vsque adhuc; circa vnum & idem indiuidualiter Officium, semper fuit versata.

DISTINCTIO SEXTA.

Resumitur materia intermissa: & supposita variatione prædicta, in ordinando illo, de quo loquimur Officio; declaratur, quis ex duobus, in variatione, adhuc adhibitis modis, videatur melior, pro praxi: & adduntur quædam alia Notabilia.

65 SEd, vt illuc reuertatur sermo noster, vnde fuit aliquantulùm digressus; circa variationem huiuscemodi, proponitur hoc

Dubium.

Vter ex duobus modis, qui hactenus, in tali Officio ordinando, sunt seruati; sit altero potior, & alteri praeferendus, in posterum.

ET, prima quidem facie, vterque videtur æquè bonus. Tum quia, vterq; seruatur æquè ab vniuersali Ecclesia,

sia, cùm enim illa ordinat Festi Conceptionis B. Mariæ Officium, eius magnam partem ab Officio Festi Natiuitatis eiusdem sumit; & cum ordinat Officium Festi Præsentationis, magnam item partem ab Officio Festi ad Niues mutuatur; tum quia (sicuti notat Gauantus, & 1. tomo, parte 4. tit. 15. num. 22. & 2. tomo sect. 7. cap. 12. *in principio*) in Festo pariter Sanctissimi Rosarij, quod, vt suprà visum est, ijs in Ecclesijs, in quibus eiusdem Rosarij Capella, siue Altare adest, ex Gregorij XIII. Decreto, prima Dominica Octobris, celebratur, & pro quo speciale, ac proprium non fuit assignatum Officium, quod nihilominus, de Beata Maria, sub duplici ritu, Decreto eodem, est concessum; illud alicubi (vt, in Sacra Domo Lauretana) recitatur, vt in Festo ad Niues; alicubi verò (vt Bononiæ) vt in Festo Natiuitatis. Ita vt, hæc Officia duo, alterum, nempe, Festi Natiuitatis B. Mariæ, atque alterum Festi ad Niues; dici etiam possint, quasi duo Communia, pro Festis eiusdem Beatæ Mariæ; quæ, accidat vbique terrarum, vt in particularibus Ecclesijs, extra illa, quæ sunt in Romano Kalendario notata, celebrentur.

66 Re vera tamen: placet mihi longè magis; vt, in Festo nostro, desumatur Officium de Festo ad Niues, quàm de Festo Natiuitatis. Quemadmodum, in prædicto Festo Sanctissimi Rosarij, fatetur Gauantus (vbi suprà) placere sibi magis modum ordinandi, desumendiue Officij, quo vtuntur Laureti; quàm, quo vtuntur Bononiæ. Et mei placiti ego addo rationem, quam sui non explicat Gauantus; & ea est. Quia, in Officio Festi Natiuitatis B. Mariæ, vnum aliquid præsertim est; quod in Festum vniuersalis Ecclesiæ, quale est ipsum, siuè aliud simile, optimè quidem quadrat: nempe, illud, quod, in Antiphona, ad, ***Magnificat***, pro secundis Vesperis, legimus; ***Natiuitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo:***

sed,

ſed, in Feſtum noſtrum, quod Eccleſiæ particularis eſt, etiam nomine, *Natiuitas*, in nomen, *Feſtiuitas*, aut in aliud mutato; bene quadrare, nequaquam videtur.

67 Veruntamen: ſi fiat Officium, vt in Feſto ad Niues; in ſecundo Nocturno, Lectiones, quæ ſunt in ſecundo Nocturno talis Feſti, non poſſunt legi: quia continent Hiſtoriam propriam Feſti eiuſdem ad Niues; quæ Feſto noſtro applicari non poteſt. Quocirca: Lectiones huiuſmodi ſumi poſſunt ab alio ſecundo Nocturno alterius cuiuſcunque Feſti, vel diei alicuius, intra Octauam aliquam, eiuſdem B. Mariæ; quæ tamen laudes aliquas illius communes, & non ordinatas magis ad vnum, quàm ad aliud illius Feſtum, vel illius Myſterium, in illius Feſto celebratum, contineant. Et valde aptæ, meo iudicio, ſunt illæ, quæ habentur, in ſecundo Nocturno dicti Feſti Natiuitatis, ex Sancti Auguſtini Sermone; mutato tamen illo nomine, *Natali*, in nomen, *Feſtiuitatis*.

Quo loco, & alio ſimili quocunque, vbi mutatio facienda eſt; abſtinerem ego ſemper (quicquid aliqui dicant) à nomine, *Lacrymationis*: tum ob alias rationes, quas omitto; tum maximè, quia in Feſtis huiuſmodi, quæ, occaſione Miraculorum, in honorem B. Mariæ celebrantur, fieri conſueuit; vt, in eorum Officijs, nomina, quæ ſpecialiter ipſa Miracula indicant, omittantur; & vſurpetur tantùm nomen genericum, *Feſtiuitatis*. Ita fit (vt eſt clarum) in ipſomet Feſto ad Niues, & in Feſto etiam Tranſlationis Sanctæ Domus Lauretanæ; cuius Officium, Decreto Sacræ Rituum Congregationis, approbatum eſt, pro Prouincia Picena, die 8. Decembris 1632. Et multò magis abſtinerem à nomine alio, *Apparitionis*: cùm Apparitio Dei Genitricis, tertio die Veneris Martij (vt iam diximus) Pinnæ Billorum, non contigerit.

DISTINCTIO SEPTIMA.

Proponuntur, & explicantur, circa modum eundem, ordinandi eius, de quo agitur, Officij; duo Dubia: vbi quædam, fortè non pœnitenda.

68 SPectant adhuc alia quædam ad modum, idem Officium ordinandi. Sed (minutioribus postpositis, vt est commemoratio Feriæ occurrentis, quæ fieri debet, in vtrisque Vesperis, & Laudibus, & nona Lectio de Homilia, pariter occurrentis Feriæ, cùm semper hoc Festum incidat in Quadragesimam) duo Dubia sunt explicanda.

Dubium Primum.

Vnde sumi debeant Lectiones primi Nocturni.

REspondeo. Cùm Festum (vt dicebam) in tempus Quadragesimæ recurrat, vnoquoq; anno; colligitur ex titulo 26.num.9. Rubricarum generalium Breuiarij, desumendas illas esse ex eius Festi primo Nocturno; vnde reliqua pars maior desumitur Officij. Quare, si de Festo ad Niues, Officij, quod reliquum est, ex maiori parte, iuxta supradicta, desumatur; inde etiam sunt desumendæ primi Nocturni Lectiones. Hoc enim casu, Officium Festi ad Niues (vt innuimus etiam suprà) est quasi Commune.

Quin etiam: tametsi hoc Festum in Quadragesimam non

non caderet, quod esse non potest; idem nihilominus fortè fieri deberet. In Officijs nanque Festorum B. Mariæ, quæ habemus, in Romano Breuiario, etiamsi, nec primæ, nec secundæ sint Classis, nunquam legitur de Scriptura occurrente.

At fortè dictis obstat, quod, in Officio concesso (vt assertum est supra) pro Festo Trãslationis Sanctæ Lauretanæ Domus, præscribuntur, in primo Nocturno, de huiusmodi Scriptura occurrente Lectiones.

Hoc tamen ego factum idcirco putarim; quòd hoc Officium (vt patet ex Decretis cum illo impressis) concessum est, vt in toto Piceno fiat, ad instar fit, in ipsa Lauretana Domo. In illa verò, cùm cadat infra Octauam Conceptionis, quæ ibi celebratur; fit, pro hoc Festo, illud idem Officium, quod faciẽdum esset, tertia die, infra dictam Octauam; nihil prorsus mutato, nisi nomine Conceptionis in nomen Festiuitatis, & ritu de semiduplici in duplicem. Quare, cùm ibi, in primo Nocturno, legãtur Lectiones de Scriptura occurrente, quæ legendæ essent, in tertia die, infra præfatam Octauam; sic debent legi, in Officio concesso, vt fiat, ad instar fit ibi.

Dubium Secundum.

Accidit sæpe; vt hoc Festum occurrat, ipso die, quo, vel Festum Sancti Ioseph, vel Festum Sancti Ioachimi, vel Festum Sancti Benedicti Abbatis occurrit.

Quæritur.

De quo, fieri debeat Officium, eo casu.

69 SOlutio huius Dubij bene hauritur principaliter, & ex tit. 10. Rubric. n. 6. & ex Tabella Occurrentiæ Offi-

Officiorum, num. 8. additis quibusdam, ex Gauanto; & ex alio titulo Rubr. de quo mox. Verba Rubricarũ, quarum est iam citatus locus, huc spectantia; sunt hæc. *Si duo*, inquit, *vel plura Festa Duplicia simul, eodem die, veniant; fiat de digniori*. Verba etiam Tabellæ sunt hæc, *Officium de digniori Translatio de minùs digno*.

70 Sed, ad intelligendum, ex pluribus Festis quodnam sit alijs dignius; ex Gauanto (in tomo 2. sect. 3. cap. 10. num. 5.) attendendus est primo ritus: an scilicet vnum ex illis primæ sit Classis, an secundæ, an verò Duplex per annum; aliorum respectu. Quod enim est primæ Classis, est dignius eo, quod est secundæ: & quod est secundæ Classis; est dignius eo, quod est Duplex per annum: ac tandem quod est Duplex per annum, est dignius eo; quod est Semiduplex.

Si autem in ritu sint æqualia; attendenda est dignitas personæ: vt in ordine ad illam colligatur maior dignitas Festi.

Quænam verò persona inter Cęlites alijs dignior appelletur (subtilioribus omissis, quæ huc non spectant) ex titulo 11. dictarum Rubricarũ, num. 2. in fine (& hic est locus, de quo paulò suprà, sed ibi speciatim nõ indicatus) deprehendimus; exceptis personis ipsis Diuinis, ac proinde persona Christi Domini; Beatæ Mariæ Virginis personam ceteris omnibus digniorem appellandam esse. Quemadmodum etiam, inter personas ceterorum omnium Cælitum, aliæ sunt alijs (vt ibidem videre licet) digniores appellandæ.

Ex quo eodem loco discimus etiam: si Festum aliquod Beatæ Mariæ, verbi gratia, & alia Festa Sanctorum, quorum, personæ sunt minùs dignæ, sint inter se, in ritu, æqualia; ratione tamen dignitatis personæ, præferendum est ceteris Festum Beatæ Mariæ. Et sic, est pariter

dicen-

dicendum de Festis ceterorum Sanctorum, à Beata Maria: quia etiam in his (data æqualitate Festorum, in ritu) præferendum est semper ceteris Festum illud, quod est dignioris personæ.

Vnde oritur alia quædam differentia, spectans ad ritum. Quandoquidem, si duo Festa sint æqualia, in ritu, nimirum, ambo Duplicia, per annum; Festum, quod est personæ dignioris, & idcirco præfertur alteri; dicitur in Rubricis Duplex maius per annum: & alterum, quod est personæ minus dignæ; dicitur in ijsdem, Duplex per annum minus. Quem dicendi modum, ego puto, posse vsurpari (Rubricis congruenter) etiam, quando Festa inter se æqualia spectant, vel ad primam, vel ad secundam Classem: ita vt: si alterum sit personæ dignioris, dici possit Duplex maius primæ, vel secundæ Classis: & alterum, quod est personæ minùs dignæ; eiusdem primæ, vel secundæ Classis Duplex minus.

71 Nunc porrò, comparanda sunt, inter se, Festum Lacrymarum, quod in honorem Beatæ Mariæ celebratur, ex vna parte; & Festa trium prædictorum Sanctorum, de quibus dubium procedit, ex altera parte.

Festum quidem Lacrymarum; nec est primæ, nec secundæ Classis: quia in Series illarum (vt, si legantur in Breuiario Romano suo loco, manifestè patet) non ingreditur. Nihilominus est Duplex, vt suprà dictum est. Est ergo Duplex per annum. Trium item Sanctorum prædictorum Festa, nec primæ, nec secundæ sunt Classis, ob eandem rationem. Attamen apparent, in Kalendario, Duplicia. Sunt ergo Duplicia per annum, & illa quoque. Ac per consequens, quatuor huiusmodi Festa, Festum, nempe, Lacrymarum, ex parte vna, & Festa Sanctorum Ioseph, Ioachimi, & Benedicti, ex parte altera; sunt, in ritu, solemnitatis æqualis. Sed, hoc in casu, ex iam dictis,

Fe-

Festum dignioris personæ præfertur ceteris. Ergo est Festum dignius. Vnde ad hoc indicandum, in ritus æqualitate, habet quandam prærogatiuam, vt vidimus, ac differentiam; cum dicatur Duplex per annum maius. Sed Festum Lacrymarum est Festum dignioris personæ, si Sanctorum Ioseph, Ioachimi, & Benedicti Festis comparetur, quod constat etiam ex dictis; ergo respectu illorum, cùm sit illis propterea præferendum, est Festum dignius.

72 His ita conclusis: reuocentur demum ad memoriam Regulæ positæ paulò suprà, in principio; quibus decernitur, translato minus digno, faciendum esse Officium, in tali casu, de digniori: & non liquidò cõstare non poterit, de Festo Lacrymarum esse faciendum Officium, in casu nostro; eius verò Festi ex dictis, quod accidere potest, vt vnà cum illo, in eundem diem cadat; Officium esse penitus transferendum. Quæ quidem est, ad Dubium propositum, adæquata responsio.

Vnde apparet obiter: quid sit faciendum, etiam in casu concurrentiæ: cùm, nimirum, aliquod, ex memoratis Festis, concurrit cum Festo Lacrymarum, vel Festum Lacrymarum cum aliquo ex ipsis. Quia tunc pariter: Festum Lacrymarum, tanquam dignius, præfertur; ita vt primas, & secundas Vesperas integras habeat; ac de Festo minùs digno fit commemoratio duntaxat. Videnda est Tabella Concurrentiæ, & iam citatus locus, tituli 11. Rubricarum.

DISTINCTIO OCTAVA.

De Qualitate Missæ, in eodem Festo Lacrymarum, ac de modo illius ordinandæ. Vbi Dubium vtile Celebrantibus, ad praxim, explicatur; ac demum peroratur.

73 Reliquum tandem est, vt loquamur, sed breuiter, de Missa.

Qualitas in primis Missæ Festi Lacrymarum est, vt sit illa de Beata Maria.

Verùm oritur hîc

Dubium.

Vtrum, quando incidit hoc Festum in eundem diem, in quem incidit etiam aliquod ex Festis prædictorum Sanctorum, vel Iosephi, vel Ioachimi, vel Benedicti; Sacerdotes omnes, ad illud confluentes, præter ipsos Augustinenses Patres, possint in eadem Ecclesia, vbi idemmet Festum agitur; eandem Missam de Beata Maria celebrare.

Videntur non posse. Quia, respectu Sacerdotum, qui de Festo Lacrymarum non faciunt Officium; hæc Missa est votiua: idest, pro eorum voluntate dicta. Talis enim (ex Gauanto, tomo 1. parte 1. tit. 4. in eiusdem tituli explicatione, verbo, *Votiuis*) est Missa, quæ, in Rubricis Missalis, Votiua nuncupatur. Sed Missa Votiua, cùm Officium est Duplex, qualia sunt prædictorum Sanctorum Officia singula; dici non potest. Nam hoc prohibemur, ex Regula Rubricarum earundem, titulo eodem, num. 3.

Et præterea: Missa (vt ibidem dicitur) debet cum Officio conuenire.

74 Respondetur tamen, omnino posse: imò (si loqui

velimus cum Gauanto) non tantùm posse; verùm etiam teneri. Hic enim (tomo citato, parte 3. tit. 10. num. 16. vers. *Non tantùm*) vbi dixisset, Sacerdotes, ita in huiusmodi casibus celebrantes, nihil agere contra Rubricas; addit: *Imò tenentur celebrare ibidem* (hoc est, in Ecclesia, vbi agitur Festum) *pro ratione Festi*.

Sed illud, *tenentur*, ego puto, intelligendum de debito solùm, quod Sanctus Thomas (in 2. 2. q. 80. a. vnico, in corp.) vocat (vt vidimus alibi) debitum morale: nimirum, honestatis, & cuiusdam congruentiæ: non autem de debito legali, *ad quod reddendum* (ait ipse) *aliquis Lege adstringitur*. Non enim extat, quod sciam, præceptum aliquod, siue aliqua Lex, hoc ipsum præcipiens.

75 Rationes autem Responsionis hæ sunt.

Primò. Quia habet hîc locum Regula illa communis, ac trita;

Si fueris Romæ, Romano viuito more,
Si fueris alibi, viuito, sicut ibi;

quam importare priuilegium saltem, nisi præceptum importet; sentit Bonacina, De Horis Canonicis, disp. 1. quæst. 3. puncto 1. num. 8. vers. *Ad primam*. Adest ergo, per hanc Regulam, priuilegium saltem, id faciendi.

Secundò. Quia Capellani Monialium, in ipsarum Ecclesijs, possunt Missam celebrare de Festo (iuxta Missale tamen Romanum) de quo ipse Moniales recitant Officium; etiamsi Officium aliud ipsi recitauerint. Quod notat Fraxinellus, De Sacerdotum Obligationibus ad Missas, sect. 4. cõclus. 4. §. 23. vers. *Affirmatiuè*: imò, quod à Sacra Rituũ Congregatione declaratum, referunt Gauantus, loco cit. versu, *Intellige*, & Pellizarius, in tractatione De Monialibus, cap. 7. num. 8. Ergo idem, à simili, dicendum est de Sacerdotibus, confluentibus ad Festum, in nostro casu.

Tertiò. Quia, vt alibi diximus (itidem ex Gauanto) con-

congruum est: vt in Ecclesia, vbi celebratur aliquod Festum, Fideles audiant illud Officium, siue in Canonicis Horis, siue in Missa; quod excitet illos magis, ad deuotionem in ipsum Sanctum, cuius Festum celebratur. Ad hoc autem nullum esse aptius, quàm Officium, siue in Canonicis Horis, siue in Missa, de illo eodem Sancto; quippe compertum est.

Quartò. Quia, in eadem Ecclesia, dicere Missam aliam, ab illa, quæ de Sancto est, cuius agitur Festum (vt idem Gauantus ait, loco suprà citato) Fidelibus esset admirationi.

Quintò demum. Quia, si Missa conuenire debet, ex Rubricis, cum Officio; ea in Ecclesia, vbi Festum Beatæ Mariæ, cum eius Officio, celebratur; sola Missa de Beata Maria cum Officio conuenit. Hanc verò conuenientiam attendi debere respectu Ecclesiæ, vbi celebratur, non respectu personę celebrantis; satis hauritur ex declaratione Sacræ Congregationis Rituum, quam paulò suprà tetigimus. Non est siquidem putandum, ex alia potiore causa, sic fuisse declaratum; quàm, vt, in eadem Ecclesia, Missa conueniat cum Officio.

76 Ad primam rationem in contrarium, dico: Missam hanc nullo modo esse Votiuam. Tum quia, in Ecclesia, vbi celebratur, esse Missam hanc, extra ordinem Officij (cuiusmodi est, ex ipso principio Rubricarum generalium Missalis, omnis Missa Votiua, & pro Defunctis) dici nequaquam potest: sed Festiuam, & secundùm ordinem Officij: tum quia, si illud, *Votiua*, sonat pro voluntate; talis Missa, non pro voluntate, in eadem Ecclesia dicitur: sed ex debito, saltem honestatis, & congruentiæ; vt explicatum est.

Ad secundam, patet ex dictis: est enim ostensum, huiusmodi Missam cum Officio, ea in Ecclesia, bene conuenire. Atque hæc de Dubio.

INDEX.

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc Opere ſic citantur, vt fere ſemper etiam explicentur.

Prior numerus eſt Capitis, vel Pſalmi: poſterior pagina.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Exodus.

Pri-

3. Di-

EX NOVO TESTAMENTO.

12. *Nulli*

Epist.

FINIS.

INDEX

Rerum Præcipuarum huius Operis, per Quæsita digestus.

Vbi primus numerus paginam designat, & secundus est marginalis: qui, si in designata pagina non inueniatur, erit in antecedente: illud autem, in not. loco secundi numeri, significat, in Notulis.

A

Actio,

Actus

Quid

Angelorum bonorum à malis Differentia.

Num

Ap-

Quis

An

B

Ca-

Quis

Num,

Vtrum

ne

Num

Quæ

Fu-

I.

& quo

Lacrymæ Propriæ.

Num

Qua-

Mi-

Miraculum.

Qua

Num,

spirituale, vel etiam temporale. ibid. 82
Num propter solum Reipublicæ bonum 494. 83
Num vnicuique priuato, propter publicum, & priuatum bonũ, liceat odisse Tyrannum iure, ac titulo, dum actu inuadit Principatum. 502. 94
Num idem, cùm iam inuasit Principatum, & illius possessionem tenet. 503. 95
Num idem, etiamsi de Principatu sit pulsus, ex eo tamen, quòd pro iniurijs non satisfecit. 505. 93. & deinceps.

Officium Horarum Canonicarum.

Quare Horæ Canonicæ dicantur Officium. 711. 25
Accidentalia Officij quotuplicia sint. 740. 59
Quænam sint illa, de quibus Doctores dubitant, num sint Officij accidentalia communia, & extrinseca, num verò conditiones quædam indiuiduales. 740. 60
Num hæc vocentur etiam Officij qualitates. ibid.
Num, qui, obligatus ad Officium, variat illud in huiusmodi, peccet mortaliter. 741. 60
Quænam sint Officij accidentalia, quæ totam rationem habent verorum, ac propriorum accidentium communium, et extrinsecorum. ibid. 61
Officij variatio, in accidentalibus huius generis, num Officium indiuidualiter mutet. 742. 62. & deinceps.

Officium Horarum Canonic. in Festo Lacrym. Pinn.

De quo fieri debeat. 739. 58
Quo ritu. 730. 45
A quibus fieri possit. 726. 41
De quo loco Breu. Rom. sit sumẽdum. ibid.
Nũ bene de Festo Natiuit. B. Mariæ. 746. 65
Num fortè meliùs de Festo ad Niues. ibid. 66
Si fiat, vt in Festo ad Niues, Lect. pro secundo Noct. vnde sumenda. 747. 76
Num abstinendum à nomine Lacrymationis, vel simili. ibid.
Quod nomen vsurpandum. ibid.
Num Officia Natiuit. B. Mariæ, & Festi ad Niues, quasi duo Communia sint, pro Festis eiusdem, quæ non sunt in Kalend. 746. 68
Vnde sumi debeant Lectiones secundi Noct. 748. 68
Quando Festum Lacrym. occurrit in Festo Sanctorum, vel Iosephi, vel Ioachimi, vel Benedicti, de quo fieri debeat Officium. 749. 69. & deinceps.

tam ardua sunt, & grauia, vt circa ipsa dubitatum sit inter DD. de ipsius potestate, & quæ sint hæc. ibid.

Quare iudicium de Miraculis non Canonizatorum sit ipsi reseruatum. 577. 42

Quare non vtatur Baculo Pastorali. 413. 6

Parelium, Impressio.

Num ignita, & quid. 119. 81

Num appareat, ac dici soleat alter Sol. ibid.

Vnde fiat. 120. 19

Num fiat distanter à Sole, num verò prope illum. ibid.

Vbi fiat. ibid.

Num, inter corpora lucida non ex natura sua sit illud, quod maiores radios reflectere solet. 107. 3

Parœcialis Ecclesia, Parochus, Parochianus.

Quęnam spectent ad Parœcialem Ecclesiam, ratione populi. 650. 15

Parochus ad quid teneatur. ibid.

Num degentes in Præcijs, siue Parochiani, ratione animę, dicendi sint priuilegiati. 653. 18

Priuilegium illis concessum, ratione animę, num in causa pia fundetur. 655. 19

Parmense telum.

Quid, & quare sic dictum. 9. in not.

Participium præsentis.

Num possit rectè copulari cum verbo pręteriti temporis. 60. 37

Passiones Appetitus sensitiui.

Vide Appetitus sensitiuus.

Pastoralis Baculus.

Vide Papa.

Pater.

Num, natura, filiorum imperiū obtineat. 144. 40

Num fugere ob illo iniustè inuadente timiditati adscribatur. 502. 93

Num potiùs virtuti, & cui. ibid.

Patria.

Affectus in illā num sit vnicuique maximus. 438. 30

Num iudicium alteret. ibid.

Patronus loci.

In electione illius, qui concurrere debeant. 733. 49

S. Paulus Apost.

Quo modo eleuatus fuerit in raptu. 219. 30

Eius Conuersio num fuerit Miraculosa. 267. 8

Num, vt Miraculosa, celebretur ab Ecclesia. ibid.

Peccator, Peccatum.

Peccatoris iustificatio num sit propriè Miraculum. 601. 65

Num peccata cordis, & operis ad vnam perfectam peccati speciem pertineant. 495. 83

Quousque deordinetur anima, per mortale peccatū. 554. 18

Pe-

Qua

An

spirituale, vel etiam tempo rale. ibid. 82
Num propter solum Reipublicæ bonum 494. 83
Num vnicuique priuato, propter publicum, & priuatum bonũ, liceat odisse Tyrannum iniu re, ac titulo, dum actu inuadit Principatum. 502. 94
Num idem, cùm iam inuasit Principatum, & illius possessionem tenet. 503. 95
Num idem, etiamsi de Principatu sit pulsus, ex eo tamen, quòd pro iniurijs non satisfecit. 505. 93. & deinceps.

Officium Horarum Canonicarum.

Quare Horæ Canonicæ dicantur Officium. 711. 25
Accidentalia Officij quotuplicia sint. 740. 59
Quanam sint illa, de quibus Doctores dubitant, num sint Officij accidentalia communia, & extrinseca, num verò conditiones quædam indiuiduales. 740. 60
Num hæc vocentur etiam Officij qualitates. ibid.
Num, qui, obligatus ad Officium, variat illud in huiusmodi, peccet mortaliter. 741. 60
Quænam sint Officij accidentalia, quæ totam rationem habent verorum, ac propriorum accidentium communium, et extrinsecorum. ibid. 61
Officij variatio, in accidentalibus huius generis, num Officium indiuidualiter mutet. 742. 62. & deincept.

Officium Horarum Canonic. in Festo Lacrym. Pinn.

De quo fieri debeat. 739. 58
Quo ritu. 730. 45
A quibus fieri possit. 736. 41
De quo loco Breu. Rom. sit sumẽdum. ibid.
Nũ bene de Festo Natiuit. B. Mariæ. 746. 65
Num fortè meliùs de Festo ad Niues. ibid. 66
Si fiat, vt in Festo ad Niues, Lect. pro secundo Noct. vnde sumenda. 747. 76
Num abstinendum à nomine Lacrymationis, vel simili. ibid.
Quod nomen vsurpandum. ibid.
Num Officia Natiuit. B. Mariæ, & Festi ad Niues, quasi duo Communia sint, pro Festis eiusdem, quæ non sunt in Kalend. 746. 68
Vnde sumi debeant Lectiones secundi Noct. 748. 68
Quando Festum Lacrym. occurrit in Festo Sanctorum, vel Iosephi, vel Ioachimi, vel Benedicti, de quo fieri debeat Officium. 749. 69. & deinceps.

Offi-

P

tam

tam ardua sunt, & grauia, vt circa ipsa dubitatum sit inter DD. de ipsius potestate, & quæ sint hæc. ibid.
Quare iudicium de Miraculis non Canonizatorum sit ipsi reseruatum. 577. 42
Quare non vtatur Baculo Pastorali. 413. 6

Parelium, Impressio.

Num ignita, & quid. 119. 81
Num appareat, ac dici soleat alter Sol. ibid.
Vnde fiat. 120. 19
Num fiat distanter à Sole, num verò prope illum. ibid.
Vbi fiat. ibid.
Num, inter corpora lucida non ex natura sua sit illud, quod maiores radios reflectere solet. 107. 3

Parœcialis Ecclesia, Parochus, Parochianus.

Quænam spectent ad Parœcialem Ecclesiam, ratione populi. 650. 15
Parochus ad quid teneatur. ibid.
Num degentes in Præcijs, siue Parochiani, ratione animę, dicendi sint priuilegiati. 653. 18
Priuilegium illis concessum, ratione animę, num in causa pia fundetur. 655. 19

Parmense telum.

Quid, & quare sic dictum. 9. in not.

Participium præsentis.

Num possit rectè copulari cum verbo prętetiti temporis. 60. 37

Passiones Appetitus sensitiui.

Vide Appetitus sensitiuus.

Pastoralis Baculus.

Vide Papa.

Pater.

Num, natura, filiorum imperiũ obtineat. 144. 40
Num fugere ob illo iniustè inuadente timiditati adscribatur. 502. 93
Num potiùs virtuti, & cui. ibid.

Patria.

Affectus in illã num sit vnicuique maximus. 438. 30
Num iudicium alteret. ibid.

Patronus loci.

In electione illius, qui concurrere debeant. 733. 49

S. Paulus Apost.

Quo modo eleuatus fuerit in raptu. 219. 30
Eius Conuersio num fuerit Miraculosa. 267. 8
Num, vt Miraculosa, celebretur ab Ecclesia. ibid.

Peccator, Peccatum.

Peccatoris iustificatio num sit propriè Miraculum. 601. 65
Num peccata cordis, & operis ad vnam perfectam peccati speciem pertineant. 495. 83
Quousque deordinetur anima, per mortale peccatũ. 554. 18

Qua

An

tur

R

runt

LAVS DEO.

ADMONITIO.

Raptim sanè collecti sunt, & raptim pariter impressi duo Indices; *quorum alter Locorum Sacræ Script. alter Præcipuarum Rerum est. Quare, tum quædam irrepserunt errata; tum quædam sunt prætermissa. Errata grauiora putantur, quæ circa numericas notas: & hæc præsertim in primo* Indice *sunt reperta.*

		En igitur Errata.	*En Correctio.*
Gen. 2.	Requieuit,&c.	100	110
Leu. 26.	Si enim,&c.	91	97
Ps. 148.	Ipse dixit,&c.	141	541
Cant. 4.	Sicut turris,&c.	251	227
Eccl. 11.	In filijs,&c.	172	472
Heb. 11.	Fide,&c.	155	85

Quæ prætermissa sunt, spectant ad secundum Indicem.

En illorum quædam.

BONONIÆ,

Typis Iacobi Montij. MDCLIII.

Superiorum permissu.